JOANNIS DEVOTI,

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

EPISCOPI PRIMUM ANANIENSIS,

DEIN ARCHIEPISCOPI CARTHAGINENSIS

INSTITUTIONUM CANONICARUM

LIBRI IV.

Juxta Editionem quartam Romanam ab Auctore recognitam
et additionibus locupletatam.

Editio quinta Gandensis.

TOMUS PRIMUS.

St. Albert's College Library

GANDÆ,
In ædibus Viduæ et Filiorum A.-I. vander Schelden, in plateâ dictâ Onderstraet.
1852.

SUPERIORUM FACULTATE.

PROPRIÉTÉ DES ÉDITEURS.

—

Tunc enim status membrorum integer manet, si caput fidei nulla pulset injuria, et canonum maneat incolumis, atque intemerata semper auctoritas.

S. Gregorius M. *Lib.* 13 *ep.* 37 *ad Joannem Panormitanum Episcopum col.* 1244, *t.* 2 *ed. Maurin. Paris.* 1705.

PRÆFATIO

AD CUPIDAM

SACRORUM CANONUM JUVENTUTEM.

Omnis fere ætas magnam effudit copiam scriptorum qui Juris Canonici Institutiones mandarunt litteris, sed inter eos vix ullum invenimus, cujus scripta usui possint esse vobis, optimi adolescentes, in quos erudiendos omnes nostras curas et cogitationes conferre debemus. Quidam enim ita inopes et jejuni sunt, ut ossa solum, non sanguinem videantur tradere ecclesiasticæ jurisprudentiæ; quidam obruunt ingenia nimia rerum copia et varietate, atque intempestivis verbosisque quæstionibus, quas cum ipsis principiis absurde confundunt, adeo ut nosci interdum vix, plerumque autem ne vix quidem possit, quid pro certo sumendum, quid dubium, controversumque sit; quidam nullum sibi negotium sumunt de causis rerum et memoria vetustatis; quidam denique ita eruditionis studio rapiuntur, ut ad antiquitatem atque ad omnem

Acc. 12083

rerum excurrentes originem prope obliviscantur recentiorum ætatum. Nos omnes studuimus declinare scopulos, ad quos cæteros offendisse novimus. Quantum effecerimus, aliorum sit judicium, conatos certe esse præ nobis ferimus. Nam nostris institutionibus complexi sumus antiquam, mediam, novam ecclesiæ disciplinam, atque uno in conspectu posuimus non tantum vetustas leges, quæ juris corpore continentur, sed etiam Canones Tridentinos, et constitutiones recentiorum Pontificum, et responsa, quæ a sacris Cardinalium conciliis, quas congregationes vocant, in dies emittuntur. Initium duximus a prolegomenis, quibus Juris ecclesiastici fontes patefecimus, ac celebriores explicavimus collectiones, quæ ab ecclesiæ incunabulis usque ad hanc nostram ætatem in manus hominum pervenerunt. Neque enim recentiorum collectionum, quibus nunc in scholis et in foro utimur, vim et rationem scire ac tenere possumus, nisi primum antiquiores, unde illæ ductæ excerptæque sunt, cognoscantur. Explicatis autem collectionibus, ad rem ipsam accedimus, quam pluribus, uti mos est, titulis comprehendimus universam. Quorum in partitione titulorum eum ordinem secuti fuimus, qui nobis commodior atque concinnior videbatur; quin etiam titulos secuimus in partes, ut quasi in genera digereremus ecclesiasticam jurisprudentiam, deinde eorum generum quasi quædam membra dispertiremus. Nam nisi adolescentes, qui nunc primum in viam ingrediuntur, accuratam habeant, et simplicem unoque in conspectu positam rerum divisionem, nunquam in suis studiis progressus facere possunt, et sæpe fracti ac debilitati metu propter

rerum obscuritatem, voluntatem discendi simul cum spe perdiscendi abjiciunt.

Et quoniam ornatur jurisprudentia eruditione primum, et quasi colore quodam et succo suo, idcirco nos rerum origines investigare curavimus, atque hausimus ex fontibus ecclesiasticæ historiæ ea, quæ ad rem nostram ita pertinere arbitrabamur, ut non irruisse in alienum locum, sed in suum immigrasse viderentur. Ita scilicet operam dedimus, ut vobis panderemus viam non solum ad forensem peritiam, verum etiam ad omnem interiorem atque reconditam ecclesiasticam jurisprudentiam. Volo enim talibus doctrinis excoli vestros animos, ut habeatis adjumenta, quibus instructi sacram jurisdictionem, ac jura certissima sedis apostolicæ plane comperta atque explorata habeatis. Obruimur copia scriptorum, quibus duo tantum proposita fuisse videntur, alterum ut vos in errores rapiant, alterum ut in ecclesiæ caput Romanum Pontificem virus evomant acerbitatis suæ. Quorum e numero nescio equidem, an post Boehmerum, Thomasium, cæteros hæreticos, ullus sit, qui Eybelio anteferendus videatur. Homo videlicet, qui ausus est improbare confessionem, quam aure excipit sacerdos, ut noscat crimina, de quibus judicium ferre debet (*a*), qui gravissimus error merito damnatus est (*b*),

(*a*) Vid. Conc. Trident. *Sess.* 14. *cap.* 5, *de Sacram. pœnit.*

(*b*) Deterrimi libelli titulus latine redditus est: *Quid continent documenta antiquitatis christianæ de auriculari confessione ab Eybel Vindobonæ* 1784; eum vero damnavit optimus ac sapientissimus Pontifex Pius VI Apostolicis litteris *Mediator Dei* datis die 11 novembris 1784. Ipsius autem Eybelii *Introductionem in jus ecclesiasticum catholicorum* damnavit Sac. Indicis Congregatio die 16 februarii ejusdem anni.

facile intelligitis, quantum valeat in rebus ecclesiasticis, et quas juris canonici institutiones scriptitare potuerit. Hujus hominis scripta et cætera similia, quæ merito damnata sunt judicio verissimo sedis apostolicæ, vitanda et fugienda vobis sunt diligenter, ne vos applicetis erroribus, quibus facile vestra hæc ætas infici potest imprudens, et qui postea difficilius ex animis effluunt, cum semel infusi sunt. Horum quoque scriptorum a nobis facta est interdum mentio in nostris institutionibus (quod tamen parce et continenter fecimus), sed quidquid in iis erat, quod vobis compertum esse oporteret, id totum nos hausimus, atque expressimus indeque in nostra scripta derivavimus. Quod eo mihi prædicendum fuit, ne quis forte vestrum curiosius velit scripta ipsa evolvere damnatorum auctorum, quorum a nobis injecta mentio est. Principio eos legere nefas est, nisi primum venia a sede apostolica impetrata sit; deinde illi etiam, qui hanc facultatem obtinuerunt, caveant diligenter, ne iis legendis animum tenerum pravis opinionibus imbuant hauriantque errores, quibus illi undique referti sunt. Magna nobis, divina ope, copia est librorum optimorum: hos sine periculo legite, atque perlegite, et *per religiosi itineris vias ac veritatis semitas, quas universa tenet ecclesia, gradientes, magis magisque hæreticorum devia et diabolica calcate figmenta* (*a*).

Reliquum est, ut aliquid dicam de notis, quibus insti-

(*a*) Verba hæc sunt S. Maximi Taurinensis, *Hom.* 9 *int. hyemal.*, cujus egregia opera, et reliqua adhuc latentia, ut plus prodessent, diligenter recognosci, splendideque ac magnifice in lucem edi curavit Sanctissimus D. N. PIUS VI.

tutiones has meas illustrandas curavi; quoniam hæc in primis earum scribendarum ratio, et hoc propositum fuit. Nimirum institutiones tantum certis constare principiis, ac modicis regionibus circumscriptæ esse debent, et quæstiones suum in iis locum habent nullum. Quare nos ita textum conscripsimus, ut in eo, quantum nostræ patiebantur vires, neque aliquid abesset, quod proprium esset institutionum, neque redundaret. Sed quæ textu strictim exposita sunt, ea in academiis viva voce doctoris in lucem proferuntur latiusque explicantur; et tunc res omnis accuratius expenditur atque etiam attinguntur quæstiones, quæ scitu utiliores esse videantur, ut ita una cum seminibus propago quoque studiosis atque seges occurrat materiarum. Id nos in notis præstitimus, ubi non tantum indicavimus locos, unde sumpta sunt ea, quæ in textu traduntur, sed etiam in magis abditam ac penetralem jurisprudentiam excurrere, et præcipuas etiam quæstiones attingere voluimus, ut postquam cum iis primarum ac certarum rerum genera ipsa didicistis, reliqua non incommode persequamini. Quod si quis copia et varietate rerum, quæ in notis disputantur, impediri se putet, addiscendoque detereri, is, licet hinc, quantum ei videbitur, circumcidat atque amputet, tamen textus sobrietate contentus, habebit, quod ad instituendos juvenes accommodatum est. Quamobrem pergite, ut facitis, optimi adolescentes, atque ad hæc studia contendite, ut et vobis honori, et reipublicæ utilitati esse possitis, ac magis commendemini SANCTISSIMO PRINCIPI, cujus exquisita doctrina, intelligens judicium, effusa in litteras beneficentia vos ad hæc studia cohortantur.

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/institutionumcan0000vari_g4i6

PROLEGOMENA.

CAPUT I.

De Ecclesia, ejusque Natura et Characteribus.

I. Juris definitio.
II. Divisio.
III. Ecclesiæ institutio.
IV. Definitio et natura.
V. Imperium et administratio.
VI. Ea Respublica est a civili distincta.
VII. Distinctio ecclesiasticæ et civilis potestatis.
VIII. IX et X. Vis et ratio potestatis ecclesiasticæ.
XI. Ecclesiæ signa. Ea una est.
XII. Sancta, Catholica, Apostolica.
XIII. et XIV, Ecclesia Romana.
XV. Pseudo-Ecclesiæ hæreticorum.

§. I.

Juris nomen sive a *justitia* factum est (1), sive a *jubendo*, quoniam majores nostri jura dicebant *jusa*, aut *jussa* (2), quod ea continerent, quæ jussisset populus. Ejus autem non una est significatio. Nam et quod æquum, bonumque est, ac rationi consentaneum (3), et artem ipsam æqui atque boni (4), et legitimam quid habendi ac retinendi potestatem (5) jus appellamus. Nobis hoc loco jus est collectio legum ac regularum, quibus utitur humanum genus, ut justa et injusta distinguat. Nam ad justitiam recte gerendam leges pertinent, et omnes in commune bonum sunt.

§. II. Sunt autem quædam publice utilia, quibus nimirum reipublicæ salus continetur, quædam vero privatim, quæ scilicet ad commodum pertinent atque utilitatem singulorum. Hinc distinctio oritur publici, et privati juris. Publici nobilior pars est, quæ sacerdotum jura et rerum

constituit divinarum; quo quidem jure nulla fere gens carere consuevit, quamquam pleræque et superstitionis, et fabularum plenam haberent religionem. Hebræis Deus ipse leges dedit, quæ a Moyse receptæ et collectæ Pentateucho continentur.

(1) Isidorus Hispalen. *Etymol. lib.* 5, *cap.* 3, *pag.* 57, *edit. Paris.* 1601. *Leg. ff. de justit. et jur.*

(2) Festus, *de verb. signif. lib.* 10 *verb. jussa, pag.* 200, *edit. Paris.* 1681.

(3) Terentius, *Heautontim. act.* 4. *scen.* 1 *vers.* 29, *pag.* 380, *edit. Lugd. Batav. an.* 1657. *Quid cum illis agas, qui neque jus, neque bonum atque æquum sciunt.*

(4) *Leg.* 11. *ff. de justit. et jur.*

(5) Terentius, *Adelphor. act.* 1, *scen.* 1 *vers.* 26 *et* 27, *pag.* 443. *Non necesse habeo omnia pro meo jure agere.* Alia etiam de juris nomine et significatione habent Menagius *amœn. jur. cap.* 39 *verb. jus.*, Grotius *de jur. bel. et pac. in prolegom.* §. 12, Scip. Gentilis, *Orig. Tom.* 2 *oper. pag.* 413 *et seq., edit. Neapol. anni* 1763.

§. III. Translato per Christum Sacerdotio, sacra etiam translata sunt, et antiquata Hebræorum. Itaque nova constituta christianorum republica, nova lex, novique ritus introducti sunt a Christo Domino, qui sacramenta instituit, fidei mysteria explicavit, eaque homines docuit, morum præcepta naturæque leges confirmavit; cetera autem arbitrio commisit ecclesiæ, hoc est episcoporum, in primisque Petri, et eorum omnium, qui post eum Pontificatu Maximo fungerentur, quos sui vicarios, et ecclesiæ supremos principes esse voluit.

§. IV. Nam hi sunt rectores ecclesiæ, quæ definitur societas hominum sub legitimis pastoribus, præsertim vero sub visibili omnium capite, centroque unitatis, Romano pontifice christianam religionem profitentium, eorumdemque sacramentorum colligatione in unum corpus coalescentium a Christo instituta (1). Ex quo patet, ecclesiam socie tatem esse *inæqualem*, in qua scilicet alii sunt, qui regunt

atque imperant, alii, qui reguntur et parent (2); esseque præterea visibilem, quoniam animo et corpore constant homines, quibus ea conflata est. Et certe non falsa solum, sed etiam absurda est protestantium (3) sententia, qui sibi invisibilem confingunt ecclesiam: societatem scilicet hominum visibilium, quam ut Dei filius constitueret, assumpta humana natura, visibilis factus est, quam ipse per Evangelii annunciationem, rem videlicet sub sensus cadentem (4), propagari voluit, quam constrinxit vinculis sacramentorum, quæ visibilibus constant rebus, ac præsertim baptismo, quo homines in eam cooptantur.

(1) Manca igitur, et minus propria est Ecclesiæ definitio, quam post Febronium, et ceteros hujusmodi tradit Dominicus Cavallarius *Institut. Jur. Canon. par.* 1 *cap.* 1, §. 1 cum inquit, ecclesiam esse *christianorum conventum, qui sub suis pastoribus ad vitam æternam assequendam exercentur.* Quid in hac definitione est, quod hæretici non probent, quodque genti catholicæ satisfaciat? Non enim memorat legitimos pastores, hoc est episcopos, a Spiritu Sancto positos regendarum ecclesiarum causa; non item summum Pontificem, qui similiter divinitus est constitutus ecclesiæ caput et centrum unitatis; non denique sacramenta, quæ catholicis omnibus eadem sunt, et in quibus hæreticorum longe discrepans ratio est. Non enim, quæ nobis sacramenta sunt, in sacramentis numerant; neque vero quæ habent, talia quædam esse putant, qualia nos credimus. Atque illa sane Cavallarii definitio quadrat etiam in pseudo-ecclesias hæreticorum, quæ *suos* habent pastores, quæque omnes *exercere* se jactant *ad vitam æternam assequendam.*

(2) Ex quo intelligitur, quam falsum et absurdum sit *systema collegiale,* seu societatis *æqualis*, quod novissime placuit protestantibus (nam longe aliud eorum majoribus visum est) ex quo profluere ajunt illa *jura ecclesiæ collegialia et majestatica*, quæ ecclesiæ veluti collegio æquali, et principi tamquam patrono collegiorum, quæ in suo imperio sunt, attribuunt. Ipsi etiam saniores protestantes ineptissimum hoc commentum refutarunt; atque ex eorum numero Gasp. Zeiglerus, *in præfat. ad tract. de superintend.* pluribus ostendit, quam necessaria in ecclesia sit hæc *inæqualitas et subordinatio, quæ regendi et parendi partes distribuit. . . Pares enim,* inquit, *et æquales ubi esse cupiunt omnes, quid aliud inde sperandum, nisi inordinata confusio, discerptis sententiis, ac præposteris temporibus omnia pessime*

disturbans? Idem habent Carpzovius, *de jur. eccles. lib.* 2 *def.* 247, et Voetius *de politica ecclesiastica*, aliique complures. Vide Vincentium Lupolum *prælect. jur. canon. cap.* 5, §. 4 *et seq. tom.* 1, *pag.* 141 *et seq.*, ubi Justi Enningii Boehmeri ea de re errores refutantur; ac vide in primis Mamachium *ep.* 2 *ad Justin. Febronium.* §. 7 *num.* 19, *pag.* 285 *tom.* 1, ubi hæc inæqualis societatis ratio adversus Febronium gravissime accuratissimeque explicatur.

(3) Confer Melchiorem Canum *de loc. Theolog. lib.* 4, *cap.* 1 *et ult.* a quo in primis solide et luculentur refutantur deliramenta eorum, qui invisibilem ecclesiam fingunt.

(4) Apostolus ad Rom. X. 14 et seq. *Quomodo invocabunt*, inquit, *in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient, sine prædicante? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Atque huc etiam spectat illud Matthæi XVIII v. 17 : *Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus.* Pauli I. Timoth. III. 15: *Ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est ecclesia Dei vivi.* Lucæ act. XX. 28: *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit episcopos regere ecclesiam Dei.* Num ad ecclesiam deferri crimen, in ea quis versari, eademque *regi posset, nisi aperta omnino esset, atque visibilis?*

§. V. Quod si visibilis est ecclesia, visibili etiam imperio, et administratione regatur necesse est. Qua in re gravissimus est error illorum, qui putant, imperium in hominem ita a Deo esse divisum, civilem inter atque ecclesiasticam potestatem, ut hæc tantum animis, illa vero corporibus imperet ac jura constituat. Ita scilicet non hominum societas esset ecclesia, sed animorum, hoc est, incideremus in errorem protestantium de ecclesia invisibili; neque civilis respublica hominum, sed corporum societate constaret. Quo quid dici potest absurdius, aut exitiosius non ecclesiæ solum, sed etiam civili reipublicæ? Nam si ecclesia solis animis præficiatur, non ei licebit ex. gr. leges de jejuniis constituere, quoniam eorum observatio solo corpore perficitur; civiles vero leges inutiles erunt omnes atque ridiculæ, cum imperent corpori, quod sine animo parere non potest (1).

(1) Vide Diatrib. *de Ecclesias. potestat. Romæ editam, an.* 1774, ab Hermano Dominico Christianopulo, Ord. Præd. §. 1 *c.* 1 *num.* 3, *pag.* 8 *et seq.* ubi solide nervoseque refutantur commenta eorum, qui discrimen civilem inter atque ecclesiasticam potestatem, sic statuunt, ut alteram corporibus, alteram vero animis præesse arbitrentur.

§. VI. Est etiam ecclesiæ proprium, ut ea non *Collegii*, sed reipublicæ rationem habeat a civili distinctæ, et ideo proprio eoque summo regatur imperio. Sed protestantes ecclesiam in civili republica collegii instar esse putant, quoniam ea post institutas civitates atque respublicas orta est. Et cum summum earum imperium sit, consequens esse ajunt, ut ab iis pendere debeat ecclesia, ne duo sint summa imperia, unde gravis rerum confusio perturbatioque oriretur.

§. VII. Sed aliæ sunt partes civilis potestatis, aliæ ecclesiasticæ, et utraque habet suum certum ac definitum genus, in quo summa est. Illa nimirum curat civium commoda et civilem societatem, altera res sacras atque divinas. Nullum hic absurdum, et nulla rerum confusio, neque *status in statu* est, quod inquiunt protestantes: sed *status* uterque diversi generis est, et habet uterque provinciam suam, quam transilire non debet (1). Atque in eo quidem omnis est posita vera atque accurata distinctio ecclesiasticæ ac civilis potestatis, quod hæc est ordinis naturalis, illa supernaturalis (2); altera curat res civiles ac temporalem hominum felicitatem, altera præest rebus sacris atque divinis, et curam gerit eorum, quæ ad æternam beatitudinem pertinent.

(1) Vide Laurentium Veith, *Richer. System. confut. sect.* 2 *cap.* 2, § 56 *et seq., pag.* 325 *et seq. August. Vindelic.* 1785, et Francisc. Anton. Zaccariam, *in Antifebron. tom.* 1 *dissert.* 1, *et in Antifebron. vindicat. pag.* 1 *dissert.* 2, *cap.* 1.

(2) Vide Librum, *de l'autorité des deux Puissances,* editum anno 1781 *tom.* 1.

§. VIII. Jamvero multa sunt et præclara divinarum scripturarum loca, ex quibus manifestum est, ecclesiam a Christo fuisse institutam non instar collegii, sed reipublicæ, quæ res sacras divinasque regeret imperio suo. Huc enim spectat ampla illa, quæ apostolis eorumque successoribus data est, potestas *ligandi et solvendi* (1); huc ea lex, qua ad ecclesiam deferri jubentur querelæ inter christianos exortæ, cujus decreto si reus non steterit, habendus est tamquam ethnicus et publicanus (2); huc denique illud Christi: *Qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit* (3). Itaque in ipsum Christum peccat, qui ecclesiæ non obtemperat.

(1) Matth. XVI. 19, XVIII. 18.
(2) Matth. XVIII. 17.
(3) Luc. X. 16, Joan. XIII. 20.

§. IX. Verum huc potissimum referenda est ea Christi oratio, qua in cœlum migraturus usus est, cum Apostolos ad propagandum in universum orbem Evangelium mitteret: *Data est mihi,* inquit, *omnis potestas in cœlo, et in terra; euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S., docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis* (1). Quibus sane verbis non solum apostolis eorumque successoribus potestas fit ubique gentium, vel invitis civitatum principibus, nunciandi Evangelium, civesque, quicunque voluissent, baptismo initiandi, sed etiam in tradita doctrina continendi et confirmandi omnes, qui in christianam societatem essent cooptati. Quod idem est ac præcepisse, ut christiana institueretur societas, quæ, leges sibi constitutas observando, conservaretur (2).

(1) Matth. XXVIII, 18.
(2) Vid. laudatum Diatrib. *de Eccles. potest., cap.* §. 2, *num.* 7 *et seq. pag.* 19, et Cl. Martinum Gerbertum, *Ecclesia Militans, cap.* 19. *tom.* 1 *pag.* 124 *et seq.*

§. X. Neque aliter habere se res ipsa potest. Nam collegium nonnisi intra certæ civitatis, aut provinciæ fines, veluti in dominationis loco, constitui potest (1); at vero ecclesia nullis locorum comprehenditur angustiis, sed omnes complectitur gentes, propagata atque diffusa per orbem universum. Rursum collegium sine venia principis institui et coire non potest (2); verum ecclesia invitis ipsis principibus et confirmata est, quoniam Deo potius, quam hominibus parere oportet (3). Denique collegium recte dissolvitur, si quæ suboriantur causæ, propter quas ipsum dissolvendum videatur. Quis autem tam insigniter improbus est, qui id de Christi ecclesia audeat dicere (4)?

(1) Leg. 1. *in princ. ff. de colleg. et corpor.*
(2) Leg. 3. *ff. eod. tit.* Leg. 1. *in princ. ff. quod cujusq. univers.*
(3) Unde ad Optimates, et Seniores Judæorum: *Petrus vero, et Joannes respondentes, dixerunt ad eos: si justum est in conspectu Dei, vos potius audire quam Deum, judicate.* Act. IV. 19.
(4) Vide Mamachium, *ep.* 2 *ad Justin. Febronium* §. 6 *et* 7. *pag.* 207 *et seq. tom.* 1, qui gravissime exagitat Pufendorfii de Ecclesiæ *collegialitate* errorem, quem Febronius sequitur.

§. XI. Satis non erat, quod visibilis atque ut distincta respublica, ecclesia Deo ipso auctore constitueretur. Necesse etiam erat, eam habere signa quædam et notas, quibus certo dignosci posset a sectis hæreticorum, qui sibi falso decus nomenque adscribunt divinæ religionis. Ad ea autem signa cum primis pertinent ecclesiæ *unitas* (1), quæ una fide, eorumdem sacramentorum communione, subjectione legitimis pastoribus (2) et uno visibili capite (3) continetur et cernitur.

(1) Quæ unitas sæpe ab Apostolo laudatur, comparatione humani corporis, quod unicum est, licet pluribus constet membris, quæ singula suo funguntur munere 1 *ad Cor. XII.* 27, *et ad*

Ephes. IV. 3 et seq. Solliciti, inquit, *servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum Baptisma.* Et huc spectat S. Augustinus, *serm.* 103 *cap.* 3 *de verb. Dom. ed. Maurin. Venet.* 1731, *tom.* 5 *col.* 536, *et* S. Cyprianus, *in lib. de unit. Eccl. pag.* 78, *edit. Amstel.* 1700.

(2) Matth. XXVIII. 18, *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis:* quibus verbis comprehenditur unitas fidei, sacramentorum, subjectionis. Atque hanc a Christo datam unitatis doctrinam Apostoli, ubi opus fuit, et magis explicarunt et sedulo tradiderunt; atque huc spectat Paulus *loc. cit.*

(3) Apposite S. Hieronymus, *ep.* 15 *num.* 2 *ed. Vallarsii, Veron.* 1734. *tom.* 1. *col.* 38, *ad Damasum P. de hypostasibus: Ego nullum,* inquit, *primum, nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est cathedræ Petri communione consocior. Super illam petram ædificatam ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio. . . . Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit spargit; hoc est: qui Christi non est, Antichristi est.* Et *epist.* 16, *num.* 2 *ad eumd. Damas. col.* 41, qua eum iterum rogat, ut sibi significet, cum quo debeat communicare ex tribus, quos inter Antiochena ecclesia dividebatur. *Hinc enim,* inquit, *præsidiis fulta mundi Ariana rabies fremit: hinc in tres partes scissa ecclesia ad se rapere me festinat. . . . ego interim clamito, si quis cathedræ Petri jungitur, meus est.*

§. XII. Similiter *sancta* est ecclesia ex conditore suo (1), ex fine institutionis, ex mediis ad finem comparatis; quæ sanctitas elucet in doctrina fidei, et morum, atque in ipsa disciplina (2), in sacramentis, quæ instrumenta sunt divinarum in nos gratiarum, in gloria miraculorum, in præclaris ecclesiæ membrorum virtutibus; denique *catholica,* hoc est universalis, nullis temporum ac regionum finibus definita (3), atque *apostolica,* tum propter doctrinam, tum propter ordinis ac jurisdictionis potestatem, ab ipsis apostolis repetentem originem ac perpetuo continenti serie propagatam (4).

(1) *Jesus ut sanctificaret per suum sanguinem populum . . . passus est*, inquit Apostolus *ad Hebræos XII.* 12, atque ex hoc mundo discessurus promisit Apostolis, sese missurum Spiritum sanctitatis et veritatis. Joan. XIV. 16, 17, 25, 26.

(2) Etiam in constituenda disciplina ecclesia regitur a Spiritu Sancto, ideoque unus idemque semper est disciplinæ spiritus, quamquam illa interdum pro temporum ratione mutetur. Confer Jacobum Zallinger *Inst. Jur. Natur. et Eccles. public., lib.* 5, §. 5, 19 *et seq. August. Vindelic. an.* 1784, qui omnes ecclesiæ notas et characteres solide accurateque recenset.

(3) Quare Augustinus, *ep.* 52 *num* 1. *coll.* 119, *tom.* 2. *Ipsa est enim*, inquit, *ecclesia catholica, unde καθολικὴ græce appellatur, quod per totum orbem terrarum diffunditur; et Serm. de tempor.* (si vere est auctor ejus sermonis, quem PP. Maurini Fausto tribuunt, et rejiciunt *ad appendic. tom.* 5, *serm.* 242 *col.* 598) ecclesiam appellari *catholicam*, inquit, hoc est *toto orbe diffusam; quia diversorum hæreticorum ecclesiæ ideo catholicæ non dicuntur, quia per loca atque per suas quasque provincias continentur, hæc vero a solis ortu usque ad occasum unius fidei splendore diffunditur.* Vide etiam eumdem Augustinum, *ep.* 49 *col.* 115, *et in lib. de unitat. Eccles., tom.* 9. *col.* 337, qui totus in eo est, ut ex Lege, Prophetis, Evangelio atque ex actis apostolorum *catholicam* esse ecclesiam contra Donatistas ostendat, et vide Vincentium Lirinensem, *commonit. cap.* 3 *in Biblioth. Patr., tom.* 7 *pag.* 250, *ed. Lugdun.* 1677.

(4) Nam post Christum fundamenta etiam præterea ecclesiæ fuerunt Apostoli, teste Paulo *ad Ephes. II.* 20 : *Superædificati*, inquit, *super fundamentum Apostolorum et Prophetarum.* Vide Irenæum, *lib.* 3. *cap.* 4, *contr. hæres. tom.* 1 *pag.* 178. *edit. Venet.* 1734.

§. XIII. Jam vero omnia hæc signa ad Romanam ecclesiam pertinent; quo fit, ut ea vera Christi ecclesia haberi debeat. Nam *una* ipsa est sive fide, cum nonnisi ea, quæ ab apostolis per verbum traditum, aut scriptum accepit, credenda proponat; sive sacramentis, cum eadem illa, quæ Christus instituit numero septem, quæque ad sese perpetua traditione pervenerunt, administret atque custodiat; sive demum pastoribus, qui accepta manuum impositione rite, et recte præpositi ecclesiæ regimini communione junguntur cum Romana

cathedra, ad quam omnis ecclesia conveniat necesse est (1).

(1) *Ad Romanam cathedram,* ut inquit S. Irenæus, *contr. hæres, lib. 3. cap. 3. num. 2, pag. 175, edit. Massueti, Paris. 1710, Propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam.*

§. XIV. *Sancta* item est tum deposito doctrinæ, quod sibi divinitus creditum semper sartum tectum servavit atque tuetur; tum facta fidelibus copia sacramentorum, præsertim Eucharistiæ, qua ipsum Christi corpus et sanguis traditur; tum ecclesiasticis regulis et puro religionis cultu, quo homines ad veram pietatem instituuntur atque excitantur, tum præclaris virtutibus, pietate, miraculis eorum, qui ecclesiam, cujus in sinu educati sunt, illustrant, semperque illustrarunt. *Catholica,* cum diffusa per orbem universum pateat, quum contra singulæ infidelium atque hæreticorum sectæ, aliæ alibi, suis quæque finibus arctentur. *Apostolica,* tum quod in Petri cathedram numquam intermissa pastorum successio viget (1), eaque nonnisi per ordinationem episcopali manuum impositione factam ad hæc usque tempora deducitur, tum quod una semper eademque obtinuit doctrina, quæ apostolica ætate obtinebat. Atque hæc ecclesia neque fallere, aut falli (2), neque umquam perimi ac deleri potest (3).

(1) Recte Augustinus *contra epist. Manich. quam vocant fundamenti, cap. 4, tom. 8 col. 153 cit., ed. Venet.* causas significans, propter quas Romanæ ecclesiæ adhæreret, hoc demum ait: *Tenet me ab ipsa sede Petri apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem episcopatum successio sacerdotum.*

(2) Joan. *XIV,* 16 *et* 26, *et XVI.* 13. Paulus, 1 *ad Timoth. III.* 15. Hinc. S. Fulgentius, *epist. 3 ad. Proch. cap. 5, in Biblioth. Patr. tom. 9. pag. 92. edit. Lugdun.* 1677 *Ecclesia,* inquit, *virgo in fide et caritate persistens et sapientiam possidet et virtutem; ideo nec seductione decipitur, nec violentia vincitur, quia internæ*

virginitatis integritate fulcitur. Et S. Irenæus, *contr. hæres. lib. 3 cap. 4, num. 1 pag. 178 cit. ed. Non oportet,* inquit, *adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile est ab ecclesia sumere; cum apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime in eam contulerint omnia, quæ sint veritatis, ut omnis, quicunque velit, sumat ex ea potum vitæ.*

(3) Matth. *XVI*, 18, *XXVII*, 20. Luc. *XXI*, 32. Et Chrysostomus *Homil. 4 in illud Isa. Vidi Dominum, cap. 2 tom. 6 pag. 122, edit. Montfauconii Venet. 1734, Facilius,* inquit, *est solem extingui, quam ecclesiam deleri.* Vide etiam Augustinum *in Psalm. 103 serm. 2, tom. 4 col. 1145, ed. cit.*

§. XV. At vero nullum ex iis signis, quibus vera Christi ecclesia dignoscitur, quadrare in protestantium ecclesias ulla ratione potest. Neque enim eorum ecclesia *una* est aut fide, in qua variæ sunt interque se dissentientes illorum confessiones (1); aut in sacramentis, quorum in numero definiendo dispar est omnium fere sententia (2); aut demum pastoribus, cum quidam nullam agnoscant ecclesiasticam hierarchiam, quidam varium habeant ecclesiarum regimen, cuncti vero careant uno omnium capite, cum quo conveniant, aut sub quo concilium aliquod instituant (3). Non item *sancta*, tum quod sectarum auctores perditos ac nefarios fuisse homines constat (4); tum quod eorum doctrina plena licentiæ ac vitiorum est. Non *catholica*, tum quod non semper fuit, cum hæretici, antequam in errores inciderent, cum Romana ecclesia communione jungerentur, tum quod ubique non est, cum protestantium sectæ, si conjunctim omnes accipiantur, non unum sint, sed inter se valde differant (5), si disjunctim singulæ, modicæ quædam partes sint, quæ universitatem habere non possunt (6). Non demum *apostolica*, cum neque apostolorum sit eorum doctrina, neque episcoporum successio ab apostolis repetatur, neque apostolica sit missio, cum neque Calvinus episcopus fuerit, neque Lutherus; licet ipse episcopos ordinare ausus fuerit (7).

(1) Exstant hæ confessiones unum in corpus collectæ, Genevæ an. 1612. Vide Bossuetum *Histoire des variations des églises protestantes, œuvres tom. 4, à Liége* 1766, *et défense de l'Histoire des variations, contre la réponse de M. Basnage, tom.* 5.

(2) Lutherus tria tantum probat sacramenta; *Quamquam si usu*, inquit, *lib. de captiv. Babylon., tom.* 2 *opp. pag.* 260, *Jenæ* 1600, *scripturæ loqui velim, nonnisi unum sacramentum habeam, et tria signa sacramentalia.* Melanchton tria videtur agnoscere. Zuinglius matrimonium etiam recenset. Calvinus baptismum tantum et cœnam retinet, licet etiam ordinationem adjicere videatur; denique Dallæus, minister calvinianus, quæstionem de sacramentis rem levem ac nullius momenti esse arbitratur.

(3) Varium est apud Lutheranos ecclesiarum regimen, Calvinianis nulla est hierarchia, neutris unum omnium caput.

(4) Lutheri flagitia carpit ipse Calvinus *ep. ad. Bulingerum, tom.* 9 *opp. pag.* 239, *Amstel.* 1667, omnibus vero comperti sunt perditi utriusque mores. Nam hic ab urbe Novioduno ob infames turpitudines, ab urbe Geneva tamquam seditiosus publice ejectus est; ille vero deseruit regulare institutum, quod solemnibus emissis votis susceperat, et palam uxorem duxit virginem monialem, ex qua tres filios procreavit. Multa de eo scripsit Jacobus Bossuctus *in Hist. variation.*, et multa etiam sunt apud Berninium *Istoria di tutte l'eresie, tom. 4 cap.* 5.

(5) Angli a Calvinianis, Calviniani a Lutheranis, Lutherani ab Anabaptistis, Anabaptistæ a Zuinglianis communione dissiti discretique sunt.

(6) Idem dictum volo de schismaticis in Oriente; nam Æthiopes ab Ægyptiis et Alexandrinis, hi ab Armenis, Armeni a Constantinopolitanis, et hi a Russis invicem separantur.

(7) Consule Bellarminum *de not. Eccles. lib. 4. cap.* 8, *pag.* 88 *tom.* 2 *opp. Venet.* 1721; Habert *Theol. dogmat. tom.* 1 *prol., cap.* 3; Bertium *de Theolog. disciplin., lib.* 30 *cap.* 13 *num.* 5, *tom.* 8 *pag.* 438, *edit. Romæ* 1745; Colletum *Inst. theolog., cap.* 5, *de var. ordin. specieb., tom.* 9 *pag.* 72 *edit. Taurin.* 1778; Petavium *Theolog. dogmat. de eccles. hierarch., lib. 4 cap.* 2. *num.* 5 *tom.* 6. *pag.* 178, *edit. Venet.* 1757.

CAPUT II.

De Ecclesiæ Regimine et Potestate.

XVI. Regimen in ecclesia necessarium.
XVII. Quale hoc sit?
XVIII. Non Democraticum.
XIX. Neque Aristocraticum, sed Monarchicum.
XX. Monarchiæ nihil detrahit episcoporum potestas.
XXI. Nihil Concilium generale.
XXII et XXIII. Quod summo Pontifici subest.
XXIV. Verum Concilium generale contra Pontificem stare non potest.

§. XVI.

Hactenus quæ vera ecclesiæ natura sit, et quibus ea notis signisque noscatur, exposuimus; nunc de ejus potestate disputemus. Neque enim societas hominum, qualis ecclesia est, stare, consistere potest, nisi imperii auctoritate contineatur, et nisi leges habeat, quibus ea regatur et quibus omnes pareant. Ex quo intelligitur, esse in ecclesia condendarum legum potestatem.

§. XVII. Nam Christus cum homines præfecit, qui visibilem ecclesiam visibiliter regerent, in eos etiam contulit imperium, quo carere non potest quisquis societati præfectus curare debet, ut ea optimis abundet legibus, et institutis, atque ut pœnis etiam coerceantur, qui non obtemperant legibus, quibus reipublicæ salus et incolumitas continetur. Regendæ enim societatis summa tota est posita in imperandi puniendique potestate; eam Christus ecclesiæ dedit, eaque semper apostoli ceterique episcopi, præsertim vero Romani Pontifices usi sunt (1).

(1) Confer Doujat, *Prænot. canon.*, *lib.* 2 *cap.* 2; præ ceteris

autem confer Mamachium, *Orig. et antiquit. Christian. lib. 4 par. 1 cap. 2 §. 5, et cap. 3 pag. 259 et seq. tom. 4;* ubi de ecclesiæ potestate, regimine graviter accurateque disputatur.

§. XVIII. Atque hanc quidem potestatem plerique ex protestantibus ad aristocratiam referunt (1); quamquam non desint ex Lutheranis, qui ecclesiæ regimen democraticum esse contendant, atque hominum voluntate discrimen inter clericos et laicos inductum putent (2). Cujus erroris absurdum noverunt etiam plerique ex Lutheranis et Calvinianis, adeo ut vix dignus sit qui a nobis refutetur. Revera quidquid Christus de ecclesiæ potestate dixit, non plebi, sed apostolis dixit, aut omnibus, aut Petro nominatim (3), legesque omnes de rebus ecclesiasticis non a populo, sed ab episcopis, ac præsertim a summis Pontificibus sunt perpetuo constitutæ. Eorum videlicet est semperque fuit leges condere, curare diligenter, ut ab omnibus observentur atque in reos criminum animadvertere (4).

(1) Confer Mamachium *Origin. et Antiquit. Christian., lib. 4 par. 2 cap. 1 §. 3, tom. 3 pag. 12 et seq.,* ubi horum complures recensentur.

(2) Ineptissimum hunc errorem ipse etiam refutavit Josephus Binghamus, homo videlicet ex protestantium numero, *Origin. Eccles., vol. 1 lib. 1 cap. 3, pag. 41 et seq., ed. Halæ Magdeburg. an.* 1751. Vide Mamachium *loc. cit., pag. 11 not. 1.*

(3) Quo pertinet, Matth. *XVI.* 19: *Tibi dabo claves* etc. *Quodcunque ligaveris* etc. Joan. *XXI.* 15 *seq. Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Matth. *XVIII.* 18: *Quæcumque alligaveritis super terram* etc. Joan. *XX.* 23: *Quorum remiseritis peccata etc.* Hinc Petrus, *ep. 1 cap. 5 vers 2,* ita episcopos Ponti, Galatiæ, Cappadociæ etc., quos Seniores appellat, alloquitur: *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei; pascere* autem idem est ac *regere,* uti patet ex *Ps. LXXVII v. 71 seq.* ubi David constitutus divinitus dicitur *pascere Jacob servum suum,* quod est *regere;* nisi forte velis ab regibus non gubernari regique populum, sed institui imbuique doctrina; quo quid fingi potest absurdius? Confer etiam *lib. 2 Reg. c. V. v. 2, et lib. 1 Paralip. c. XI*

v. 2. Hujus vero ab apostolis eorumque successoribus exercitæ potestatis pleni sunt Sacræ Scripturæ et ecclesiasticæ historiæ libri.

(4) De hoc Democraticorum errore multa dicimus in opere *Jus Canonicum universum publicum et privatum, tom.* 1 *cap.*9 §. 5 *not.* 1 *pag.* 186 *et seq.*

§. XIX. Democraticos sequuntur proxime, qui ecclesiæ regimen errore pari aristocraticum faciunt (1). Sunt autem catholici, qui puram aristocratiam respuentes, tamen monarchiam ecclesiasticam aristocratia temperatam volunt. Verum cum inter catholicos omnes conveniat, Romanum Pontificem jure divino præesse ecclesiæ universæ, et vero præesse non solum honore ac loco, sed etiam potestate et jurisdictione, facile intelligitur, ecclesiæ regimen monarchica ratione contineri. Nam monarchiæ nomen designat summum imperium, quod apud unum est.

(1) Videndus Nicolaus Coeffetæus, *in libris IV apologeticis pro sacra monarchia ecclesiæ catholicæ, apostolicæ et romanæ, adv. rempub. M. Antonii de Dominis;* et videndus præsertim *Mamachius Orig. et Antiquit. Christianor., tom.* 5, quo toto fere volumine Aristocraticos doctissime copiosissimeque refutavit.

§. XX. Nihil autem monarchiæ detrahit potestas episcoporum, quæ etiamsi non precaria, sed propria, et nativa sit, tamen cum pendeat a summo Pontifice, non hujus certe monarchica potestas ex illorum potestate imminuitur (1). Christus enim cum episcopalem ordinem instituit, nullos distinxit fines ecclesiarum, quibus singuli episcopi essent præficiendi; idcirco ea res tota humano jure fieri debuit; fieri autem non potest, nisi auctoritate ejus, qui universim ecclesiis omnibus præfectus est. Accedit quod episcopalis potestatis exercendæ modus judicio subest Romani Pontificis, cui non minus ovium, quam pastorum cura commissa est, ut princeps et moderator totius ecclesiæ constitueret quidquid ratio temporum et communis salus postulare videretur (2).

(1) In concilio Tridentino magna animorum contentione quæsitum est, num episcoporum auctoritas αμεσως *immediate* a Deo, an potius a Romano Pontifice esset repetenda; sed res in medio relicta est, agente præsertim cardinali a Lotharingia. Nam inter catholicos erat disputatio, non inter catholicos et hæreticos, qua de causa concilium habebatur. Vid. Natal. Alexandrum, *Histor. Eccles. sæc. XV et sæc. XVI dissert.* 13, *art.* 14 § 1 *et* 2, *tom.* 9 *pag.* 558, *edit. Venet. an.* 1776; Pallavicinum *Hist. Conc. Trident., lib.* 18 *cap.* 14 *et* 15, *et lib.* 21 *cap.* 11, et Zaccariam *in Anti-Febronio, tom.* 2 *dissert.* 2 *cap.* 6. Ceterum utut immediate a Deo episcoporum potestas repetatur, nihil id detrahit monarchico ecclesiæ imperio, quoniam ea subjecta et obnoxia est summo Pontifici, a quo arctari, amplificari ac tolli etiam potest. Confer Ballerinium *de potest. eccles. summor. Pontificum et Concil. general., c.* 1 § 5 *et* 6, *pag.* 16 *et seq. ed. August. Vindelic. an.* 1770. Ita etiamsi a summo Pontifice in episcopos jurisdictionem derivemus, non inde efficitur, eos meros esse ipsius vicarios, cum ipsa potestas quoad originem suam a Deo sit instituta. Confer Zallinger *loc. cit.* §. 363.

(2) Quo referendum illud Concil. Tridentini, *sess.* 14 *cap.* 7 *de Sacram. pœnitent.: Merito Pontifices Maximi, pro suprema potestate sibi in ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviorum suo potuerunt peculiari judicio reservare.* Atque huc etiam spectat illud Leonis M. *ep.* 14 *cap.* 1. *opp., tom.* 1 *col.* 686, *edit. Ballerin. Venet.* 1753; Vigilii *ep. ad Eutherium num.* 7 *tom.* 5. *Concil. collect. Labbei, col.* 1293 *edit. Venet.*, aliorumque complurium, episcopos in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis esse vocatos.

§. XXI. Neque ecclesiastica monarchia temperationem aliquam aristocratiæ accipere potest ex concilio œcumenico, quod in ipsum Romanum Pontificem imperii potestate pollere quidam putant. Ego vero summo Pontifici præstare concilium nego, et pugnantia eos loqui intelligo, qui cum ex catholicæ fidei doctrina ecclesiasticam monarchiam agnoscant, tamen opinionem illam repente, ut equidem puto, sæculo XIV ex medio schismatis incendio (1) ortam, et in aristocratiam denique recidentem sequuntur; id quod non modo a catholicis reliquis, qui ab eis dissentiunt, sed etiam a protestantibus (2) animadversum est.

(1) Hæc opinio induci cœpit, meo quidem judicio, an. 1595, cum alia fuisset usque ad eam ætatem sententia majorum nostrorum, quorum nemini unquam in mentem venit Pontificem Maximum Concilii potestati subjicere. Quadrat in hanc rem aptissime illud Tertulliani *lib. de præscript. cap.* 31 *pag.* 213, *ed. Venet.* 1744. *Id esse Dominicum et verum, quod sit prius traditum, id autem extraneum et falsum, quod sit posterius immissum.* Vid. Ballerinium *loc. cit. cap.* 5, §. 3 *num.* 20 *et seq., pag.* 84 *et seq.* et Veith *Richerii system. confut. sect.* 2 *cap.* 1 *art.* 3 §. 25 *et seq., p.* 114 *et seq., et art.* 3. §. 29 *et seq., p.* 143 *et seq.*

(2) Jo. Laurentius Moshemius *in dissert. de Gallor. appellat. ad. concil. univers. eccles., unitatem ecclesiæ visibilem tollentibus* ita scribit: *Quod universis, sive singulis ecclesiis præesse Pontificem dicunt, non universæ ecclesiæ, id tam mihi scitum videtur, ac si quis affirmaret, membra quidem a capite regi, non vero quod ex membris constat corpus; aut urbes quidem omnes, villas et prædia subesse regi, non vero, quæ his continetur, ipsam provinciam.* Samuel Pufendorfius *de habitu Relig. Christian. ad vit. civil.* §. 38 habet hæc: *Concilium esse supra Papam thesis est.... Sed quod isti quoque hanc propositionem asserere velint, qui sedem romanam omnium ecclesiarum centrum, ac Papam œcumenicum episcopum agnoscunt, id quidem non parum absurditatis habet, cum status ecclesiæ romanæ monarchicus sit, ista autem thesis meram aristocratiam oleat.*

§. XXII. Revera si monachiæ ratio in eo est posita, ut omnes uni subjiciantur, ecquæ demum erit monarchia, si romanum Pontificem episcopis in unum congregatis subjiciamus? At enim in concilio collecti episcopi ecclesiam universam repræsentant, Pontifex vero quamquam singulis ecclesiis *distributive* præsit, *collective* tamen, hoc est ecclesiæ universæ non præest, inquiunt, ipse, sed subest. Atqui falsum in primis est, episcopos una collectos, nisi secum habeant Pontificem, qui eos conjungat et copulet, universam ecclesiam repræsentare. Erunt enim antistites illi quidem singularum ecclesiarum, sed ecclesiam, quæ necessario una est, referre universam non poterunt, nisi inter eos fuerit summus Pontifex, hoc est, commune unitatis centrum, quo disjunctæ illæ inter se potestates conjunguntur.

§. XXIII. Atque illud concedendum nullo modo est, ecclesiam *distributive* caput habere, *collective* non habere, et quod caput *dispersæ* erat, idem *collectæ* repente aliud quodvis membrum evadere. Huc enim redeunt, qui Pontificem ecclesiis omnibus *distributive* anteponunt, *collective* autem obnoxium faciunt. Atqui in primis universitas, quæ ab omnibus in unum collectis conficitur, opus habet capite, a quo regatur; neque unitas ecclesiæ universæ, cujus tuendæ et conservandæ causa Christus et honoris et jurisdictionis primatum instituit, conficitur a singulis tantum, sed ab omnibus *collective* sumptis, atque in unum coactis. Hinc supra petram non singuli lapides, sed universa ecclesia ædificata est; claves Petro sunt datæ non unius alteriusve conclavis, sed regni cœlorum universi; ipse jussus est præesse toti gregi, non singulis tantum agnis et ovibus; denique si fratres singulos, etiam universos confirmare debet (1).

(1) Confer Ballerinium *loc. cit., cap.* 4 §. 3 *pag.* 56. *et seq.*

§. XXIV. Quamquam tota hæc disputatio excogitata est, ut sedes apostolica in invidiam rapiatur; cum revera contra summum Pontificem stare non possit ecclesia et concilium, quod vere œcumenicum sit. Ecquod enim erit hoc concilium, aut collectio totius ecclesiæ, cum procul est Romanus Pontifex, hoc est, caput, et pars præcipua ac nobilissima ecclesiæ? Itaque in concilio si plerique patres cum Pontifice consentiant, hæc conspiratio et concordia sententiarum nullum relinquet controversiæ locum, sin vero dissentiant plerique, nihil horum valebit auctoritas, quoniam a capite divulsi atque sejuncti ecclesiam referre ac repræsentare non possunt.

CAPUT III.

De Canone Ecclesiæ, et primum de Jure scripto.

XXV. Jus Canonicum.
XXVI. Unde ejus nomen ductum?
XXVII. Ejus indoles, et fontes.
XXVIII. Jus Divinum naturale.
XXIX. Ejus fundamentum.
XXX et XXXI. Jus gentium et civile.
XXXII. Jus Divinum positivum.
XXXIII. Ejus præcepta.
XXXIV. Jus humanum.
XXXV. Decreta summorum Pontificum.
XXXVI. Ea vel generalia, vel specialia.
XXXVII. Canones Conciliorum.
XXXVIII. Concilia generalia.
XXXIX. Quid eorum sit?
XL. Qui iis intersint?
XLI. Concilia particularia, et eorum Divisio.
XLII. Concilium provinciale.
XLIII. Concilium diœcesanum.
XLIV. Quando, et a quibus habeatur?
XLV. SS. Patres.
XLVI. Leges civiles.

§. XXV.

Esse in ecclesia jubendarum legum propriam et nativam potestatem, demonstratum est; consequens ergo erat, ut ipsa potestate hac divinitus accepta uteretur, suisque legibus et constitutionibus curaret res sacras atque divinas. Hinc conditæ leges ecclesiæ, quas *canones* appellamus, unde juris canonici nomen est. Proprie *canon* est architectorum aliorumque artificum instrumentum, quo lineæ diriguntur, atque etiam norma ac regula, ad quam opus omne in mechanicis atque in liberalibus artibus exigendum est (1).

(1) Vide Doujat. *Prænot. canon. lib.* 1 *cap.* 21.

§. XXVI. Verum peculiari quadam ratione cum apud græcos, tum apud latinos *canonis* nomine morum regula significatur (1). Hoc vocabulum suis constitutionibus accommodavit ecclesia, sive quod abhorreret ab imperioso

legis nomine, quod violentam continet corporis coercitionem, sive quod Juris ecclesiastici dignitas postularet, ut quæ mores hominum formant regulæ appellarentur, sive demum quod nomen apud Hebræos legi Mosaicæ plane hæserat ut synagogæ succedens ecclesia, alio vocabulo constitutiones suas appellandas putaverit.

(1) Hinc ab Euripide jus naturæ κανων του καλου *regula honesti* appellatur, atque a Chrysippo L. 2. *ff. de leg.* lex generatim dicitur κανων δικαιων και αδικων *regula justorum et injustorum.*

§. XXVII. Dicitur etiam Jus canonicum, *ecclesiasticum*, aut *sacrum*, quoniam agit de personis rebusque sacris, atque ecclesiasticis; item quod ecclesiastica, hoc est, sacra potestate sit latum : dicitur et *pontificium*, tum quod magna ex parte a Romanis Pontificibus constitutum est, tum ut a Cæsareo, sive civili jure distinguatur. Definitur autem jus illud, quod ab ecclesia per episcopos, præsertim vero per Romanum Pontificem, explicatum, sancitum, vel approbatum est, ad rectam christianorum hominum institutionem. Constat partim divinis, partim humanis legibus, partim scriptum est, partim vero non scriptum.

§. XXVIII. Divinæ leges, quæ Deum ipsum habent auctorem, vel naturales sunt, vel supernaturales, et positivæ. Naturales accepimus ab ipsa natura, hoc est, a Deo naturæ auctore, iisque discimus, quid Deo, quid nobis ipsis, quid aliis hominibus debeamus. Nimirum Deus ipse per rectam rationem impressit animis nostris amorem, et regulas honestatis, ad quam omnes natura ferimur, cuique perpetuo adhæreremus, nisi abstraheremur vitiis pravisque cupiditatibus (1).

(1) Hæc lex est *Ratio profecta a rerum natura*, inquit Cicero, *de Legib. lib. 2 num. 4 tom 3 pag. 189, ed. Oliveti Genevæ 1743, et ad recte faciendum impellens, et a delicto avocans; quæ non tum denique incipit lex esse, cum scripta est, sed tum*

cum orta est; orta autem simul est cum mente divina. Nemo hinc, qui peccat adversus juris naturæ præcepta communiter cognita, excusare se potest juris ignoratione, ut ait Apostolus *ad Roman. II.* 14 et 15.

§. XXIX. Quidquid hoc jure prohibetur malum est per se, quidquid jubetur bonum, proinde jus naturæ mutari non potest. Ejus fundamentum est ordinatus amor erga Deum, nos ipsos aliosque homines. Inde fluunt officia omnia naturalis ordinis, quibus tenetur humanum genus, et quæ vel justitiæ sunt, sive *absoluta* et *perfecta;* vel humanitatis et beneficentiæ, sive *imperfecta*; vel interdum justitiæ, interdum beneficentiæ, uti res ipsa sese offert, quæ *hypothetica* appellantur.

§. XXX. Ex jure naturæ efficitur *Jus gentium*, quod fere ipsum est jus naturæ, quo reguntur omnes homines societate conjuncti (1). Atque aliquandiu quidem post orbem conditum fuere familiarum societates, quas Deus ipse inchoaverat, sed nullæ tamen erant societates civitatum, et rerumpublicarum, quas deinceps homines, ratione duce, necessitate suadente iniverunt. Quo temporis cursu non exleges erant homines, cum jure naturæ uterentur haberentque etiam jus revelatum, quod est ad æternam salutem humano generi necessarium; sed nulli erant servi, et nulli item a civili republica constituti magistratus, quamquam non deessent, qui illis familiarum societatibus cum potestate præerant, quoniam sine rectore nulla hominum societas stare potest (2).

(1) Quidam jus gentium dividunt *in primarium et secundarium;* illud vocant jus naturæ, hoc vero peculiaria pacta, quæ inter plerasque gentes conventa sunt, quo referunt jura belli, legatorum, et similia. Sed non inde aliam juris speciem induci posse ostendit Pufendorf. *de Jur. nat. et gent. lib.* 2 *cap.* 3 §. 23.

(2) Inane falsumque est commentum illorum, qui tempus

fuisse putant, quo homines nulla prorsus societate conjuncti exleges erant et bestiarum more vitam traducebant. Vid. Joan. Franciscum Finettum *de Princip. jur. nat. et gent., lib.* 12 *cap.* 6 *tom.* 2 *pag.* 299 *et seq., ed. Venet. an.* 1764, ejusdemque libellum inscriptum *Apologia del genere umano accusato d'essere stato una volta bestia;* atque in primis vide libellum egregium et præstantissimum Emin. D. Card. Gerdil, cui titulus: *Discours sur l'homme considéré relativement à l'état de nature, et relativement à l'état de société.*

§. XXXI. Constitutis societatibus civitatum et rerumpublicarum, ut consociata multitudo recte apteque regeretur, instituere oportuit, qui ei imperarent. Harum vero societatum fundamentum esse debuit jus commune omnibus, jus nimirum omnium animis impressum, quod deleri tollique non potest, et quo, initio, simplices familiarum societates utebantur. Atque hoc est jus gentium, quo omnes gentes utuntur, et quod unum fere idemque cum jure naturæ est. Verum præter hoc jus, quod non opinio genuit, sed quædam innata vis inseruit, alias etiam addere oportuit leges, quas et populorum indoles, et rerum ac locorum ratio postulabat. Hinc ortum Jus civile, quod leges continet, quas sibi civitas unaquæque constituit.

§. XXXII. Positivæ et supernaturales leges a Deo traditæ sunt, cum per naturæ rationem hominibus compertæ esse non possent. Statutæ sunt hæ leges arbitrio ac voluntate Dei, et continentur Sacrorum Bibliorum veteris novique testamenti codicibus, et ecclesiæ catholicæ traditione explicantur. Complectitur vetus testamentum *moralia* præcepta, quæ ad mores pertinent; *cæremonialia*, quæ cæremonias ritusque sacrorum; *judicialia*, quæ judicia respiciunt.

§. XXXIII. *Judicialia* ac *cæremonialia* præcepta adventu Christi sublata sunt; et si qua adhuc vigent, ea servantur, quod ab ecclesia recepta sunt, non tamquam Mosaicæ legis reliquiæ, sed tamquam Apostolo-

rum atque ecclesiæ mandata (1). *Moralia* tamen præcepta perpetuo manent : nam ea sunt mandata ipsa juris naturæ, quæ cum vulgo obscurata essent pravis hominum cupiditatibus, Deus ipse restituit, lapideis tabulis a Moyse propositis, quibus ea continebantur. Et vero si certos tollamus dies festos, potissimum Dei cultui dicatos, qui lege Mosaica ad Sabbata pertinebant, cetera moralia præcepta Hebræorum ab ipsis naturæ legibus nequaquam differunt.

(1) Pluribus id ex causis factum est, potissimum quod ecclesia apostolorum vestigiis insistens quædam adoptavit, quæ ad rectum christianæ reipublicæ regimen conducere videbantur. Cujus rei exempla sunt *in cap. 1 et seq. de injur., cap. 1 et 2 de adulter., cap. 1 de furtis, cap. 1 de homicid.*, ubi renovantur pœnæ, quæ sancitæ fuerant in Exodo *cap. 21 et 22* contra homicidii, stupri, furti, injuriarum reos. Quæsitum est a viris doctis, utrum ecclesia cæremoniales Mosaicas leges excitare potuerit. Qua in re secernamus oportet leges illas, quæ mere cæremoniales sunt, uti vestes sacerdotales, altaria et cetera generis ejusdem, ab iis, quæ cæremoniales, et simul *typicæ* sunt, uti est circumcisio et similes. Illas quidem ecclesia renovare potuit, has vero non potuit, quoniam venturi Messiæ typi ejus adventu sublati sunt. Vid. orationem S. Amphilochii *in Domin. Circumcis. in Bibliothec. Patr., tom. 5 pag. 1060, ed. Lugdun.*, et Calmet *de circumcis. effect. inter dissertationes ejus latinas, tom. 2 pag. 187 ad 193, edit. Lucæ.* 1739. Licuit quidem aliquo saltem post Christi mortem temporis intervallo cæremonialia Hebræorum præcepta observare, Act. Apostolor. cap. XV. v. 19-21, et ideo non statim mortifera evaserunt, donec Evangelium satis late diffusum ac propagatum esset, *ut mortua synagoga cum honore sepeliretur.* S. Thomas 1. 2. *q.* 103 *art.* 4. Quam rem ita explicat S. Augustinus *epist.* 82 *num.* 16 *tom.* 2 *col.* 195 *indicatæ editionis Venetæ : Sicut defuncta corpora necessariorum officiis deducenda erat (lex vetus) quodammodo ad sepulturam, nec simulate, sed religiose; non autem deserenda continuo vel inimicorum obtrectationibus, tamquam canum morsibus, projicienda.*

§. XXXIV. Ut a Deo procedit jus divinum, ita humanum ab hominibus. Ejus autem tres sunt partes : *decreta summorum Pontificum, canones conciliorum, et*

scripta atque sententiæ SS. Patrum. Romanam ecclesiam matrem et magistram ecclesiarum omnium, et summum Pontificem ecclesiæ universæ caput Christus ipse constituit. Quare si quid ab eo decernitur in commune bonum, id tamquam a D. Petro decretum (1) tenendum a christianis est, atque esse apud omnes legis loco debet. Feruntur a Pontifice leges ob commune bonum ecclesiæ vel nutu ipsius, vel adhibito consilio cardinalium et episcoporum, aut motu proprio, aut aliquo rogante. Quovis modo lata sit Pontificia lex, ea parendi affert necessitatem.

(1) Frequens illud Patrum et Conciliorum est, quod Petrus per suos successores loquitur. Ita Philippus S. Cœlestini Legatus, in Concilio Ephesino, probantibus ejusdem Concilii Patribus, dixit hæc: *Petrus . . . ad hoc usque tempus, et semper in suis successoribus vivit et judicium exercet.* Concil. Ephesinum *act.* 3 *col.* 1154, *tom.* 3 *concil. collect. Labbei, edit. Venet.* In concilio Chalcedonensi, cum lectæ sunt litteræ a S. Leone ad Flavianum datæ, Patres omnes una voce clamarunt: *Petrus per Leonem ita locutus est,* Concil. Chalcedonense, *act.* 2 *col.* 1256, *tom.* 4. Qua eadem formula usi sunt etiam III Constantinopolitani concilii Patres: *Per Agathonem Petrus loquebatur, act.* 18 *col.* 1090 *tom.* 7: S. Prosper, *contr. collat., cap.* 5 *num.* 3 *pag.* 184, *edit. Venet.* 1754. *Sacrosancta,* inquit, *B. Petri Sedes per universum orbem Papæ Zosimi sic ore loquitur.* Postremo, ne omnes colligam, quod longum esset, S. Petrus Chrysologus, *in ep. ad Eutychet. pag.* 16, *edit. August. Vindelic.* 1758. *B. Petrus,* inquit, *qui in propria sede vivit et præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.*

§. XXXV. Prioribus sæculis Romani Pontifices generales regulas plerumque in concilio edere solebant (1): sed sæpe etiam litteris ad certas ecclesias datis, quæ deinceps omnibus communes fiebant (2), mandata legesque suas comprehendebant. Quas litteras semper christiani omnes ea, qua par est, reverentia susceperunt, et semper etiam graviores de fide ac disciplina controversias ad judicium sedis apostolicæ detulerunt (3).

Pontificum generales sanctiones, ad episcopos christianosque omnes datas, loquendi usus Bullas nuncupavit. Hodie Pontifex si quid pro universa ecclesia statuit, aut Bulla utitur, aut decreto alicujus sacræ congregationis cardinalium, quod ipse probaverit, iisdem utitur in privatis quoque negotiis; sed hæc plerumque per Breve expediuntur.

(1) Vid. S. Leon. *ep.* 16 *cap.* 7 *tom.* 1 *col.* 724, *edit. Fratr. Ballerin. Venet.* 1753.

(2) Cum summi Pontifices ad aliquem episcopum decreta mittebant, quibus omnes obstringi vellent, solebant præcipere, ut eadem aliis atque aliis per litteras nunciarentur. Quare cum Himerius Tarraconensis regularum librum a Siricio accepit, jussus est, ut non solum ad episcopos suæ provinciæ, *sed etiam ad universos Carthaginenses et Bœticos, Lusitanos, atque Gallicios, vel eos, qui vicinis tibi collimitant hinc inde provinciis, hæc, quæ a nobis sunt salubri ordinatione disposita, sub litterarum tuarum prosecutione mittantur,* uti scriptum est in ejus epistola *num.* 20, apud Coustantium *epistol. Romanorum Pontific. col.* 657, *Paris* 1721. Similiter Zosimus *in epistola ad Hesychium Salonitanum n.* 4 ap. eumdem Coustantium *loc. cit. col.* 970. *Ne quid meritis,* inquit, *dilectionis tuæ derogaremus, ad te potissimum scripta direximus, quæ in omnium fratrum, et coepiscoporum nostrorum facies ire notitiam, non tantum eorum, qui in ea provincia sunt, sed etiam, qui vicinis dilectionis tuæ provinciis adjunguntur.* Quod etiam ex pluribus Leonis M. locis manifestum est. Ita *epist.* 159 *ad Nicetam Aquilejensem c.* 7 *col.* 1335, *tom.* 1. *Hanc autem,* inquit, *epistolam nostram, quam ad consultationem tuæ fraternitatis emisimus, ad omnes fratres et comprovinciales tuos episcopos facies pervenire, ut in omnium observantia data prosit auctoritas.* Hinc quædam Pontificiæ litteræ, quæ initio ad certos episcopos, aut ad certas provincias datæ erant, cum deinceps ad alios episcopos aliasque provincias missæ fuissent, in quibusdam manuscriptis illam in epigraphe additionem acceperunt *et universas provincias.* Ita epistola 4 S. Leonis M. inscripta est non solum *omnibus per Campaniam, Picenum et Tusciam,* ad quos initio data fuisse videtur, sed *et universas provincias constitutis;* qua de re vide notas Fratrum Balleriniorum in eamdem epistolam, *t.* 1 *col.* 611. Ex quo intelligitur, quemadmodum Pontificiæ leges, quæ litteris comprehendebantur, omnes facile innotescerent, quamquam nullis esset publicus ca-

rum codex, uti ostendit Petrus Coustantius *Præfat. ad 1 epist. Roman. Pontif., num.* 45 *pag.* 47, *an.* 1721.

(3) Primo ecclesiæ sæculo S. Clemens I, a Corinthiorum ecclesia consultus *scripsit*, uti narrat S. Irenæus, *lib.* 3 *contr. hæres. cap.* 3 *num.* 3 *pag.* 176, *edit. Massueti, Paris.* 1710, *potentissimas litteras Corinthiis ad pacem eos congregans, et reparans fidem eorum et annuntians, quam in recenti ab Apostolis acceperat, traditionem.* Quam epistolam S. Dionysius Corinthiorum episcopus apud Eusebium *eccles. histor. lib.* 4 *cap.* 23 *pag.* 187, *edit. Valesii Cantabrigiæ* 1720, S. Epiphanius *advers. hæres. lib.* 1 *hæres.* 27 *num.* 6, *pag.* 107 *tom.* 1, *edit. Petavii Paris.* 1622, S. Hieronymus *de Vir. illustr. cap.* 15 *pag.* 859 *tom.* 2, *edit. Vallarsii Veron.* 1734, aliique memorant, quæque exstant apud Coustantium *epistol. Romanorum Pontificum pag.* 9, quo opere etiam reliquæ, quæ nunc manent, summorum Pontificum decretales epistolæ comprehenduntur. Magna pars harum epistolarum temporis injuria periit, ut multæ perierunt, quæ a S. Damaso datæ sunt, et in quibus conscribendis multam ei sese operam præbuisse testatur S. Hieronymus, *ep.* 123 *num.* 10 *tom.* 1, *pag.* 901. Sed tamen certum est, semper cunctas ecclesias ad Romanam, matrem et magistram omnium, graviores controversias detulisse; quod manifestum est ex omnibus ecclesiasticis monumentis, atque ex decretalibus epistolis summorum Pontificum, tum quas memorant antiqui Patres, tum quæ nunc etiam exstant. Ac dignæ in primis memoratu sunt litteræ sanctissimorum Pontificum Innocentii I et Leonis M., ex quibus intelligitur, quam multa ex tota ecclesia negotia omnes ad sedem apostolicam deferrent, ut ejus judicio finirentur. Nam ille scribens ad Patres concilii Milevitani, *ep.* 30 *apud Coustantium col.* 895, sese eorum litteras accepisse inquit, *Inter ceteras Romanæ ecclesiæ curas, et apostolicæ sedis occupationes, quibus diversorum consulta fideli ac medica disceptatione tractamus;* et paulo post ipsis compertum esse ait: *quod per omnes provincias de apostolico fonte petentibus responsa semper emanent.* Quod etiam confirmat ipse Innocentius *epist.* 37 *col.* 910, ubi testatur, id semper factum fuisse, scilicet omnia *ad nos, quasi ad caput, atque ad apicem episcopatus, referre, ut consulta videlicet sedes apostolica ex ipsis rebus dubiis certum aliquid faciendumque pronuntiet.* Leo autem M. *ep.* 10 *tom.* 1 *col.* 634, *edit. Ballerin.*, ostendit apostolicam sedem *innumeris relationibus esse consultam.* Huc quoque spectant litteræ datæ ab Justiniano Imp. ad Joannem summum Pontificem, quæ descriptæ sunt in *L.* 8 *C. de Sum. Trinit. Nec enim,* inquit Imperator, *patimur, quidquam, quod ad ec-*

clesiarum statum pertinet, quamquam manifestum et indubitatum sit quod movetur, ut non etiam vestræ innotescat sanctitati, quæ caput est omnium sanctarum ecclesiarum.

§. XXXVI. Et cum Pontificiæ leges vel generales sint, vel speciales, quæ scilicet ex certa causa, persona, loco, tempore prodierunt, illæ omnes generatim obstringunt, hæ vero ad illos pertinent, pro quibus editæ sunt (1). Speciales constitutiones etiam rescripta dicuntur, quæ cum altero rogante emitti soleant, illud semper tacite habere censentur, *si preces veritate nitantur* (2). Quare per subreptionem atque obreptionem irritum est rescriptum, cum nimirum aliquid falsi narratum est, aut prætermissum veri, quod omnino scire oportebat (3). Sunt autem rescripta vel *justitiæ*, quæ ad justitiam recte administrandam pertinent, vel *gratiæ*, quæ ex principis beneficio et liberalitate procedunt. Atque huc spectant privilegia, quæ jus singulare concedunt vel certo homini, vel hominum certo generi, modo ad tempus, cujus generis sunt privilegia personalia, modo in perpetuum, quæ vocantur privilegia realia, vel quæ certo personarum generi perpetuo tribuuntur (4).

(1) *Can.* 3. *dist.* 3.
(2) *Cap.* 2. *de rescript.*
(3) *Cap.* 6, 8, 10, 20 *de rescript. c.* 5 *de Offic. Vicar.*
(4) Proprie in singulas personas confertur privilegium, sed nunc latior huic vocabulo significatio data est. Consule Cujacium *observ. lib.* 15 *cap.* 8 *opp., tom.* 13 *col.* 597, *edit. Venet.* 1758, et Gravinam orig. *jur. lib.* 2 *cap.* 74 *pag.* 141, *edit. Neapol.* 1722.

§. XXXVII. Partem alteram Juris canonici scripti conficiunt canones conciliorum. Quemadmodum conventus hominum, deliberandi vel aliquid discernendi causa instituti, synodi apud græcos, concilia apud latinos dicebantur, ita in ecclesia utroque nomine appellantur cœtus et consessus catholicorum antistitum, qui ecclesiasticis de causis

unum in locum convenerunt. Jam inde ab apostolorum ævo existimatum est, bene ecclesiæ futurum, si graviora negotia, si controversiæ, disceptationesque componerentur ac definirentur ab episcopis in unum congregatis. Quod non semel fecerunt apostoli, quos inter se convenisse constat, ut alius sufficeretur apostolus Judæ proditori, ut eligerentur diaconi curarenturque viduæ, atque ut christiani Mosaica lege et Circumcisione soluti declararentur (1). Apostolorum exemplum sequuta ecclesia sæpe conciliis est usa, cum magna christianæ reipublicæ utilitate (2).

(1) Act. Apost. *I.* 26 *et seq.*

(2) Ad nullam tamen fidei controversiam, quamtumvis obscuram, definiendam generale concilium *absolute* esse necessarium ostendit Zaccaria *in Antifebron. tom.* 2, *diss.* 2, *cap.* 11 *num.* 7, et *in Antifebron. vindic. pag.* 2 *dissert.* 5 *cap.* 7; quamquam valde utile sit, et interdum etiam pro temporum ratione necessarium esse possit.

§. XXXVIII. Concilia vel œcumenica, aut generalia, vel topica, aut particularia sunt. Ut concilium generale habeatur, tria servare oportet. I. Concilium indicendum est consensu et auctoritate Romani Pontificis (1), qui per se ipsum, vel per legatos suos concilio præesse debet (2). II. Omnes vocandi sunt ex toto orbe catholici episcopi: quamquam nihil referat, quod omnes præsentes non sint (3). III. Denique concilii acta a Pontifice sunt confirmanda (4).

(1) *Can.* 1 *et seq. dist.* 17. Atque id quidem diserte profitentur Patres concilii Constantinopolitani 1. *in epist. synodic. ad Damasum*, quæ est apud Theodoritum *Hist. lib.* 5 *cap.* 9 *pag.* 180, *edit. Valesii Taurini* 1748; idemque docent Pelagius II *epist.* 8 ad episcopos, quos Constantinopolim vocaverat Joannes Patriarcha Constantinopolitanus apud Labbeum *tom.* 6 *Concil. col.* 633 *et seq.*, *Venet. Coleti*, quam epistolam probavit etiam Pelagii successor Gregorius M. *epist.* 43 *lib.* 5 *opp.*, *tom.* 2 *col.* 770,

edit. Paris. 1705, idem præterea Nicolaus I *epist.* 22 *ad Episc. Galliæ et German. tom.* 9, *Concil. Labbei col.* 1412, *edit. ejusd.* atque Hincmarus Rhemensis *opus.* 55, *cap.* 20 *tom.* 2 *pag.* 451 *et seq., edit. Sirmondi Paris.* 1645. Vidè Christianum Lupum *schol. in can.* 16 *dictat. S. Gregorii VII tom.* 5 *opp. pag.* 254, qui hoc jus Romano Pontifici late vindicat contra Joannem Launojum, Bianchium, *della potestà e della polizia della Chiesa, tom.* 4 *lib.* 2 *cap.* 3, §. 8 *pag.* 512; Bertium *Histor. Eccles. tom.* 3, *dissert.* 1 *cap* 18 *pag.* 31, *et dissert.* 5 *cap.* 3 *num.* 2 *seqq. pag.* 188, *edit. Bassani* 1769; Ballerinium *de potest. eccles. sum. Pontif. et Concil. gener., cap.* 6 §. 1 *pag.* 88 *edit. August. Vindelic.* 1770; Zaccariam *Anti-Febron. par.* 2 *lib.* 4. *cap.* 1 *seq.*; Cerbonium *de jur. et leg. disciplin. tom.* 3 *lib.* 22.

(2) Hinc Vitus et Vincentius Romani presbyteri, atque ut plerique sentiunt, Osius Cordubensis episcopus nomine S. Silvestri concilio Nicæno præfuerunt, atque ita imposterum factum est in omnibus conciliis usque ad novissimum Tridentinum.

(3) Consule Melchiorem Canum *de loc. theolog., lib.* 5 *cap.* 3 *pag.* 149, *edit. Patavii* 1727.

(4) De Nicæni concilii confirmatione videndus Bertius *loc. cit. dissert.* 1 *cap.* 30, *num.* 3 *pag.* 50. De eadem confirmatione testimonium perhibet Synodus Romana *ep. ad cler. et Monach. orient.* apud Labbeum *tom.* 5, *Concil. col.* 248, cujus verba sunt hæc: *Trecenti decem et octo SS. Patres apud Nicæam congregati confirmationem rerum, atque auctoritatem S. Romanæ ecclesiæ detulerunt.* Atque id quidem consentaneum est antiquæ regulæ, quam memorat Socrates *Histor. lib.* 2 *cap.* 8 *pag.* 74, *edit. Taurin.* 1747, inquiens, *Canon ecclesiasticus vetat, ne decreta absque sententia episcopi Romanæ ecclesiæ sanciantur, et cap.* 17 *pag.* 83. Quid vero egerit, et quam potestatem exercuerit Constantinus Imperator in eadem Nicæna synodo ostendunt Christianus Lupus *schol. cap.* 9 *opp. tom.* 1 *pag.* 281, *edit. Venet.* 1724, et Bertius *loc. cit. cap.* 17 *et* 18, *pag.* 29 *seq.* De Constantinopolitana, deque Ephesina synodo hoc est II et III œcumenica, fuse agit Bianchius *della potestà e della polizia della Chiesa lib.* 2 *cap.* 3, §. 11 *num.* 3 *et seq. tom.* 4, *pag.* 556 *seq.*, qui ostendit, quas in his duabus synodis partes apostolica sedes habuerit. Concilii Chalcedonensis œcumenici IV Patres *in relatione ad S. Leonem M.* eorum, quæ in synodo gesta fuerant *tom.* 4, *Concil. col.* 1778 *collect. Labbei, edit. Venet.* approbari a summo Pontifice, confirmarique postularunt ea, quæ ipsi in concilio constituerant, *et alia quædam,* inquiunt, *pro rerum ipsarum ordinata quiete, et propter ecclesiasticorum statutorum definivimus firmitatem,*

scientes quia et vestra sanctitas addiscens et probatura, et confirmatura est eadem. Similia scribit Marcianus Imperator ad S. Leonem P. *inter epist. S. Leonis* 100 *opp. tom.* 1 *col.* 1114, *edit. Ballerin. Venet.* 1755, et Anatolius episcopus Constantinopolitanus *ib. ep.* 101 *cap.* 5 *col.* 1154, *et ep.* 132 *c.* 4 *col.* 1263, *Et sic*, inquit, *gestorum vis omnis, et confirmatio auctoritati vestræ Beatitudinis fuerit reservata.* Leo M. jus suum agnovit confirmandi concilii decreta, noluit tamen confirmare privilegia ecclesiæ Constantinopolitanæ, quæ in ea Synodo fuerant stabilita, uti patet ex ejus litteris datis ad Anatolium, ad Marcianum *cit. tom.* 4. *Concil. col.* 1785 *seqq.;* atque ad Synodum universam *ib. col.* 1827, in quibus per suam *approbationem gestorum synodalium* rata firma se haberi velle declarat tantum ea, quæ de fide fuerant constituta. Videnda est etiam ipsius Leonis *ep.* 117 *ad Julianum Coensem, col.* 1208 *tom.* 1 *opp. S. Leon. edit. cit.;* in qua testatur se scriptis ad omnes episcopos, qui Chalcedonensi synodo interfuerant, directis demonstrasse, hanc synodum a se approbatam fuisse, ut omnem adimat dubitationem iis, qui *infirma vel dubia videri volunt statuta concilii, quæ nulla sunt consensus mei sententia roborata.* Synodum V œcumenicam confirmavit Vigilius Pontifex, uti testatur Evagrius *histor. eccles. lib.* 4 *cap.* 38 *pag.* 379, *edit. Taurin.* 1748, patetque ex Vigilii epistola decretali apud Labbeum *tom.* 6 *Concil. col.* 239 *seqq.*, in quam epistolam videnda est dissertatio P. de Marca *ib. col.* 245 *seqq.* Synodi VI confirmationem datis ad Agathonem litteris apud Labbeum *tom.* 7 *Concil. col.* 1114, postularunt ejus concilii Patres his verbis : *Quam ut iterum per honorabilia vestra rescripta confirmetis, vestram oramus paternam sanctitatem.* Mitto cetera œcumenica concilia, ne longus sim, atque in Tridentino consistam, cujus Patres cum hanc in Romano Pontifice auctoritatem manifesto deprehenderent, dederunt operam, ut quæ in concilio decreta fuerant, a Pio IV confirmarentur. Pontifex igitur concilii decreta confirmat, atque iis etiam recte derogat, quod in primis fit sæpissime in impedimento cognationis intra quartum gradum, quod est inductum a concilio Lateranensi IV. Atqui neutrum facere posset Romanus Pontifex, nisi concilio præstaret. Late de hoc argumento disserui ip opere *Jus Canonicum universum, tom.* 3 *lib.* 2 *tit. ult.*

§. XXXIX. Generalium conciliorum duo sunt potissimum, definire catholicum dogma, atque ecclesiasticam disciplinam constituere. Atque illa quidem, quæ in œcumenicis conciliis de fidei dogmatibus sancita et

a summo Pontifice approbata sunt, divinam obtinent auctoritatem; quæ disciplinam respiciunt, eorum quoque sancta est auctoritas, tum quod hi canones *Spiritu Dei* conditi habentur, tum quod ecclesiasticam disciplinam moderari semper pastorum fuit proprium et præcipuum munus. Verum hujusmodi canones, qui de disciplina sunt, uti postulat ratio temporum, non raro immutantur, quo spectat illud Augustini (1) : *concilia plenaria priora posterioribus immutari.*

(1) *Confess. lib.* 3 *cap.* 7, *col.* 93 *tom.* 1, *et de Baptism. lib.* 2 *cap.* 3. tom. 9 col. 98 *cit., ed. Venet.*

§. XL. Generalibus conciliis, præter episcopos, intersunt etiam atque subscribunt S. R. E. Cardinales, qui certe eo jure usi sunt in conciliis Lugdunensibus I et II, itemque Moderatores, sive, ut vocant, generales ordinum regularium et abbates ab episcopo benedicti. Principes quoque et Imperatores vel per se ipsos, vel per legatos suos adesse consueverunt, sed ut præsentia sua omnes in officio continerent, atque ad exitum perducenda curarent, quæ ab episcopis sancita fuerant, non ut quidquam de rebus sacris atque divinis constituerent (1). Quin etiam interdum vocatos constat presbyteros et diaconos, aliosque clericos, præsertim ut adversus hæreticos disputarent (2).

(1) *Expedit, ut reges et principes,* inquit, *in tractat. de reform. eccles. cap.* 6 *inter opera Jo. Gersonii, tom.* 2 *col.* 915, *ed. Antverpiæ* 1706, cardinalis Petrus de Alliaco, *mittant ad generalia concilia, non ad onerandum et confundendum, sed ad honorandam et confortandam ecclesiam, et ad ea, quæ ibi decreta fuerint, quantum in eis est, exequendum.* Et recte Osius apud S. Athanasium *Histor. Arianor. ad Monach. cap.* 44 *tom.* 1, *part.* 1 *pag.* 293, *ed. Maurin. Patavii an.* 1777 ajebat Constantio Imperatori : *Ne te rebus misceas ecclesiasticis; neu nobis his de rebus præcepta mandes, sed a nobis potius hæc edisces. Tibi Deus imperium tradidit, nobis ecclesiastica concredidit. Ac quemadmodum qui tibi imperium subripit, Deo ordinanti*

repugnat, ita metue, ne si ad te ecclesiastica pertrahas, magni criminis reus fias. Vid. Eusebium *in vit. Constantin. lib. 4 cap. 24 pag. 638, ed. Valesii Cantabrigiæ an. 1720.* Quod luculentius expressit Marcianus Imperator in concilio Chalcedonensi *act. 6*, apud Labbeum *tom. 4 col. 1473*, et Valentinianus apud Sozomenum *lib. 6 cap. 7 pag. 210, ed. Taurin. 1747.*

(2) Id de Nicæna Synodo testatur Eusebius *de vit. Constantin. lib. 3 cap. 7 et 8, pag. 521 et 522, ed. Valesii Taurin., 1746*, et Socrates *Histor. Eccles. lib. 1 cap. 8 p. 16 ed. ejusd.*, et dignus præsertim memoratu est Athanasius, qui adhuc diaconus huic synodo interfuit, ut adversus Arianos disputaret. Presbyteri et alii clerici interdum etiam ad concilium veniebant tamquam procuratores absentium episcoporum. Qua in re magnum inter Orientalia et Occidentalia concilia discrimen erat. Nam in orientalibus absentis episcopi procurator eum tenebat locum, quem episcopus ipse tenere debuisset, in occidentalibus suum post omnes episcopos locum habebat. Vide Christianum Lupum *in not. ad can. 7 Conc. Trullani tom. 3 oper. pag. 64, ed. Venet. 1724.*

§. XLI. Particularia, aut topica concilia alia a patriarchis, alia a metropolitis, alia ab episcopis convocantur. Patriarcha omnes sui patriarchatus, metropolita omnes provinciæ episcopos vocat; atque lex patriarchalis concilii omnes afficit patriarchatus ecclesias, concilii autem provincialis ecclesias omnes provinciæ. Si metropolita, aut primas, vel patriarcha concilio totique nationi præsit, concilium nationale appellatur.

§. XLII. Provinciale concilium tertio quoque anno habendum est a metropolita (1), eove impedito, aut vacua sede ab episcopo provinciæ antiquiore (2); convenireque jussu ejus debent omnes provinciæ episcopi, abbates, et quotquot venire consueverunt, quin etiam episcopi exempti, quibus eligendus est vicinus aliquis metropolita, ad cujus provinciæ synodum accedant (3). Omnes hi concilio interesse coguntur, et si justa causa impediantur, procuratorem mittere et excusationem debent (4). Ea vero quæ in concilio provinciali sunt constituta, antequam promulgentur, mittenda sunt ad

sacram congregationem concilii, ut emendetur si quid minus recte decretum sit (5); quin etiam interdum a summo Pontifice confirmantur. Verum hæc confirmatio non efficit, ut, canones extra provinciam, in qua sunt conditi, vim consequantur (6).

(1) Conc. Trident. *sess.* 24. *cap.* 2 *de reform.* Olim vero provincialia concilia bis in annis singulis haberi debebant *can.* 2 *dist.* 18 *Canon. Apostolor.* 38 *seu* 30, *apud Cotelerium PP. Apostolic., pag.* 447 *tom.* 1, *edit. Amstelodami an.* 1724. *Concilium Nicænum, can.* 5 *tom.* 2 *col.* 35 *collect. Labbei, edit. Venet.*

(2) Vide Fagnanum *in Cap.* 25 *de accusat. num.* 16, et Benedictum XIV *de Synod. Diœces. lib.* 2 *cap.* 9 §. 8.

(3) Conc. Trident. *Sess.* 24 *cap.* 2 *de reform.* Vocandos etiam esse canonicos ecclesiarum cathedralium, non tamen invitos cogendos esse ad veniendum, ostendit Benedictus XIV *loc. cit. lib.* 3 *cap.* 4 §. 1.

(4) *Can.* 9 *et* 10 *dist.* 18.

(5) Sixtus V *in Constit. Immensa* 117, *tom.* 4 *par.* 4 *Bullar. postrem. Edit. Roman. pag.* 396.

(6) Confer Benedictum XIV *loc. cit. lib.* 3 cap. 3 §. 4. ubi etiam aliquot provincialia concilia a summo Pontifice approbata recensentur.

§. XLIII. Episcopus autem vocat ad concilium suum, quod diœcesanum dicitur, archipresbyteros, archidiaconos, et ceteros, qui dignitatem habent, personatum, officium, vicarium generalem, et vicarios foraneos (1), parochos, et omnes, nemine prorsus excepto, qui curam habent animarum (2), præterea capitulum ecclesiæ cathedralis, et canonicos collegiatarum (3), abbates sæculares, atque etiam regulares, qui generalibus capitulis non subduntur (4), cunctosque exemptos, qui alioquin, sublata exemptione, ad synodum venire deberent. (5).

(1) Consule Benedictum XIV *loc. cit. lib.* 3 *cap.* 3. Quin etiam interdum simplicia quoque beneficia obtinentes ad synodum venire debent, uti ostendit ipse Benedictus *loc. cit. cap.* 6.

(2) Ita regulares omnesque exempti ab episcopi jurisdictione venire ad synodum debent, cum habent curam animarum, Conc. Trident. *sess.* 24 *cap.* 2 *de reform.* eademque lege teneri etiam

capellanos religionis Hierosolymitanæ decrevit S. Pius V *Constit.* 104, *tom.* 4 *par.* 3 *p.* 49, *Bullar.* et Gregorius XIII *Constit.* 125 §. 5 *loc. cit. pag.* 456.

(3) Vid. Benedictum XIV *loc. cit. lib.* 3 *cap.* 4.

(4) An etiam abbates, qui dicuntur *nullius diœcesis*, ad episcopi synodum venire compellantur, disputat Benedictus XIV *loc. cit. lib.* 3 *cap.* 1 §. 16.

(5) Conc. Trident. *sess.* 24 *cap.* 2 *de reform.*

§. XLIV. Habenda sunt hæc concilia annis singulis (1), quæque ibi decreta sunt, obstringunt diœcesim universam. Ea jure indicit episcopus electus et confirmatus; haud vero archiepiscopus, antequam pallium acceperit (2), neque episcopus *titularis* (3), neque vicarius generalis, nisi peculiarem ea de re potestatem ab episcopo impetraverit (4), neque vicarius capitularis, nisi post annum ab proxime habita synodo (5), neque demum vicarius apostolicus, non impetrata venia a summo Pontifice (6).

(1) Conc. Trident. *sess.* 24 *cap.* 2 *de reform.*

(2) Vide Benedictum XIV *loc. cit. lib.* 2 *cap.* 5 et 6. Sunt vero quidam episcopi, qui a sede apostolica pallii usum obtinuerunt; sed eos habere synodum posse, etiam antequam pallium acceperint, ostendit ipse Benedictus *cit. cap.* 6.

(3) Benedictus XIV *ib. cap.* 7.

(4) Benedictus XIV *ib. cap.* 8.

(5) Ib. *cap.* 9.

(6) Quod intelligendum, modo in litteris, quibus vicarius apostolicus est constitutus, non sit expressa facultas, quæ ut plurimum exprimi solet, habendæ synodi; nam si hæc expressa fuerit, dubitandi locus esse non potest, quin ei synodum habere liceat. Ceterum si vicarius apostolicus sit constitutus, ut regat ecclesiam, quæ vacua est propter episcopi obitum, aut translationem, is in cogenda synodo utitur eodem jure, quo vicarius capitularis. Vide Benedictum XIV *loc. cit. c.* 10.

§. XLV. Denique tertia pars juris humani scripti Sanctorum Patrum sententiis continetur. Non hæ porro sententiæ suo jure christianos obligant, cum SS. Patres non latores legum sint, sed interpretes tantum, atque doctores. Verumtamen scitum est, eos fidem probabilem facere, si complures; certam vero, si plerique

omnes in eadem sententia conveniant. Quin etiam summi Pontifices plures unius, alteriusve Patris sententias in juris corpus retulerunt; atque hæ Pontificia auctoritate vim legis habent. Appellantur autem Sancti Patres pii illi doctique viri, qui præsertim usque ad duodecimum ecclesiæ sæculum res divinas scriptis illustrarunt, quorumque opera ab ecclesia probata sunt, et magna ex parte ad nos pervenerunt (1).

(1) Sancti Patres nobis sunt, ut inquit S. Vincentius Lirinensis *in commonitor. cap.* 39 *pag.* 261 *tom.* 7, *Biblioth. Patr. ed. Lugd., qui in fide et communione catholica sancte, sapienter, constanter viventes, docentes et permanentes, vel mori in Christo fideliter, vel occidi pro Christo feliciter meruerunt. Hi enim,* ut inquit S. Augustinus *lib.* 2 *contr. Julian. Pelagian. cap.* 10 *tom.* 15, *col.* 679 *et* 682, *edit. Maurin. Venet.* 1768, *quod invenerunt in ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod a patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt. . . . et his post apostolos sancta ecclesia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, nutritoribus crevit.*

§. XLVI. Placuit etiam summis Pontificibus in corpus Juris canonici referre leges quasdam civiles, eductas potissimum ex codicibus Theodosiano et Justinianeo, atque ex capitularibus regum Francorum (1). Verum hæc omnia non suo jure pertinent ad canonicam Jurisprudentiam, quæ tota propria est ecclesiæ, sed tantum legem faciunt, quoniam a Romanis pontificibus sui juris corpore comprehensa et proposita sunt, ut legis loco essent.

(1) Capitularia continent leges regum Francorum, quæ hoc nomine appellantur, quoniam *capitulatim* fere omnes edicebantur. Proprie leges ipsæ *capitula*, et singulæ capitulorum edictiones *capitularia* dicebantur. His capitulis intererant etiam episcopi, ideoque in iis de rebus quoque ecclesiasticis agebatur. Non omnia tamen capitula legis nomine constituebantur, in quo errat Stephanus Baluzius, qui de cetero hæc capitularia magna doctrina, magnoque studio ac diligentia collegit. Vide Diatribam *de Ecclesiast. rit. instituti etc. Romæ edit. an.* 1778, ab Hermanno Dominico Christianopulo *sect.* 3 §. 38 *pag.* 46, ubi multa de his capitularibus præclara observantur.

CAPUT IV.

De Jure non Scripto.

XLVII. Traditio.
XLVIII. Divina, vel humana.
XLIX. Utriusque discrimen.
L. Consuetudo.

§. XLVII.

Jus non scriptum traditione comprehenditur et consuetudine. Traditionis nomine intelligimus mandata, quæ non scripto, sed viva voce populis nunciata sunt et ecclesiæ observata consensu quasi per manus tradita ad nos pervenerunt. Maxima semper in ecclesia fuit traditionis auctoritas et qui eam despiciunt, plectuntur pœna anathematis a concilio Tridentino (1). Non enim omnes oportuit ecclesiæ res scripto mandare, satisque fuit, si in pectore sacerdotum servarentur, cum traditione, tum ecclesiæ usu quotidiano. Hujus disciplinæ causas viri docti copiose et diligenter explicarunt (2).

(1) *Sess.* 4

(2) Egregie S. Basilius apud Gratian. *can.* 5. *dist.* 11 inquit: *Dogmatum et Institutionum, quæ in ecclesia servata sunt, alia quidem habemus ex doctrina, quæ litteris consignata est, et alia vero ex apostolorum traditione ad nos transmissa in mysterio recepimus. Quæ utraque eamdem vim ad pietatem habent, atque his sane nemo contradixerit, qui vel exigua legum ecclesiasticarum peritia sit præditus.* Et paulo post: *Non enim iis contenti sumus, quorum Apostolus et Evangelium mentionem fecerunt; sed alia quoque cum antea, tum post dicimus, utpote quæ magnum momentum ad ipsum mysterium habeant doctrina non scripta, sed tradita eruditi.* Vid. Tertullianum *de coron. cap.* 3, *pag.* 101 *et* 102, *ed. Venet.* 1744, Irenæum *tom.* 2, 6, 2, S. Hieronymum *in Dialog. advers. Lucifer.* c. 8 *tom.* 2. *col.* 180, *ed. Vallarsii*, S. Au-

gustinum *lib.* 2 *cap.* 7 *contr. Donat. tom.* 9 *col.* 102, *et contr. Julian. Pelag. lib.* 5 *cap.* 25 *et* 24, *tom* 10 *col.* 640, Melchior. Canum *de loc. Theolog. lib.* 5 *cap.* 5, Coustantium *in præfat. ad epist. Roman. Pontific., pag.* 2 *num.* 51 *pag.* 56. Pertinent etiam ad traditionis necessitatem ostendendam disciplina *arcani* quam ab ipsa Christi et apostolorum memoria repetit, quamque egregie præter ceteros illustravit Emmanuel Schelstratius peculiari dissertatione *De disciplina arcani.*

§. XLVIII. Traditio vel divina, vel humana est. Divina auctorem habet Deum ipsum, humana ecclesiarum rectores, hoc est apostolos, vel eorum successores episcopos, quibus placuit nonnulla decernere voce et prædicatione (1). Hinc humana traditio vel apostolica, vel ecclesiastica appellatur, prout ab apostolis, vel ab episcopis proficiscitur.

(1) Multi sunt, qui apostolicas traditiones in *mere apostolicas*, et *divino-apostolicas* dividendas putant; illas vocant, quæ ab apostolis, tamquam ecclesiarum rectoribus, originem repetunt, has contra, quæ a Christo immediate apostolis, ab his vero ecclesiæ viva voce datæ sunt, atque ad nos usque transmissæ. Sed hæc divisio naturam, atque originem confundit traditionis cum modo, per quem ea propagatur. Quidquid a Deo procedit divinum est, neque discrimen aliquod inducere potest modus, quo ad nos delatum est, cum ejus originem divinam esse constat. Quare omnis traditio, quam apostoli Christi ore, aut Spiritu S. dictante acceptam ad nos transmiserunt ut Christi præcones, et Christi nomine loquentes divina haberi debet. Ac si aliam traditionum divisionem educere velimus ex modo, quo ea propagatur, etiam traditiones ecclesiasticas *divino-ecclesiasticas* appellabimus, quandoquidem etiam ecclesia divinas traditiones ad nos transmittit.

§. XLIX. Inter divinas et humanas traditiones magnum discrimen est. Nam illæ ad catholicum dogma pertinent, vim eamdem habent, quam habent Sacræ Scripturæ, observandæ sunt in ecclesia universa, quæ illas abrogare non potest, quum ejus tantum sit interpretari divinas traditiones easque ab humanis secernere. Quo fit, ut ea solum divina traditio haberi debeat, quæ talis ecclesiæ judicio existimatur (1). Contra vero hu-

manæ traditiones ecclesiæ disciplinam respiciunt, mutantur ab ecclesia, cum id ejus utilitatis aut necessitatis ratio postulat (2), denique etsi interdum universales esse possint, pleræque tamen certis continentur regionibus, neque ad totam ecclesiam pertinent (3).

(1) Cum unitati religionis in primis obsit doctrinæ christianæ incerta fides, hinc constituenda nobis est auctoritas aliqua, cui in secernendis traditionibus sine metu erroris adhærere possimus. Quæ auctoritas uni ecclesiæ data est. Quare omnis traditio, quæ hujus judicii caret auctoritate, in pretio haberi non potest, et apposite S. Augustinus in celebri illa de rebaptizandis hæreticis controversia *lib.* 2 *c.* 32 *contr. Crescon. tom.* 12 *col.* 544, *ed. Venet.* 1756. *Non accipio,* inquit, *quod de baptizandis hæreticis et schismaticis B. Cyprianus sensit, quia hoc ecclesia non accipit, pro qua B. Cyprianus sanguinem fudit.* Habet autem ecclesia quosdam canones ad cognoscendam vim et naturam traditionis, de quibus late disputant scriptores rerum theologicarum.

(2) In quo tamen caute semper ecclesiam rem omnem egisse docet Innocentius *in Epist.* 17 *num.* 9 *ad Episcop. Macedon. col.* 835, *et epist.* 25 *ad Decent. Episc. Eugub. col.* 855, *apud Coustantium, Epist. Roman. Pontif.*

(3) Ita ex. gr. non eadem ubique est in pervigiliis Sanctorum jejunandi ratio. Sed ecclesiasticæ universalis traditionis illustre exemplum est *in biduo ante pascha absque divinorum sacramentorum celebratione transigendo,* quam in tota ecclesia semper observatam Innocentius I *in epist.* 25 *num.* 7, *ad Decent. Episc. Eugubin. ap. Coustantium col.* 859, *et ap. Gratian. dist.* 3 *can.* 13 *de consecr.* ex ecclesiæ institutione ad apostolorum imitationem educit his verbis : *Utique constat apostolos biduo isto et in mœrore fuisse, et propter metum Judæorum se occuluisse. Quod utique non dubium est, in tantum eos jejunasse biduo memorato, ut traditio ecclesiæ habeat isto biduo sacramenta penitus non celebrari.* Quomodo autem traditio ab ecclesia Romana ad alias transire deinceps possit, et vim ubique obligandi consequatur, docet ipse Innocentius *loc. cit. num.* 2.

§. L. Consuetudo jus est inductum moribus hominum et usu diuturno, quæ vim habet legis, modo honesta sit, laudabilis, ab omnibus diu servata, tacito,

aut expresso pastorum consensu introducta. Et sæpe recedimus a jure scripto, interdum non recedimus; illam consuetudinem *contra jus*, et hanc *præter jus* appellamus. Utraque consuetudo opus habet frequentia actuum, quibus inducatur (1), voluntate ejus inducendæ in illis, qui eam servare debent (2), consensu legislatoris, qui novum hoc jus observari consentiat (3), diuturnitate temporis, quod in consuetudine contra jus esse debet annorum quadraginta, decem vero in consuetudine præter jus, quod longum tempus in jure est (4). Cum hæc servata sunt, non modo consuetudo legi vim adimit, sed etiam vim tantam habet, ut ei recentiori lege non derogetur, nisi id nominatim conscriptum cautumque sit (5). Decreta tamen Concilii Tridentini contraria consuetudine tolli non possunt (6).

(1) Confer Cujacium *observ. lib.* 10 *cap.* 1, *tom.* 3 *col.* 525, *edit. Mutin. seu Venet.* 1758.

(2) *Leg.* 35 *ff. de legib.* Ceterum jus consuetudinis vim nullam habet, si quid populus agat voluntarie, ac sine animo suscipiendæ obligationis; quemadmodum pii quidam diuturnique usus jejunandi, aut orandi, cum desit voluntas populi, nullam obligationem inducunt.

(3) *Cap.* 18 *de præben.*

(4) Confer Interpretes in *Cap.* 25 *de verb. signific., cap.* 5. *de offi. Ordin. in* 6 *et Leg.* 2 *et* 3 *C. quæsit long. consuet.*

(5) *Cap.* 1 *de Constit. in* 6. Quare Tridentini Patres in decretis reformationis omnes contrarias consuetudines etiam immemorabiles expresse abrogare voluerunt, parique ratione utuntur legislatores omnes tum profani, tum ecclesiastici, cum novas constitutiones emittunt.

(6) Pius IV *Constit. In Principis* 109 *in Bullar. Magn. ult. edit. Rom. tom.* 4. *par.* 2 *pag.* 214.

CAPUT V.

De antiquis Juris canonici Collectionibus.

LI. Origo collectionum canonicarum,
LII. Earum ratio.
LIII. Canones Apostolorum.
LIV. Collectio lecta in concilio Chalcedonensi.
LV. Collectio Jo. Scholastici.
LVI. Ejus Nomocanon et aliæ Græcorum collectiones.
LVII. Initium collectionum canonum apud Latinos.
LVIII. Græcor. codex latine redditus.
LIX. Collectio Dionysii Exigui,
LX. Methodus hujus collectionis.
LXI. Collectio Hadriana.
LXII. Collectiones Africanæ, Hispanicæ, Gallicanæ et Fulgentii Ferrandi.
LXIII. Collectiones Martini Bracarensis et Cresconii.
LXIV. Collectio Isidori Mercatoris.
LXV. Capitula falso adscripta Hadriano.
LXVI. Isidori collectionis auctoritas.
LXVII. Romæ sero cognita.
LXVIII. Falsa sunt monumenta ea collectione comprehensa.
LXIX. Cur ob Isidoro conficta?
LXX et LXXI. Tota collectio spectat ad arcendas episcoporum accusationes.
LXXII. Canones Pœnitentiales. Collectiones Reginonis, Burchardi, Ivonis.

§. LI.

Patefactis fontibus Juris canonici, reliquum est ut videamus, quemadmodum ab iis fontibus deducti sint canones atque in unum corpus collecti, ne incerto vagarentur atque ut omnibus facilius innotescerent. Vix ullas initio novas leges condere opus fuit; sed labentibus annis cum multa quotidie inciderent, quæ regulis indigebant, quibus apte componerentur, oportuit evulgare canones; quod factum ab ecclesia est, non modo Constantino Imperatore, cum quiete et tranquillitate ecclesiæ data, seu christianis libere permissa religio est, sed etiam cum ipsi ethnicorum jugo premerentur. Hinc aucto in dies canonum numero, visum est eos ex multis conciliis collectos in unum corpus conferre, idque pri-

mum in Orientali, tum in Occidentali ecclesia factum est.

§. LII. Variæ variis temporibus prodiere hujusmodi canonum collectiones; sed non eadem omnium ratio fuit. Aliæ canones integros, aliæ contractos, quædam solum canones, quædam canones simul et leges habent, atque hæ a Græcis *Nomocanones* appellantur. Quod attinet ad methodum, in antiquioribus servata est ut plurimum ratio temporum, in recentioribus materiarum, scilicet ad certa capita et titulos relati sunt canones, ut materia ipsa postulare videbatur. Nos primum *antiquiores* persequemur Juris canonici collectiones; postea *recentiores*, quibus hodie in scholis et in foro utimur; denique explicabimus *jus novum*, quod postremo editum est.

§. LIII. Antiquissima, cujus mentio sit in ecclesiasticis monumentis, est collectio *canonum apostolorum*, quos Græci numerant *octuaginta quinque*, Latini tantum *quinquaginta* (1). Prodiit hæc collectio una cum *libris octo Apostolicarum Constitutionum* nomine Clementis Romani Pontificis (2), ac fuerunt, qui eas regulas apostolis tribuendas putarent (3). Sed cum earum nulla sit mentio apud illos, qui tribus prioribus sæculis res ecclesiæ scriptis illustrarunt (4); cum in iis multa sint, quæ cum apostolorum ætate componi nulla ratione possunt (5), et quædam etiam, quæ ecclesiæ doctrinæ adversantur (6); cum demum viri fuerint doctrina et auctoritate graves, qui eos apocryphos judicarent (7), certum omnibus exploratumque est, eos apostolis adscribi non posse (8). Unum autem in corpus collecti videntur III, aut forte etiam IV ecclesiæ sæculo, potissimum diversis ex Synodis, atque ex ea disciplina et legibus, quibus per tria priora sæcula Orientales ecclesiæ regebantur (9).

(1) Revera Dionysius Exiguus tantum quinquaginta retulit canones apostolorum, ejusque exemplum sequuti sunt in suis

collectionibus Cresconius, Isidorus Mercator aliique apud latinos canonum collectores. Quare in concilio Romano, quod habitum est anno 769, Stephano III Pontifice, *act. 4 collect. Labbei, tom. 8 collect.* 485, *ed. Venet.* habentur hæc: *Non amplius suscipiantur apostolorum canonum prolata per S. Clementem, nisi quinquaginta capita, quæ suscipit Sancta Dei catholica Romana ecclesia.* Quod etiam constitutum est *can. 3 dist.* 16. Itaque viri docti *in can. 2 dist.* 16, legendum esse animadvertunt *quinquaginta*, non *sexaginta*, quæ tamen decretalis Zephyrino Pontifici attributa ab Isidoro Mercatore conficta est.

(2) Duas hujus Pontificis epistolas tamquam veras judicant eruditi; altera integra est, alterius vero tantum fragmenta supersunt. Tum illa, tum hæc referuntur a Coustantio *in epistol. Roman. Pontific., pag. 9 et seq.*, et a Cotelerio *PP. Apostol. tom. 1 pag. 143 seq., ed. Antverp.* 1698. Harum epistolarum veritatem late demonstrat Natalis Alexander, *hist. eccles. sæc. 1. cap. 12 art. 12, tom. 3 pag. 41, edit. Venet.* 1776. Sed libros octo apostolicarum constitutionum et cetera, quæ Clementi tribuuntur, ejus revera non esse, ostendunt Bellarminus *lib. de Script. Eccles. in Clement. Roman., tom. 7. oper. pag. 25, ed. Venet.* 1728; Baronius *Annal. Ecclesiast. ad an. 52 §. 18, tom. 1 pag. 96, edit. Luc. an.* 1738, ibique Pagius *in critic. ad an. 100 §. 8 num. 9;* Perronius *Traité du S. Sacrement, lib. 2 du S. Sacrement de l'Eucharistie, cap. 2;* Petavius *ad Epiphanium expos. Fid., lib. 3 num. 10 pag. 290, edit. Paris.* 1622; Christianus Lupus *Synodor. general. par. 3 in can. 2, Conc. Trullan. tom. 3 pag. 55, ed. Venet.* 1724 *opp.* De Marca *Concord. Sacerdot. et Imper. lib. 3 cap. 2;* Natalis Alexander *Histor. Eccl. sæc. 1, dissert. 19 pag. 189 tom. 3 cit. edit. Venet.;* Cotelerius *loc. cit.*

(3) Fuit hæc pene recepta Græcorum sententia. Certe Joannes Antiochenus in ea se fuisse opinione non obscure declarat epigraphe ante hos canones descripta: *Sancti Domini discipuli et Apostoli octoginta quinque canones Clementis opera ediderunt.* Eadem videtur fuisse sententia concilii Trullani *can. 2*, uti ad hunc canonem animadvertunt Balsamon et Zonaras *in pand. can. Beveregii, pag. 159, Oxonii* 1672 *tom. 1.* Quin etiam S. Joannes Damascenus *lib. 4 de fid. Orthodox. cap. 17 tom. 1 pag. 284, edit. Lequienii Paris.* 1712, canones apostolorum inter libros hagiographos Sacræ Scripturæ recensendos putat; quod tamen eum inconsulto fecisse animadvertit Baronius ad *an. 102, num. 10 tom. 2 pag. 18, edit. Lucæ.* Quam Græcorum sententiam aliqui etiam ex latinis sequuti sunt, veluti

Turrianus *adv. Centur. Magdeb. lib.* 1, Panvinius *in tab. conc. præmiss. vit. Pontific. Platinæ.*

(4) Certe Victor Pontifex in controversia de Paschate celebrando contra Asiaticos nusquam meminit canonum apostolorum, neque eos item memorarunt S. Cyprianus, aut Firmilianus, cum adversus Stephanum Pontificem gravis illa de Baptismo hæreticornm controversia ferveret, quamquam omnes horum canonum auctoritate sententiam suam tueri possent. Maximi etiam momenti est silentium Eusebii Cæsariensis et S. Hieronymi, qui in conservanda scriptorum apostolicorum memoria diligentissime versati sunt.

(5) In his canonibus mentio est *Cantorum, Lectorum, Hypodiaconorum,* similiter habetur parochiarum distributio, annua concilia metropolitana, distinctio bonorum ecclesiæ a bonis episcopi, quo referuntur canones 14, 15, 27, 38, 40 et 43 ap. Cotelerium *PP. Apost. pag.* 443 *seq. tom.* 1, *edit. Amstelodami* 1724. Verum hæc omnia multo post apostolorum et S. Clementis ætatem instituta sunt.

(6) Ita can. 46 et 47 hæreticorum baptismus rejicitur, et can. 65 trina mersio in baptismo necessaria dicitur ad vim sacramenti. Quod utrumque ab ecclesiæ doctrina alienum est.

(7) Gelasius Pontifex, et Isidorus Hispalensis uterque *apud Gratian. can.* 3 *dist.* 15, *et can.* 1 *dist.* 16 apocryphos vocant canones apostolorum. Sed illud, quod de his canonibus in Gelasiano decreto est, non Gelasio, sed Hormisdæ Pontifici tribuendum putant fratres Ballerinii *in Append. ad Opera S. Leonis M. tom.* 3 *par.* 3 *cap.* 11, §. 10 *pag.* 158. Non enim ante interpretationem Dionysii Exigui apostolorum canones latinis cogniti fuisse videntur; cum antiquioris versionis, per quam illi his canonibus uti potuerint, nullum uspiam indicium sit.

(8) Vide Tillemontium *in vit. S. Clem. art.* 7 *tom.* 2 *pag.* 164, *edit. Venet.* 1732; Albaspinæum *lib.* 1 *observ.* 13 *pag.* 32, *edit. Neap.* 1770; Pagium *in crit. Baron. ad an.* 102, §. 10. *pag.* 19 *tom.* 2, *edit. Lucæ;* Van Espen *dissert. in Canon. Apostolor.* Natal. Alexandrum *Histor. Eccles., tom.* 3 *sæc.* 1, *dissert.* 18 *pag.* 179, *edit. Venet. an.* 1776; Petr. de Marca *Concord. Sacerd. et Imper., lib.* 3 *cap.* 2.; Beveregium *in Præfat. ad suas in hos Canones adnotat.*, quæ exstant *in fin. tom.* 2, *Synodic. sive Pandect. canon., pag.* 1 *et seq. Oxonii* 1672, *et in Cod. Canon. Eccles. primitiv. vindic.;* Cotelerium *in Patr. Apostol., tom.* 1 *pag.* 429, *edit. Amstelodami* 1724.

(9) Sunt qui II aut III ineunte sæculo, sunt etiam qui tantum sæculo V hos canones collectos putant. Bevereg. *loc. cit.*, et Doujat *Prænot. canon. lib.* 3 *cap.* 2.

§. LIV. Proximum (1) post canones apostolorum locum obtinet collectio, cujus in concilio Chalcedonensi mentio est (2). Non satis exploratum est, quibus canonibus ea collectio constaret, et forte initio tantum comprehendit canones Nicænos, Ancyranos, Neocæsareenses atque Gangrenses, licet postea canones etiam aliarum synodorum adjuncti fuerint (3). Nam primum accesserunt canones Antiocheni, tum in aliquo codice Chalcedonenses et Constantinopolitani, in aliquo Laodiceni, Constantinopolitani et Chalcedonenses. Non enim omnium codicum eadem est ratio, cum non una mens esset eorum, qui additiones illas in primo codice faciebant arbitrio et voluntate sua (4).

(1) Petrus Pithœus in Synopsi historica eorum, qui canones collegerunt, profert Sabinum Heracleæ in Thracia episcopum, quem Socrates *lib.* 1 *cap.* 8 *pag.* 21, *edit. Valesii Cantabrigiæ an.* 1720, testatur *diversarum synodorum acta unum in corpus collegisse.* Sed hic, teste ipso Socrate *loc. cit.*, Macedonianæ sectæ episcopus, non canones catholicorum conciliorum, sed hæreticorum synodos eaque collegit monumenta, quæ suo magis placebant ingenio, quædam immutans et quædam prætermittens, ut cuncta ad suum institutum sensumque pertraheret. Nam et convellendæ Nicænæ fidei causa ejus concilii antistites tamquam imperitos deridebat. Quare hæc Sabini collectio inter codices sacrorum canonum, de quibus agimus, locum habere non potest. Christophorus Justellus *Codicem canon. eccles. universæ*, quem Parisiis edidit an. 1610, illum esse putat antiquum codicem, cujus in Chalcedonensi concilio fit mentio, et quo ante ipsum concilium tum Orientalis, tum occidentalis ecclesia utebatur. Verum illam *Codicis canonum Ecclesiæ universæ* inscriptionem uti nimis speciosam improbant Fr. Florens *in dissert. de orig. art. et auctor. Jur. Canon., pag.* 27 *tom.* 1, *edit. Norinbergæ* 1756, et Petrus Coustantius *in præfat. ad epistol. Roman. Pontific.*, §. 1 *num.* 53 *et seq. pag.* 58; neque hæc collectio, uti est a Justello edita, in ullo antiquo codice reperitur, sed eam ipse ex pluribus collectionibus suo arbitrio composuit. Exstat hic Justelli codex *in Biblioth. Jur. Canon.* Guillelmi Voelli et Henrici Justelli *tom.* 1 *pag.* 29, *edit. Paris. an.* 1661, atque hi in præfatione Bibliothecæ

præfixa Christophorum defendunt, quod amplum illum suæ collectioni titulum adjecit.

(2) In quibusdam Chalcedonensis concilii actionibus non solum codicis canonum expressa fit mentio, sed etiam aliqui ex eo codice canones recitantur et quidam etiam distincti numeris, qui perpetuam ostendunt numerorum seriem, quæ nonnisi in canonum collectionem quadrare potest. Quod videri potest *act.* 4, *act.* 11 *et in actione* de Caroso et Dorotheo apud Labbeum, *tom.* 4 *Concil. col.* 1418, 1427, 1610, *edit. Venet.*

(3) Hæc quidem, meo judicio, probabilior sententia est, quam late demonstrant Fratres Ballerinii *in appendic. ad oper. S. Leonis M. tom.* 3 *par.* 1, *cap.* 2 *num.* 5 *et seq. pag.* 13 *et seq.* Vulgata tamen opinio est, quam ipsi Ballerinii refellunt, quod antiquissima hæc collectio, cujus in Chalcedonensi concilio mentio est, contineret canones XX Nicænos, XXIV Ancyranos, XIV Neocæsareenses, XX Gangrenses, XXIV Antiochenos, LIX Laodicenos et Constantinopolitanos III. Verum ea collectio non alios initio comprehendisse videtur canones, quam Nicænos, Ancyranos, Neocæsareenses, Gangrenses, canones autem reliquarum synodorum deinceps additi videntur.

(4) Quod cum retineatur, facile componi poterunt dissidia, quæ inter eruditos sunt, de antiquissimo Græcorum codice, quem Chalcedonense concilium memorat. Nam quidam codices majorem, et quidam minorem habent numerum canonum; atque omnes ex hac codicum multitudine et varietate eruditorum controversiæ exoriuntur. Ego codice in concilio Chalcedonensi lecto comprehensos arbitror canones quatuor conciliorum, quorum paulo ante facta mentio est, præterea canones Antiochenos. Sed plures deinde huic codici factæ sunt accessiones, cæque dissimiles, uti ferebat ingenium ac studium eorum, a quibus hujusmodi accessiones fiebant. Inde orta est illa codicum diversitas, unde tot inter eruditos turbæ exortæ sunt.

§. LV. Medio sexto sæculo additi sunt canones Ephesini; ac denique Joannes cognomento *Scholasticus* quod esset ex schola sive ordine advocatorum, Presbyter primum Antiochenus, deinde Justiniano Imperatore patriarcha Constantinopolitanus novam canonum collectionem tributam in titulos quinquaginta adornavit. Continet hæc collectio apostolorum canones LXXXV, Nicænos XX, Ancyranos XXV, Neocæsareenses XIV, Sardicenses XXI,

Gangrenses XX, Antiochenos XXV, Laodicenos LIX, Constantinopolitanos VI, Ephesinos VIII (1), Chalcedonenses XXVII, denique canones eductos ex epistolis S. Basilii LXVIII. Postremos hos canones ab aliis omissos primus Joannes in sua collectione descripsit, reliquos omnes ex antiquioribus arripuit (2).

(1) Joannes Scholasticus in præfatione describens ordinem canonum in suo codice exhibitum numerat canones Ephesinos VII, sed tamen in corpore operis *tit.* etiam octavum laudat.

(2) Quod diserte testatur ipse Joannes in præfatione suæ collectionis, quæ est apud Voellum et Justellum *Biblioth. Jur. Can. vet. tom.* 2, *pag.* 499 *et seq.* Quare vehementer errat Christophorus Justellus, qui primum Sardicenses canones Græco codici Joannem Scholasticum addidisse arbitratur. Certo quidem statui non potest, num Sardicenses canones habuerit antiquissimus ille codex, qui continenti serie numerorum in concilio Chalcedonensi lectus fuit; sed tamen dubitari non potest, quin aliis quibusdam codicibus etiam Sardicenses canones comprehenderentur, quod late ostendunt fratres Ballerinii *loc. cit.*, *par.* 1 *cap.* 6, *pag.* 34 *et seq.*

§. LVI. Edidit ipse Joannes etiam *Nomocanonem* (1), divisum item in titulos quinquaginta ac per materias distinctum, iisque adjecit leges eductas præsertim ex codice et novellis Justiniani. Novas quoque additiones accepit Græcorum codex, cum Trullana, aut Quinisexta synodus habita est (2); neque suus apud Græcos honor defuit collectionibus Photii, qui Græcorum schismatis vel auctor, vel certe pars magna fuit, Simeonis Logothetæ, Alexii Aristini, Arsenii, Harmeneopoli, de quibus omnibus singillatim dicere longum est ac non necessarium (3).

(1) Nomocanonis nomine hæc collectio appellatur, quoniam continet legum cum canonibus collationem. Harum igitur collectionum, quæ ex legum et canonum mixtura *Nomocanones* appellatæ sunt, quæque apud Græcos plures numerantur, originem

ab Joanne Scholastico repetit Fr. Florens *loc. cit. pag.* 50. Hic etiam Joannis Scholastici *Nomocanon* est apud Voellum et Justellum *Biblioth. jur. canon., tom.* 2 *pag.* 693 *et seq.*

(2) Synodus hæc, quæ latinis conciliabulum est, Trullana appellatur, quod habita fuit in Trullo palatii Constantinopolitani; dicitur autem Quinisexta, quod ejus Præsules editis de disciplina canonibus videri vellent supplevisse illud, quod V et VI generales synodi non præstiterant. Romana ecclesia eos tantum probavit hujus concilii canones, qui nihil haberent, quod superioribus synodis probatisque moribus adversaretur, sicuti Humbertus cardinalis episcopus Silvæ candidæ, Leonis IX legatus apud Græcos declaravit. Integram hanc Græcam collectionem cum scholiis Zonaræ et Balsamonis hominum schismaticorum Oxonii edidit Guillelmus Beveregius an. 1672.

(3) De his omnibus collectionibus agunt Joannes Doujat *prænot. canon. lib.* 3 *cap.* 6 *et seq.*, et Joseph. Anton. Brunus *Introduzione alla Giurisprudenza Canonica, par.* 4 *cap.* I, §. 3 *et seq.*; et hæ quoque descriptæ sunt a Justello et Voello *Biblioth. canon., tom.* 2 *pag.* 673 *et seq.*

§. LVII. Serius in latina ecclesia canonum collectiones adhiberi cœperunt. Ea enim ante Nicænam synodum non aliis usa videtur regulis, quam Sacris Scripturis et traditione; ita ut tota fere disciplina moribus et consuetudine magis, quam jure scripto plerisque in rebus regeretur. Sed post habitam Nicænam synodum ejus canones latine redditi sunt, atque iis latina ecclesia uti cœpit una cum Sardicensibus (1).

(1) Insignis est locus Innocentii I, *in epist.* 7 *ad Cler., et Popul. Constantinopolitanum* apud Coustantium *epist. Roman. Pontific., tom.* 1 *col.* 799, ubi inquit: *Quod autem ad canonum observationem attinet, solis illis parendum esse dicimus, qui Nicææ definiti sunt; quos solos sectari et agnoscere debet ecclesia catholica.* Ipse Innocentius *in epist.* 5 *ad Theophilum Alexandrinum* apud eumdem Coustantium *col.* 790, habet hæc: *Tu igitur, si judicio confidis, siste te ad synodum, quæ secundum Christum fuerit et ibi expositis criminationibus sub testibus Nicæni concilii canonibus(alium enim canonem Romana non admittit ecclesia), securitatem habebis contradictionis expertem.* Cum Nicænos canones Innocentius memorat, intelligit etiam Sardicenses quoniam hoc concilium tamquam

Nicæni appendix habebatur. Locus hic Innocentii satis evidenter ostendit, usque ad eam ætatem Romanam ecclesiam Nicænos tantum canones agnovisse; non defuerunt tamen, qui ea verba aliter intelligenda esse putarunt, sed eos late refellunt fratres Ballerinii *loc. cit., cap.* 1 §. 1 *et* 2, *pag.* 51 *et seq.*

§. LVIII. Temporum autem cursu evenit, ut græcorum codex privato studio latine redderetur; ac duæ præsertim ante Dionysium sunt hujusmodi antiquæ versiones totius Græci codicis canonum, altera, quæ *Isidoriana*, altera, quæ *Prisca* appellatur. Illa forte est antiquior, fuitque vulgata ex collectione Isidori, a quo nomen accepit; Isidorus autem eam ex antiquiori Hispanica collectione transcripsit. Continet canones Nicænos, Ancyranos, Neocæsarcenses, Gangrenses, Sardicenses, Antiochenos, Laodicenos, Constantinopolitanos et Chalcedonenses. Initio fortasse non omnes hos canones comprehendebat, sed novas recentiori ætate aliorum canonum accessiones accepit. *Prisca* græcorum canonum versio paulo minus antiqua videtur, eaque complectitur canones Ancyranos, Neocæsareenses, Nicænos, Sardicenses, Gangrenses, Antiochenos, Chalcedonenses, Constantinopolitanos (1).

(1) *Prisca* Græcorum canonum latina interpretatio ea solet appellari, quam ex antiquo MS. codice vulgarunt Henricus Justellus et Guillelmus Voellus *in Biblioth. Jur. canon., tom.* 1 *pag.* 277, *Paris.* 1661. Eam diligentius cognitam et emendatam iterum ediderunt fratres Ballerinii *in appendic. ad oper. S. Leonis M. tom.* 3, *col.* 481 *et seq.* Sunt hæ, *Isidoriana* nimirum et *Prisca*, celebriores Græcorum canonum latinæ versiones, quæ ante Dionysium in manibus hominum versabantur; sed tamen dubitari non potest, quin alias quoque collectiones latine habuerint, quæ tamen omnes privato studio perfectæ sunt. Earum quædam, præter Orientalium ecclesiarum canones, etiam Africanos et quasdam etiam summorum Pontificum decretales comprehendebant. Nam ante ceteros Occidentales Afri primum collegisse videntur canones suos, qui ita celebres fuerunt, ut e latinis codicibus græce translati in Græcas

etiam collectiones migraverint. His igitur canonibus locupletatas auctasque fuisse constat aliquas latinorum collectiones, et aliis etiam Romanorum Pontificum decretales accesserunt. Non enim iis assentior, qui Dionysium primum fuisse putant, qui illas decretales collegerit. Fuit is quidem primus, qui decretales a canonibus conciliorum discrevit atque ordine recensuit, cum in antiquis collectionibus omnia permixtim et confuse describerentur, omnes tamen hæ collectiones privato studio absolutæ sunt, et ideo nulla carum constituere potuit codicem canonum, qui publica auctoritate receptus jus latinæ ecclesiæ contineret. Codicis loco, ut arbitror, usque ad octavum sæculum Romanæ ecclesiæ fuit Bibliotheca, quæ dicebatur *Archivum*, *Schrinia*, *Chartarium*, ubi decretalium authographa, atque acta, et canones conciliorum, ceteraque ecclesiastica monumenta servabantur, qua de re videndi Coustantius *præfat. ad epist. Roman. Pontif. num.* 44 *pag.* 45 *seqq.*, et Cajetanus Cennius *in dissertationibus Italicis Pistorii editis ann.* 1778, *tom.* 1 *pag.* 65 *et seq.* Pontificiæ litteræ ad certas ecclesias initio datæ, omnibus postea communes fiebant, sicuti demonstratum est *in not.* 2 *ad §. XXXV*, ut omnibus innotescerent, et omnes parerent legibus, quæ ipsis litteris erant constitutæ. Earum autographum in schrinii s, aut archivo sedis Apostolicæ servabatur, et hujusmodi autographum adhibebatur ad dirimendas controversias, quæ forte orirentur. Sic Hieronymus, *adv. Rufin.*, *lib.* 3 *opp. tom.* 2 *pag.* 549, *edit. Vallarsii Veronæ*, Rufinum de litteris ab Anastasio I ad Joannem Hierosolymitanum datis dubitantem, *ad chartarium* provocat. Quare multa moliendo faciunt ut nihil agant Van Espen et ceteri, qui neminem ante Dionysium Pontificias decretales collegisse contendunt, ut inde illud educant consequens, quod ante Dionysium tantum conciliorum canones, non item Apostolicæ sedis decreta auctoritatem obtinuerint. Fac verum esse, quod certe falsum est, id quod ajunt de Pontificiis decretalibus primum a Dionysio collectis, id tamen vetustæ earum auctoritati nihil detrahit. Cum enim privati codices nihil iis aut addere, aut adimere possent, quid intererat sedis Apostolicæ, sive ejus decretales in iis descriptæ essent, sive essent omissæ? Vis earum non ex his privatis collectionibus, sed ex Pontificis potestate, atque ex ipso autographo in archivo servato repetebatur. Certe Siricius *ep.* 1 *ad Himer. Tarracon.* apud Coustantium *epist. Rom. Pontif.* §. 29 *col.* 637, postquam Himerium hortatus est *ad servandos canones, et tenenda decretalia constituta*, generalem illam sententiam pronunciat, quod *Statuta sedis Apostolicæ, vel canonum venerabilia definita nulli Sacerdotum Domini ignorare sit liberum.* Etiam Leo M. *epist.* 4 *cap.* 5 *opp.*, *tom.* 1 *col.* 616, *edit. Venet.* 1753,

memorat decretalia *constituta Decessorum* suorum, et comprovinciales episcopi metropolis Arelatensis datis ad Leonem M. litteris *opp. SS. Leonis, tom.* 1 *epist.* 65 *cap.* 2 *col.* 995, *ed. cit.*, non ex aliquo canonum codice, sed ex *schriniis* sedis Apostolicæ decretorum Zosimi Pontificis vim omnem et auctoritatem repetunt, uti observant fratres Ballerinii, *not.* 11 *in dissert.* 12 *Quesnelli opp. S. Leonis, tom.* 3 *col.* 697 *et* 698, *edit. ejusd.*, quos etiam consule *in appendic. par.* 3. *cap.* 1 §. 2 *pag.* 178 *eod. tom.* 3. Cum igitur ecclesia Romana, meo quidem judicio, usque ad VIII sæculum nullum habuerit codicem canonum, qui publicam auctoritatem obtineret, facile est judicare de codice, quem dedit Justellus *in Biblioth. Jur. canon., tom.* 1 *pag.* 29, itemque de codice, quem edidit Quesnellus *in appendic. oper. S. Leonis M.*, quemque ipse existimat antiquissimum esse codicem, quo Innocentio, Zosimo et Leone Pontificibus Romana ecclesia utebatur: omnes privati codices sunt, ac de codice Quesnelliano graviter vereque disserunt fratres Ballerinii *loc. cit.*, *par.* 2 *cap.* 8 *pag.* 122, *et in adnot. et observ. ad dissert.* 12 *Quesnelli, pag.* 685 *et seq.* Idem debet esse judicium de antiquis codicibus, quos memorat Petrus Coustantius *in præfat. ad tom.* 1 *epist. Roman. Pontific.*, §. 2 *num.* 60 *et seq. p.* 52; nam hi similiter codices privati sunt.

§. LIX. *Priscam* hanc versionem indicare videtur Dionysius Exiguus, cum inquit, *se confusione priscæ translationis offensum* ad novam versionem animum appulisse. Fuit hic Dionysius instituto Monachus, natione Scytha, moribus et domicilio Romanus, doctrina vero ac vitæ integritate præclarus (1). Vitam agebat V et VI sæculo (2), ab eoque nostræ vulgaris epochæ origo repetenda est (3). Celeberrimum hujus Dionysii opus est collectio canonum, et constitutionum sedis Apostolicæ, quæ ab auctoris nomine *Dionysiana* appellatur. Ea dividitur in partes duas, quarum altera conciliorum canones, altera summorum Pontificum epistolas complectitur. Non uno et eodem tempore, sed diverso utraque est edita, et utraque peculiares habet litteras, quas *nuncupatorias* dicimus.

(1) De hoc Dionysio loquuntur Cassiodorus *Divin. litterar., cap.* 23 *pag.* 551 *tom.* 1, *edit. Rothomag. an.* 1679; Trithemius *de Script. Eccles. num.* 207, *in Biblioth. Eccles. Fabricii cir. med., pag.* 57, *ed. Hamburgi* 1718; Bellarminus *de Script. Eccles. oper. tom.* 7 *pag.* 201, *edit. Venet.* 1728. Dictus autem est Dionysius *Exiguus*, non quod corpore pusillus esset, uti plures existimarunt, cum neque id tradiderint antiqui scriptores, qui de Dionysio egerunt, neque credibile sit, Dionysium, qui semetipsum *exiguum* appellat, suum hoc corporis vitium præ se ferre voluisse. Potius sese *exiguum* Dionysius vocasse videtur modestiæ causa, quo nomine alii etiam, atque in primis monachi, quorum e numero ille erat, uti solebant. Sic Anastasius Bibliothecarius sese *exiguum* appellat, *apologia* pro Honorio ad Joann. Diaconum *in collect. Concil. Labbei, tom.* 6 *col.* 1521, cujus epigraphe est hæc: *Carissimo Fratri Jo., digno Christi Levitæ Anastasius exiguus in Christo salutem.* Etiam S. Bonifacius Moguntinus sese *exiguum* appellare solebat, uti deprehendi potest ex ejus epistolis 9, 11, 15, 18, 20, 23, *in Biblioth. PP. tom.* 13, *pag.* 73, 74, 75, 76, 78, 80, *edit. Lugdun.*, atque inter has epistolas aliorum quoque exempla sunt, qui se modestiæ causa *exiguos* appellabant. Quin etiam piæ mulieres sese *exiguas* vocabant, uti patet ex epistola Cæsarii Arelatensis, apud Martenium *Thesaur. nov. Anecd., tom.* 1 *col.* 3, *Paris.* 1717. Atque id etiam sibi vult Hincmarus Remensis, cum *in ep.* 17 *ad Nicolaum I, pag.* 246 *tom.* 2, *edit. Sirmondi Paris.* 1645, memorat litteras *exiguitati meæ directas;* ex quibus omnibus patet, fuisse pluribus commune nomen hoc *Exigui* et modestiæ causa usurpari consuevisse.

(2) Dionysius Romam venit Anastasio II Pontifice, qui pontificatum tenuit usque ad annum 498. Aut sub eo, aut sub Symmacho, qui proxime Anastasium sequutus est, primam suæ collectionis partem Dionysius edidit; sed pars altera certe post Anastasii obitum vulgata est. Nam in ea sunt Anastasii epistolæ, non item Symmachi, et cum Dionysius dicat, *se præteritorum sedis Apostolicæ præsulum constituta* collegisse, manifestum est, hanc partem, quæ Anastasii epistolas habet, eo mortuo vulgatam fuisse. Vide Doujat *Prænot. canon. lib.* 3 *cap.* 15 *num.* 2.

(3) Confer ea de re Doujat *loc. cit. num.* 7.

§. LX. Primo canonum collectioni Dionysius operam dedit. Nam novam Græcorum canonum versionem absolvit suaque collectione complexus est L

canones apostolorum, tum sub una numerorum serie canones Nicænos, Ancyranos, Neocæsareenses, Gangrenses, Antiochenos, Laodicenos, Constantinopolitanos, deinde Chalcedonenses, quibus ex latino autographo subjecti sunt Sardicenses XXI, ac tandem Africani distincti in numeros CXXXVIII. Pars altera, quæ serius in lucem venit, comprehendit epistolas decretales summorum Pontificum a Siricio usque ad Anastasium II, quibus postea decretales etiam aliorum Pontificum aliena opera accesserunt. Magna hujus collectionis celebritas et magnus ubique honos fuit (1).

(1) Cassiodorus, medio VI sæculo, inquit *loc. cit. Quos* (Græcos canones a Dionysio latine redditos) *hodie usu celeberrimo ecclesia Romana complectitur*. Solus videlicet intelligendus est usus, qui ei collectioni nullam publicam auctoritatem attribuit, neque eam publicam Romanæ ecclesiæ codicem fecit.

§. LXI. Eam quibusdam additionibus locupletatam Carolo M. Francorum regi Romæ tradidit Hadrianus I Summus Pontifex, atque hæc collectio est, quæ *Hadriana* vocatur, et quam illæ præsertim additiones a Dionysiana distinguunt (1). Non tamen hujus collectionis, sive harum additionum auctor ipse Hadrianus habendus est (2); sed cum ita summus Pontifex collectionem ipsam probasse visus fuerit, apostolicam quamdam auctoritatem ea obtinuit, et *Codex canonum* passim appellari cœpit (3).

(1) Hadriano I Pontifice Carolus M. ter Romam venit, uti observavit Jacobus Sirmondus; ei vero in primo ejus adventu collectionem illam traditam fuisse putat Coustantius *loc. cit.*, §. 8 *num.* 128 *pag.* 108.

(2) Incertum est, quo primum tempore Dionysianæ collectioni illæ factæ sint additiones, quarum recentiores ad Gregorium II pertinent. Sed eas ante Hadrianum jam factas fuisse certum est; quoniam Zacharias Pontifex, *in epistola ad Pipinum et episcopos, abbates et proceres Francorum*, quæ est *epist.* 7, *in collec.*

concil. Labbei, tom. 8 *col.* 241 *num.* 3, canones aliquot recitat *ex concilio Africano,* alios vero *ex concilio Carthaginensi;* quæ Africanorum canonum inscriptio et distinctio Hadrianæ collectionis propria est.

(3) Hinc falsas epistolas Isidori Mercatoris, quæ postea prodierunt, aliqui rejiciendas putarunt, quia *in toto codicis canonum corpore non continerentur conscriptæ,* uti patet ex *epist.* 42 Nicolai I, *ad univers. episc. Gall. in Reg. concil. collect. pag.* 784, *tom.* 22, *Paris.* 1644. Quo nomine *Codicis canonum* intelligi Hadrianam collectionem, manifestum est ex Hincmaro Remensi, *epist. adver. Hincmar. Laudunen., pag.* 543 *tom.* 2, *ed. Sirmondi Paris.* 1645, qui Isidorianas decretales repudiat, ac tantum retinendos contendit canones, *quos Apostolica sedes..... et omnis catholica ecclesia,* CANONES *appellat; quique.... in nostris* CODICIBUS, *quos ab Apostolica sede majores nostri acceperunt sequendos,* locum habent. Ex quo recte vereque colligit Coustantius *loc. cit.,* §. 8 *num.* 121 *pag.* 110, quod qui a nobis Hadrianus codex vocatur, ab Hincmaro ex usu et consuetudine sermonis, apud Romanos et Gallos recepti, *Codex canonum* vocatus est.

§. LXII. Celebrantur etiam collectiones Africanæ (1), Hispanicæ (2), Gallicanæ (3), quæ plures numero sunt, cum fere in unaquaque natione non defuerint, qui de colligendis canonibus laboraverint. Atque in his collectionibus vel integra, vel fere integra ecclesiastica monumenta describuntur, habita potius ratione temporum, quam rerum et materiarum. Sunt enim collectiones aliæ, quæ breviter ac summatim canones indicant, aut certos in titulos tribuunt ipsos canones et rem canonicam universam. Inter eos, qui tantum canonum summam dederunt, primum locum obtinet Fulgentius Ferrandus Carthaginensis ecclesiæ diaconus, qui collectionem suam *breviationem canonum* vocavit (4).

(1) Africanorum canonum collectionem cum titulo *Codex canonum ecclesiæ Africanæ,* græce et latine edidit Christophorus Justellus, eamque postea discripserunt ejus filius Henricus et Guillelmus Voellus *in Biblioth. Jur. canon., tom.* 1 *pag.* 521.

Verum hæc collectio non alios comprehendit canones, quam eos, quos Dionysius Exiguus excerpsit ex synodo Carthaginensi, anni 419, cujus tantum gesta ante oculos habuit. Plures Africanas collectiones post Harduinum memorant eruditi fratres Ballerinii *loc. cit. par.* 2 *cap.* 3 *pag.* 74 *et seq.*

(2) Plures sunt Hispanorum collectiones, sed una in primis memoratu digna est, quæ Hispanica vocari solet quæque post Dionysianam ceteris rerum ordine et copia præstat. Primus eam memoravit Antonius Augustinus *de quibusd. veter. canon. collec. cap.* 17 *tom.* 3 *pag.* 225, *edit. Lucæ an.* 1767; accuratius autem exposuit Coustantius *in præfat. ad tom.* 1, *epist. Roman. Pontific.* §. 9 *num.* 132 *et seq., pag.* 111 *et seq.*; denique fratres Ballerinii *loc. cit., cap.* 4 *par.* 3 *pag.* 195, qui ceterorum industriam et diligentiam superarunt, quique una cum ceteris Occidentalis ecclesiæ collectionibus etiam Hispanicas copiosissime persequuntur. Forte hæc collectio vel a S. Isidoro Hispalensi, vel ipsius jussu perfecta est; qua de re videndus est Cennius, *in præfat. ad dissertationes ad antiq. eccles. Hispan., tom.* 1 *pag.* 5 *et* 11 *et seq.*, §. 4 *et* 11 *et seq., Romæ* 1741. Ejus vero compendium una cum additionibus, quæ postea factæ sunt, vulgavit cardinalis de Aguirre initio *tomi III Conciliorum Hispaniæ*, postea vero diligentius illustravit Cajetanus Cennius atque edidit cum titulo *Codex veterum canonum eccles. Hispanæ*, qui præmissus est operi *de antiquit. eccles. Hispan., tom.* 1 *pag.* 33 *et seq.* Sed Cennium reprehendit cl. Carolus de la Serna Santander *in veram, et genuin. collect. veter. canon. eccl. Hispan.* §. 111 *num.* 61 *pag.* 42, *Bruxellis an.* 7 *Reipublic.*, quod indicem pro ipsa collectione acceperit. Ceterum de Hispanis collectionibus omnium diligentissime agit cl. Arevalo *in opp. S. Isidori Hispalensis, tom.* 2 *par.* 3 *cap.* 91, *pag.* 155 *et seq., edit. Romæ* 1797.

(3) De his quoque Gallicanis collectionibus, præter Sirmondum *præfat. in concil. Gal.*, videndi Ballerinii *loc. cit., par.* 2 *cap.* 10 *pag.* 129 *et seq.*

(4) Fulgentius Ferrandus, qui magistro usus est Sancto Fulgentio Ruspensi episcopo, Justino ac Justiniano Imperatoribus floruit. Viden. *Fr. Floren. de orig. art. et auctor. Jur. canon., pag.* 35. Descripta est hæc collectio a Voello et Justello *loc. cit., tom.* 1 *pag.* 448.

§. LXIII. Eadem, qua Ferrandus, ætate floruit Martinus Bracarensis episcopus, cujus est omnium ser-

mone celebrata canonum, seu capitulorum collectio, cujus pars una complectitur, quæ ad episcopos atque ad universum Clerum, altera, quæ ad laicos pertinent (1). His recentior est Cresconius Africanus episcopus, cujus duo circumferuntur opera, alterum quod *Breviarium canonum*, alterum, quod *Concordia*, aut etiam *Liber canonum* appellatur (2). Alias quoque viri eruditi ediderunt canonum collectiones, quæ circa ea tempora, aut paulo serius lucubratæ videntur, sed nobis propositum non est in omnibus immorari (3).

(1) Pannonius fuit S. Martinus episcopus Bracarensis, uti testatur S. Gregorius Turonensis *in hist. Franc., lib.* 5 *cap.* 38 *col.* 247, *edit. Ruinarti Paris.* 1699, ac pro Hispanica ecclesia suam perfecit collectionem, in quam contulit Græcos canones latine redditos, et multa etiam ex latinis fontibus expressit. Sed sæpe antiquos canones ad recentiorem disciplinam accommodavit, et ideo sæpe multa addidit, aut detraxit, quod observant Romani correctores ad *can.* 18 *dist.* 18, et Antonius Augustinus *de emendat. Gratian. lib.* 1 *dial.* 10, 11, 12, *pag.* 58 *tom.* 3, *edit. Luc.* Gratianus multa in decreto capitula descripsit, quæ exstant in collectione Martini Bracarensis, sed cum hac inscriptione *ex concilio Martini papæ*, non sub nomine Martini episcopi Bracarensis, quemadmodum et Ivo Carnotensis multa retulit Martini Bracarensis capitula cum hac inscriptione *ex decretis Martini Papæ*, uti observant Antonius Augustinus *de emend. Gratian. lib.* 1 *dial.* 10 *pag.* 58, et Romani correctores *in can.* 15 *dist.* 18. Exstat hæc collectio apud Voellum et Justellum *loc. cit. in append. tom.* 1 *pag.* 7.

(2) Vitam agebat Cresconius, sive ut alii malunt, Crisconius Leontio Imperatore, cum Saraceni Africam occuparunt, hoc est VII ecclesiæ sæculo. Utrumque opus, tum scilicet *Breviarium*, tum *concordia* Cresconii revera est, quamquam aliud nonnulli existiment; quos inter est Coustantius *in cit. præfat. ad epist. Roman. Pontific.*, §. 7 *num.* 124 *et seq.*, *pag.* 105 *et seq.*, et utrumque ediderunt Voellus et Justellus *in Biblioth. Jur. canon. tom.* 1 *pag.* 456, *et in appendic. ejusd. tom.* 1 *paq.* 53. Vide Pagium *in critic. ad Baron. an.* 527, *num.* 14 *pag.* 387 *tom.* 9, *edit. Lucæ*, et Mabillonium *Mus. Ital. par.* 1 *pag.* 69, *edit. Paris.* 1687.

(3) Hujusmodi sunt collectiones Hibernensis, Herovalliana,

Andegavensis, Divionensis, Pithœana, aliæque similes, quæ a Sirmondo, Petito aliisque laudantur quasque omnes accurate describunt Fratres Ballerinii *loc. cit., par. 4 cap. 7 pag.* 273.

§. LXIV. Digna tamen est, quæ paulo diligentius exponatur, collectio Isidori *Mercatoris* aut *Peccatoris* (1); quæ IX ecclesiæ sæculo in manus hominum pervenit (2). Magnæ ob eam turbæ ortæ sunt, cum Isidorus veris monumentis, quæ a collectione Hispanica, Hadriana aliisque a locis (3) arripuit multa falsa admiscuerit, quorum partem ipse confinxit, et partem aliorum ingenio confictam litteris consignavit. Habet hæc collectio, præter quinquaginta canones apostolorum ex Hadriana collectione descriptos, potissimum epistolas summorum Pontificum a Clemente usque ad Silvestrum, quæ cunctæ ex ingenio Isidori prodierunt, exceptis duabus Clementis ad Jacobum litteris (4), tum canones plurium conciliorum (5), postremo Pontificias litteras ab ipso Silvestro usque ad Gregorium M., et alias item epistolas ac monumenta, quorum pars aliunde sumpta vera ac germana est (6), pars una cum actis concilii Romani sub Julio I, et concilii V et VI sub Symmacho ab Isidoro excogitata et inventa est.

(1) Alii sunt codices, qui *Mercatoris* et alii, qui *Peccatoris* nomen inscriptum habent. Quod postremum nomen quosdam rapuit in eam opinionem, ut crederent, hujus collectionis auctorem fuisse aliquem episcopum, quoniam ea formula episcopi utebantur, ut demissum de se animi sensum testarentur, uti patet *ex conciliis Carpentoractensi an.* 527, *tom.* 5 *col.* 805, *Vasensi III an.* 529, *col.* 823, *Parisiensi III an.* 557, *tom.* 6 *col.* 495, *Turonensi II an.* 567, *ibidem col.* 547 *collect. Labbei,* atque ex monumentis ecclesiæ Cenomanensis apud Mabillonium *in veter. Analect., pag.* 267 *et seq., edit. Paris. an* 1723. Verum Carolus Blascus, qui commentario Neapoli edito an. 1760, *de collectione canonum Isidori Mercatoris* late de hac collectione disseruit, observat *cap.* 6 *pag.* 46 *et* 47, quod episcopi fere semper addebant nomen *præsulis,* aut *episcopi,* cum illud *peccatoris*

vocabulum usurpabant. Quin etiam et Chorepiscopi cum eodem utebantur nomine, addebant et dignitatem suam, per quam distinguebantur, uti ex epistola Thegani Chorepiscopi Trevirensis ad Hactonem ipse Blascus ostendit. Nomen hoc potius Monachorum proprium erat, et si certum esset Isidorum potius *Peccatoris*, quam *Mercatoris* nomen præ se tulisse, inde educi conjectura posset, quod Isidorus Monachus vel fuerit, vel voluerit videri. Sed perdifficile est id ostendere ad veritatem; potius ipsa ratio, quæ omnis fere in eo est posita, ut episcopis consulat, et ab iis arceat accusationes, aliquam probabilem affert conjecturam, propter quam ea collectio alicui episcopi tribuenda videatur.

(2) Recentius monumentum, quod Isidoriana collectione comprehenditur, est concilium Parisiense anni 829; quare ante hoc tempus illa edita non videtur. Sunt qui eam serius prodiisse arbitrantur, nimirum circa tempus, quo Benedictus Levita capitularium libros vulgavit, hoc est circa annum 845, et ideo prima falsarum decretalium mentio est in synodo Carisiaca *apud Baluzium in Capitular. Reg. Franc., tom.* 2 *col.* 62, *edit. Venet. an.* 1773. Videndi sunt fratres Ballerinii *in cit. append. opp. S. Leonis par.* 3, *cap.* 6 §. 4 *pag.* 222 *seqq.;* Carolus Blascus *comment. cit. de collect. canonum Isidori Mercatoris;* Zaccaria *Anti-Febron., tom.* 2 *dissert.* 3 *cap.* 3 *seq.;* Cl. Arevalus *in opp. S. Isidori Hispalensis tom.* 2*; Isidorian. par.* 3 *cap.* 91 §. 4 *pag.* 202 *seq., edit. Romæ* 1797. Nullus plane videtur esse dubitandi locus, quin hæc collectio primum Moguntiæ prodierit, et doctis viris plerisque persuasum est ejus auctorem fuisse hominem Germano-Francum, cum Francorum regibus ex veteri Galliarum descriptione Germania subjiceretur. Sed quis hic fuerit, incertum est. Cl. Carolus de la Serna Santander *loc. cit. pag.* 69 §. 6 putat, ex vera Isidori Hispalensis collectione suam confecisse Isidorum Mercatorem, vera illa corrupta et depravata, additisque monumentis non illis quidem plane falsis, sed falso adscriptis Pontificibus, quorum revera non sunt; idque a Riculpho Moguntino episcopo, vel ejus auctoritate factum existimat. Equidem non dubito, quin fundus hujus collectionis fuerit vera, et omnis falsitatis expers collectio Isidori Hispalensis, quam Mercator, seu Peccator fœdavit tot falsis monumentis, unde nova collectio facta est. Sed opus a Riculpho conditum atque vulgatum, vehementer nego. Is enim ex hac vita migravit an. 814; contra in Isidoriana collectione epistolæ quædam sunt, uti Urbani I et Joannis III, quibus Isidorus inseruit ad verbum sententias aliquot concilii Parisiensis habiti an. 829; unde intelligimus, Riculphum hujus collectionis auctorem haberi non posse. Si in re tam obscura

et incerta dandus est conjecturæ locus, valde simile veri esse videtur, Mercatorem sumpsisse collectionem Isidori Hispalensis, cujus magna celebritas erat, ut sua commenta in vulgus ederet, eamque vulgasse ejusdem Hispalensis nomine, quasi novis additamentis locupletatam, falsis scilicet monumentis, quæ recondita in scrinio Moguntini episcopi Riculphi sese invenisse affirmavit. Haud revera in hoc scrinio ea delituisse arbitror; sed Mercator hanc fabulam venditavit, ut suæ collectioni auctoritatem conciliaret. Neque me de mea sententia dimovet Hincmarus Remensis, qui in *opuscul. advers. Hincmar. Laudunen. cap.* 24 *pag.* 476 *opp. tom.* 2 *pag.* 45, *edit. Paris.* 1645, inquit, *Quod librum collectarum epistolarum ab Isidoro de Hispania allatum Riculphus Moguntinus episcopus.... obtinuit, et istas regiones ex illo repleri fecit.* Nam Hincmarus fraudis nescius sequutus est fidem collectoris, qui cuncta se eduxisse testatus est e scrinio Riculphi epispopi Moguntini. Forte totius fraudis architectus fuit Benedictus Levita Moguntinus, qui capitularium libros vulgavit circa annum 845, et forte eadem collectio non est eo anno vetustior. Et quoniam Isidorianæ collectionis mentionem fecimus, omittenda non est ingeniosa conjectura Caroli Blasci, qui diatriba, quam Neapoli edidit an. 1778 de *Papissa Joanna*, hujus fabulæ originem ab Isidori collectione repeti posse arbitratur. Inquit enim, fortasse aliquem fuisse Isidorianæ fraudis non ignarum, qui cum videret, falsas decretales pro veris haberi, quasi per ænigma fraudem detegere conatus est. Itaque dictitare cœpit, fuisse Papissam Joannam nomine; eam peperisse etc. Ænigma hoc, in quo dissolvendo plane ædipo conjectore opus erat, non recte intellectum, primum uti fabula vulgaris, ac denique tamquam vera historia haberi cœpit. Ingeniosa inquam hæc conjectura divinatio est.

(3) Necesse est fontes noscere, unde Isidorus multa derivavit in collectionem suam; nam quidquid in his non invenitur, id ab ipso confictum haberi debet. Fontes autem præcipui sunt collectio Hadriana et Hispanica, ac vetus collectio a Quesnello edita, cujus supra facta mentio est. Quædam etiam arripuit ab historia tripartita, atque ab aliis locis, quos indicant Bartolus *Inst. Jur. canon. cap.* 18, et fratres Ballerinii *loc. cit.*, §. 5 *p.* 225 *et seq.*

(4) Quinque sunt litteræ S. Clementis in Isidori collectione; quæ ad Jacobum jam a Græco aliquo confictæ fuerant, et a Rufino latine redditæ, easque sæculo V laudavit concilium Vasense *can.* 6 *col.* 717 *tom.* 4 *collec. Labbei, edit. Venet.* Has litteras Isidorus excerpsit ex Gallicanis collectionibus, sed ipse tamen eas suis additionibus corrupit. Reliquæ tres ex ejus ingenio prodierunt.

(5) Pars hæc, quæ concilia complectitur, habet *constitutionem Constantini ad Silvestrum*, quæ falsa habetur; reliqua vera et germana sunt omnia, eaque desumpta ex auctiori collectione Hispanica originis Gallicanæ.

(6) Multa in hac parte sunt falsa veris admixta, quæ omnia accurate discriminant fratres Ballerinii *cit. part.* 3 *capite* 6 §. 5 *pag.* 225, et Blascus *cap.* 2 *pag.* 9 *et seq.* Hinc omnes Pontificum Siricio antiquiorum epistolæ ap Isidoro descriptæ falsæ habentur, exceptis Sancti Damasi ad Paulinum litteris, quas ille secuit in partes tres.

§. LXV. Accesserunt ad cetera commenta etiam capitula adscripta Hadriano I Pontifici et Angilramno Metensium episcopo tradita, quæ certe post falsas decretales prodierunt, et forte ab ipso illarum opifice conficta sunt (1). Nam hodie eruditis omnibus compertum exploratumque est, ea capitula recentiora esse Isidorianis decretalibus, neque ea tribui posse Hadriano, aut Angilramno, cum in iis multa sint aliena ab utriusque moribus atque instituto (2), et longe alia sit ratio Hadrianæ collectionis, cujus supra facta mentio est.

(1) Pontificum decreta, ex quibus præsertim ea capitula collecta dicuntur, non alia fere sunt, nisi falsæ Isidori decretales, in quibus eædem sententiæ, et eadem sæpe verba occurrunt, uti ex Antonii Augustini notis in eadem capitula, quæ exstant *tom.* 3 *ejus oper., edit. Luc. an.* 1767, *pag.* 349 *et seq.*, deprehendi potest. Qui consensus earum decretalium, et capitulorum non obscuro argumento est, eumdem omnium architectum fuisse. Quare in Isidori collectione hæc Hadriani capitula reperiuntur; et in antiquissimo Vaticano codice 630, in appendice descripta sunt, quoniam, ut observant fratres Ballerinii *loc. cit.*, §. 2 *num.* 8, *pag.* 219 *et* 220, hæc capitula secundis Isidori curis adjecta sunt, cum abessent a collectione, quam antea vulgaverat. Vide etiam Blascum, in diatriba de *capitulis Hadriano Papæ vulgo tributis ad calcem commentarii de collec. can. Isidor. Mercator.*, *pag.* 221.

(2) Hincmarus Remensis *in opusc. adver. Hincmar. Laudunen. cap.* 24 *pag.* 475 *tom.* 2, *edit. cit.* inquit, hæc capitula Hadriani nomine fuisse edita, et Angilramno Metensium episcopo

data. Errant igitur Stephanus Baluzius *in præfat. ad Dialog. A. Augustin., num.* 4 *par.* 6 *tom.* 3 *edit. Luc.*, et Natal. Alexander *Hist. eccles. sæc. VIII, cap.* 1 *art.* 9. *tom.* 6 *pag.* 11, *edit. Venet. an.* 1776, cum hæc capitula Angilramno adscribunt; cum vera operis incriptio non Angilramnum, sed Hadrianum auctorem præ se ferat. At neuter revera eorum capitulorum auctor fuit; et certe verus canonum codex, quem Carolo M. obtulit Hadrianus, nihil habet ex putidis illis mercibus, sed veras complectitur epistolas summorum Pontificum a Siricio ad Gregorium, quod late ostendunt Ballerinii et Blascus *loc. cit.* Id unum addam, quod in antiquo Vaticano codice *num.* 1338, vetus exstat exemplar collectionis, cujus revera Hadrianus P. auctor est, in eoque post indicem eorum, quæ codice continentur, habentur hæc : *Iste codex est scriptus de illo authentico, quem Dominus Hadrianus Apostolicus dedit gloriosissimo Carolo Regi Francorum et Longobardorum, ac Patricio Romanorum, quando fuit Romæ.* In hac autem collectione nullus omnino locus est falsis Isidori mercibus, sed quidquid ea continetur ex veris germanisque fontibus desumptum est. Initio describuntur canones, *qui dicuntur SS. Apostolorum* (quibus verbis ostendit Hadrianus, quid ipse de his canonibus sentiat), postea concilia Orientalia, Africana, Gallicana, Hispanica, postremo referuntur decretales Siricii, Innocentii, Zosimi, Bonifacii, Cœlestini, itemque pars illarum decretalium, quæ a Leone M. editæ sunt. Vera hæc est Hadriana collectio; non ea, quæ multos post annos Isidori ingenio excogitata in lucem venit. Atque hoc quidem loco notanda est confidentia Espenii, qui nihil omittit, ut suum expleat odium, quo fertur in sedem Apostolicam, et ideo de his capitulis inquit in *Comm. in can. et dec. jur. veter. ac nov., par.* 3 *sect. ac dissert.* 2, quod ea, si ab Hadriano non confecta, probata saltem sunt, ut nova inde jura Romani Pontifices consequerentur. Si ea probata Hadriano sunt, cur eadem neque ipse Hadrianus, neque ceteri Pontifices, qui eum consequuti sunt, per tria pene sæcula laudarunt? Primus enim summus Pontifex, qui ea capitula laudasse videtur, fuit Leo IX, qui medio sæculo XI vitam traducebat, nimirum postquam ea Burchardus Hadriani nomine in sua collectione descripserat. Verum omnis nunc ea de re sermo conticescat necesse est, cum constet, ea capitula post Hadriani obitum fuisse conficta ab auctore decretalium, quæ Isidori collectione comprehenduntur.

§. LXVI. Isidori collectio sensim et pedetentim usum atque auctoritatem habere cœpit cum in il-

lorum temporum caligine nemo esset, qui suspicaretur, vel potius intelligeret falsa esse monumenta, quæ in ea descripta fuerant. Primus Hincmarus Remensis, qui eam antea probaverat, cum sibi adversarias maxime nosceret Isidorianas decretales, in causa quam habebat cum Hincmaro Laudunensi, eas cœpit respuere, quod *in Codice canonum* non reperiebantur (1). Eadem quoque de causa rejectæ sunt ab episcopis Gallicanis in causa Rhotadi episcopi Suessionensis, qui in synodo provinciali depositus ad sedem Apostolicam provocaverat.

(1) Hincmarus epist. *ad Hincm. Laudunen., tom.* 2 *par.* 545 *et seq., edit. Paris.* 1645. Recte tamen respondit ipse Nicolaus *epist.* 42, *ad Episc. Gall. in Oper. Hincmari Remens., tom.* 2 *pag.* 627, non ideo despiciendas esse decretales, quod in codice canonum descriptæ non essent, quoniam earum auctoritas non ex eodem codice, sed ex earumdem auctoribus, qui Pontifices fuisse credebantur, erat repetenda, quod etiam animadvertit Fleuryus *par.* 1 *cap.* 1 *num.* 8, *de origin. jur. eccles.* Quare Wenilo archiepiscopus Senonensis cum litteris, quæ ejus nomine datæ sunt ad Nicolaum, apud Labbeum *Collect. concil., tom.* 9 *col.* 1330, ageret de observanda epistola Melchiadis, id tantum quærendum duxit, num ea apud summum Pontificem, hoc est in archivo Romanæ ecclesiæ reperiretur.

§. LXVII. Serius Romæ hæc collectio innotuisse videtur; et Leo IV, qui Pontificatum obtinuit ab anno 847 usque ad annum 855, cum responderet episcopis Britanniæ (1), decretales memorat eorum Pontificum, quibus tunc in ecclesiasticis judiciis Romana ecclesia utebatur, sed nullam tamen facit mentionem decretalium, quas Isidorus collegerat, licet harum multæ ad hæc judicia pertineant. Imo neque Nicolaus I, qui post Leonem Pontificatum obtinuit, laudavit umquam aut approbavit falsas decretales, quæ Isidori collectione continentur (2). Quod vel unum argumentum plane refellit calumniam eorum, qui aliquas in ea col-

lectione Pontificum Romanorum partes fuisse arbitrantur.

(1) Exstat hæc epistola apud Sirmondum, *tom.* 3 *concil. Gallic. pag.* 72, *edit. Paris. an.* 1629.
(2) Confer Ballerinios *loc. cit., cap.* 6 *pag.* 215, et Blascum *loc. cit., cap.* 4 *pag.* 31.

§. LXVIII. Hodie perspicua, non suspiciosa omnibus est falsitas decretalium ac monumentorum, quæ ex penu Isidori Mercatoris educta sunt. Nam I. Dionysius Exiguus maxima cura ac diligentia lustratis excussisque scriniis sedis apostolicæ nullam illarum decretalium invenire potuit. II. Scriptores ecclesiastici, qui per octo priora sæcula floruerunt, et concilia quæ per eam ætatem habita sunt, nullam harum decretalium mentionem faciunt quamquam plus semel facere debuissent. III. Denique multa in iis occurrunt recentiora ætate Pontificum, quibus illa adscribuntur, uti Sacrorum Bibliorum sententiæ secundum Vulgatam, leges ex utroque codice petitæ, posteriores canones conciliorum, ac decretales summorum Pontificum et cetera generis ejusdem (1).

(1) Adde et illud, quod hujus collectionis auctor eam tribuit S. Isidoro, quem episcopum et hispanum fuisse significat, qualis non alius esse poterat, quam S. Isidorus Hispalensis. Atqui post ejus obitum sunt habita octo Toletana concilia a V ad XIII, et unum Bracarense, quæ in ea collectione referuntur; similiter vivo Isidoro habitum nondum fuerat concilium œcumenicum VI cujus in præfatione mentio est.

§. LXIX. Quæ præsertim hujus collectionis evulgandæ ratio fuerit, facile intelliget quisquis paulo diligentius consideret, quo potissimum tota referatur. Nam falluntur egregie homines male animati in sedem Apostolicam, qui eam editam putant, ut ejus opifex Romanorum Pontificum auctoritatem amplificaret atque defenderet. Quamquam enim Apostolicæ sedis amplitudo

et auctoritas pluribus commendetur, non tamen hoc pseudo-Isidori propositum atque institutum fuit, neque ea sedes, cujus jura et privilegia certissimis nituntur monumentis, falsis illis decretalibus indigebat (1).

(1) Vide Baronium *ad ann.* 865, *num.* 8 *pag.* 18 *tom.* 15, *edit. Lucæ.*

§. LXX. Longe aliud Pseudo-Isidori consilium fuisse demonstrat ipsa præfatio, ac totius operis ratio. Nam in ea satis declarat, sese illa collegisse monumenta, ut omnes ab episcoporum accusationibus deterreat (1), tum vehementius invehitur in eos, qui episcopos audent accusare, et multa proponit, per quæ hujusmodi accusationes difficillimæ evadant. Huc etiam tota spectat collectio, et huc falsa monumenta, in quibus eadem est semper de accusatis episcopis cura et sollicitudo.

(1) Postquam in præfatione Isidorus documenta indicavit, quibus sua collectio conficitur, hanc eorum colligendorum rationem affert: *Quatenus ecclesiastici ordinis disciplina in unum a nobis coacta atque digesta, et Sancti Præsules paternis instituantur regulis, et obedientes ecclesiæ ministri, vel populi spiritualibus imbuantur exemplis, et non malorum hominum pravitatibus decipiantur. Multi enim pravitate et cupiditate depressi* ACCUSANTES SACERDOTES DEPRESSERUNT. Quod multis persequitur acerbe objurgans illos, qui episcopos accusant, *ut se per illos excusent, vel eorum bonis ditentur*, ac multa hujusmodi judiciorum incommoda describens illud urget, episcopos accusatos et rebus suis spoliatos, aut gradu motos, aut e sede pulsos ad dicendam causam cogi non posse, nisi primum fuerint restituti, et quædam addit de accusationibus atque accusatoribus rejiciendis.

§. LXXI. Atque hoc quidem consilium maxime perspicitur in capitulis Hadriano tributis, quæ veluti summam exhibent falsorum monumentorum, unde potissimum excepta sunt. Nam pleraque eo spectant, ut ne a quolibet episcopi accusentur, ut ne facile accusatores audian-

tur, sed ut multis ex causis tum eos, tum judices liceat recusare. Cum hæc summa sit, et hic finis totius collectionis, quis non facile intelligit, id sibi unum falsis illis mercibus voluisse Isidorum, ut consuleret episcopis, qui accusabantur (1)?

(1) Quod late, vereque ostendunt fratres Ballerinii, *in cit. par.* 3 *cap.* 6, §. 3 *num.* 10 *pag.* 220, et Blascus *loc. cit., cap.* 7 *et seq., pag.* 62 *et seq.* Idem etiam ante ipsos observaverat Fleuryus *lib.* 44 *num.* 22 *Histoire eccles. La principale,* inquit, *matière de ces décrétales sont les accusations des évêques : il n'y en a presque aucune qui n'en parle, et qui ne donne des règles pour les rendre difficiles. Aussi* Isidore *fait assez voir dans la préface, qu'il avoit cette matière fort à cœur;* et idem similiter van Espen *Comment. in quæst.* 7 *caus.* 2, ubi de Gratiano disserens inquit : *Hic rursus adducit varia fragmenta fictarum decretalium, quæ præcipue ad eximendos episcopos ab omni criminali judicio adornatæ apparent.* Sed vide fidem et inconstantiam hominis, quem rapit in sedem Apostolicam virus acerbitatis suæ : adversus hanc, quam noscit, veritatem, inquit *in Jur. eccles. univers., par.* 3 *tit.* 3 *c.* 4 *num.* 16, Isidorianam collectionem pertinere *præcipue ad amplificandam sedis Apostolicæ auctoritatem.* Falsitatem monumentorum, quæ Isidoriana collectio complectitur, præter Hincmarum, ceterosque antiquiores, agnoverunt etiam atque indicarunt ex catholicis Antonius Contius, Antonius Augustinus, Bellarminus, Baronius, Perronius, Petrus de Marca, Cajetanus, Cennius aliique complures. Egregie rem hanc universam persequuntur fratres Ballerinii, Blascus *loc. cit.,* et Franciscus Antonius Zaccaria *Anti-Febron., tom.* 2 *dissert.* 3. Ceterum, ut ipse fatetur David Blondellus, his decretalibus infensissimus, omnes fere ex usu eorum temporum, atque ex veris posteriorum aliorumque scriptorum operibus excerpta sunt, atque in eo fuit fraus Isidori, quod ipse eas sententias iis auctoribus adscripsit, quorum revera non sunt, et recentiorem disciplinam antiquis Patribus attribuit, quasi eadem etiam antea viguisset; quod recte etiam observant atque demonstrant fratres Ballerinii *loc. cit.,* §. 3 *num.* 11 *pag.* 221, *et de potest. eccles. summor. Pontific. et concil. gener. in vindic. auctor. Pontific., cap.* 5 §. 2 *pag.* 195 *et seq., edit. Aug. Vindelic.* 1770. Ex quibus intelligitur, quam injustæ vanæque sint querimoniæ Espenii, Febronii, Eybeli, ceterorum generis ejusdem, qui per Isidorianas decretales fractos putant ecclesias-

ticæ disciplinæ nervos, jus novum indictum, perturbata episcoporum et provincialium conciliorum jura, novamque in sedem Apostolicam collatam potestatem. Quis non intelligit, quam injusta reprehensio sit, cum Isidorus suis decretalibus comprehenderit jus ab aliis constitutum, aut jam suæ ætatis more et consuetudine receptum? Quare perperam et minus recte Cavallarius eorum, quorum nunc memini aliorumque vestigiis insistens in *Institutionibus Juris canonici*, quas non multis ab hinc annis Neapoli evulgavit, *in prolegom. cap.* 6, ita partitus est rem canonicam, ut ab Isidoriana collectione novi juris initium repetat. Si novum non est jus Isidorianum, quid illa partitione ineptius dici fingique potest? Vera totius rei partitio est, ut *jus antiquum* conficiant collectiones, quæ nunc antiquatæ sunt, *novum* collectiones, quibus in scholis et in foro utimur, *novissimum* recentiores leges ecclesiasticæ, quæ post illas editas collectiones prodierunt.

§. LXXII. Plures deinde sequutæ sunt collectiones, quarum non eadem methodus omnium fuit. Principio collectio occurrit cum titulo *Canonum Pœnitentialium*, cujus incertus est auctor, quæque tametsi illam præ se ferat inscriptionem, tamen rem totam ecclesiasticam complectitur (1). Sunt etiam memoratu dignæ collectiones Reginonis monachi Benedictini, qui opus edidit *de Ecclesiastica disciplina et Religione christiana* (2); Burchardi Wormatiensis, cujus in manibus hominum versatur *magnum decretorum volumen* (3); Anselmi Lucensis, cui tribuitur *authentica et compendiosa collectio Regularum, et sententiarum SS. Patrum et authorabilium conciliorum*, ac præterea opusculum ex pluribus SS. Patrum operibus excerptum (4); denique Ivonis Carnotensis, qui et *Excerptiones ecclesiasticarum regularum* et *panormiam*, vel *pannormiam* evulgavit (5). Sunt et alii, qui suam in colligendis canonibus operam studiumque posuerunt; sed de omnibus dicere longum esset, et jam nos ad se vocant collectiones, quibus nunc, antiquatis vetustioribus, corpus juris canonici conficitur.

(1) Codicem hunc, quem pridem manu scriptum inspexerat Joannes Morinus, primus in lucem emisit Lucas d'Achery *Spicil.*

Veter. scriptor., tom. 1 *pag.* 510 *et seq., edit. Paris.* 1723. Est autem divisus in libros tres, quorum primo agitur *de Pœnitentibus et de pœnitentiis*, altero *de judiciis*, tertio *de ordinationibus, gradibus, et officiis clericorum atque episcoporum.* Sunt et aliæ collectiones, quæ *canonum pœnitentialium* titulo inscribuntur, ac de quibus agunt fratres Ballerinii, qui integro *tom.* 3 *Appendic. ad oper. S. Leonis M.* vetustas collectiones omnium diligentissime persequuntur.

(1) Regino Prumiensis Monasterii Abbas jussu Radbodi Trevirensis archiepiscopi anno, ut creditur 906, suam collectionem absolvit tributam in libros duos, quorum primus *de personis* agit *rebusque ecclesiasticis*, alter *de laicis.* In ea conficienda usus est collectione Dionysiana, Hispanica, et forte etiam Isidori Mercatoris, decretis summorum Pontificum, canonibus conciliorum et sententiis sanctorum Patrum, quibus etiam civiles leges adjunxit petitas tum ex codice Theodosiano, tum ex capitularibus Regum Francorum. Collectionem hanc an. 1671, primus Parisiis edidit notisque illustravit Stephanus Baluzius.

(3) Prodiit hæc collectio initio sæculi XI divisaque est in libros viginti, et vulgo *decretum* appellatur. Multa ex Reginone desumpsit Burchardus, neque ejus tamen mentionem fecit, ut observat Baluzius *in præfat. ad Reginon.* Reginonis autem erratis sua etiam addidit, præsertim ex falsis Isidori decretalibus, quædam etiam ex veteri novoque testamento, atque libris pœnitentialibus accepit.

(4) Primum illud opus Anselmo tribuendum non esse suspicantur Antonius Augustinus, Natalis Alexander, Baluzius, ceteri, qui alterum eidem opus adscribunt.

(5) Utraque hæc collectio pertinet ad exitum sæculi XI, aut ad initium sæculi XII. *Excerptiones ecclesiasticarum regularum* nunc vulgus appellat *decretum*, quod divisum est in libros septemdecim; *Panormia*, quæ dividitur in libros octo, veluti ejus compendium est, atque ita dicitur quasi omnes comprehendat normas vitæ, ac disciplinæ ecclesiasticæ. Bellarminus *de script. eccles., tom.* 7 *oper. pag.* 551, *edit. Venet. an.* 1728, et Antonius Augustinus *de quibusd. collector. canon., cap.* 30 *pag.* 241 *et* 242 *tom.* 3, *edit. Lucæ;* Natal. Alexander *Histor. eccles. sæc.* 1 *appendic. ad dissert.* 20 *num.* 9 *pag.* 201 *tom.* 3, *edit. Venet. an.* 1776; Jo. Baptista Bartolus *Institut. jur. canon. cap.* 52; Joannes Molinæus, qui primum Lovanii an. 1561 decretum edidit, *in præfat.*, aliique complures disputant, num Ivo Panormiæ auctor revera sit. Burchardi et Ivonis fidem sequutus Gratianus in iisdem erratis hæsit, in quæ ipsi pridem inciderant.

CAPUT VI.

De recentioribus Juris canonici Collectionibus.

LXXIII. Gratiani decretum,
LXXIV. Ejus methodus,
LXXV. Decreti laudes,
LXXVI. Vitia,
LXXVII. Eorum emendatio,
LXXVIII. De nomine Paleæ.
LXXIX. Decreti auctoritas.
LXXX. Collectio Bernardi Circa.
LXXXI. Collectiones Gilberti, Alani, Joannis Galensis.
LXXXII. Collectiones decretalium Innocentii *III.*
LXXXIII. Decretales Honorii *III.*
LXXXIV. Collectio Gregorii *IX.*
LXXXV. Cur decretalium nomine appelletur?
LXXXVI. Ejus fontes,
LXXXVII. Divisio.
LXXXVIII. Collectio Bonifac. *VIII.*
LXXXIX. Clementinæ.
XC. Extravagantes.
XCI. Glossæ.

§. LXXIII.

Transgredimur nunc ad recentiores Juris canonici collectiones; et primum quidem occurrit Gratianus monachus Benedictinus Clusii natus, qui medio sæculo XII scripsit *Concordantiam discordantium canonum*, quam nunc *Decretum* vocamus (1). Tota hæc collectio conflata est ex locis S. Scripturæ, ex canonibus quinquaginta apostolorum, ex conciliis generalibus ac particularibus, ex decretalibus summorum Pontificum, ex operibus Patrum scriptorumque ecclesiasticorum, ex libris Juris civilis Romanorum, capitularibus regum Francorum et rescriptis aliquot Imperatorum, denique ex historia ecclesiastica, gestisque summorum Pontificum plerumque desumptis ex libro diurno atque ex ordine Romano.

(1) Decreti nomen, quo nunc Gratiancam collectionem appellamus, in eam quadrare nulla ratione posse, cum non unum,

sed plura decreta referantur, jamdiu observarunt viri docti, præsertim Antonius Augustinus, Romani correctores. Sed usus fori et scholarum fecit, ut nunc ab omnibus eo nomine Gratiani collectio appelletur. Vide Antonium Augustinum *de emend. Gratian. lib.* 1 *dial.* 1, et notas in eumdem locum *lit. B pag.* 17 *tom.* 3, *edit. Luc. an.* 1767.

§. LXXIV. Dividitur autem universa collectio in partes tres, quarum prima de personis præsertim agit, continet *distinctiones* 101, et sub qualibet distinctione plures *canones*, qui ita allegantur ex. gr. *can. omnes dist.* 1, hoc est *can.* qui incipit *omnes dist.* 1, vel per numerum canonis, ex. gr. *can.* 3 *dist.* 1. Pars altera judicia persequitur eaque divisa est in causas, quæ sunt numero 36, sub unaquaque causa sunt plures *quæstiones* et sub quæstionibus plures *canones*. In altera hac parte laudantur *numerus*, *causæ* et *quæstiones*, præterea numerus, vel priora canonis verba: *ex. gr. can.* 2 *caus.* 8 *quæst.* 2, vel *canon nemo. caus.* 11 *quæst.* 3. Exstat in hac decreti parte, hoc est *in caus.* 33 *quæst.* 3, tractatus *de pœnitentia* in septem distinctiones tributus. Cum indicantur canones qui in hoc tractatu referuntur, ne cum canonibus primæ partis confundantur (eodem enim modo procedunt) additur *de pœnitentia* et causa nequaquam citatur, ex. gr. *can. quem pœnitet dist.* 1 *de pœnitent.* Denique *ad res* pertinet tertia pars, eaque complectitur tractatum *de consecratione* tributum *in quinque distinctiones*, quarum canones laudantur hoc modo *can. tabernaculum dis.* 1 *de consecr.*, vel *can.* 1 *de consecr. dist.* 1. Additur *de consecratione*, ut noscatur, canonem ad partem tertiam pertinere.

§. LXXV. Dici vix potest, quantis plausibus et quanta hominum approbatione Gratiani collectio fuerit excepta, adeo ut in scholis publice legeretur, et in foro tamquam pars communis juris haberetur. Magna sane et illustri laude merito celebratus est Gra-

tianus, tum quia non ordinem sequutus temporum, ut plerique fecerant, sed sub certis titulis distribuit materiam universam, tum quia multo ceteris uberiorem atque ampliorem dedit collectionem, qua complexus est quidquid fere pertinet ad rem ecclesiasticam, tum quia magno ingenii acumine et diligentia, aptaque non scholis tantum, sed etiam forensi exercitatione methodo, omnia ad concordiam vocare conatus est, inter quæ pugna esse videbatur.

§. LXXVI. Verumtamen illud accidit perincommode, quod tanta vir sedulitate, tamen, quæ illius temporis conditio erat, neque satis fuit antiquitatum gnarus et rivos sectatus, pleraque in opus suum derivavit non ipsis ex fontibus, sed ex mendosis collectionibus Burchardi, Ivonis, ceterorum. Factum hinc est, ut sæpe falsa pro veris usurpet; fidem adjungat decretalibus Pontificum Siricio antiquiorum; confundat canones quini-sextæ in Trullo synodi cum canonibus sextæ synodi œcumenicæ, sententias Patrum cum decretis Pontificum Romanorum, aut conciliorum, et Patrem unum, aut unum concilium atque Pontificem cum alio Pontifice, concilio, Patre; corrumpat auctorum nomina et loca, atque iis sententiam adscribat, quam numquam animo conceperunt (1).

(1) Verissimum hoc est de Gratiano judicium, quod tradidit Antonius Augustinus *lib. dialog. 1 de emend. Gratian., tom. 3 pag. 21 edit. Lucen.*

§. LXXVII. Cum hæc animadvertissent Antonius Contius et Antonius Democharcs de Gratiani emendatione sedulo cogitare cœperunt. Primum itaque canones omnes per numeros distinxerunt, ut facilius inveniri laudarique possent, deinde plures decreto notas atque emendationes addiderunt. Sed cum multa adhuc essent emendanda, Pius IV et S. Pius V, selec-

tis quibusdam viris, quos *Romanos correctores* vocamus, decreti emendationem commiserunt, quæ demum Gregorio XIII Pontifice fuit absoluta. Antonius etiam Augustinus Tarraconensis archiepiscopus eruditum vulgavit opus de Gratiani emendatione (1).

(1) Quod comprehenditur duobus dialogorum libris, qui exstant *tom.* 2 *ejus operum, edit. Luc.* 1767. Novissime de Gratiani emendatione summo studio ac diligentia laboravit Sebastianus Berardus, qui rem totam absolvit quatuor voluminibus, quorum est titulus: *Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti, corrupti ad emendatiorum codicum fidem exacti; difficiliores commoda interpretatione illustrati.* Suam quoque in Gratiani decreto emendando, aut explicando operam et industriam posuerunt Pithœus, Van Espen, Diomedes Brava, Boehmerus, Paulus, et I. A. de Riegger. Paucis ab hinc annis Le Plat disputatione Lovanii edita, plane commentitios ac nullius auctoritatis esse inquit canones, quos Gratianus ex concilio Carthaginensi IV descripsit. Certe hujus concilii nulla mentio est in Codice canonum ecclesiæ Africanæ, nulla item apud Ferrandum diaconum, Dionysium Exiguum ceterosque antiquos collectores. Hinc Justellus *in præfat. ad Cod. eccles. African.,· tom.* 1 *Biblioth. Jur. can., pag.* 517, concilium hoc Carthaginense IV repudiandum putat. Verum multi ex eo canones laudantur ab Egberto Eboracensi, Reginone, Burchardo, Anselmo Lucensi atque aliis; et ritus, qui ad ordinationes pertinent, totidem verbis exhibet sacramentarium Romanum, quod ex Bibliotheca Reginæ Christinæ edidit Thomasius qui illud in Gallia sæculo VII scriptum putat. Emmanuel Schelstratius, *dissert.* 3 *de Eccles. African.*, priores canones de ritu ordinationum agentes in synodo Carthaginensi an. 398 constitutos putat; ceteros autem canones non in ea synodo conditos, sed a privato homine partim ex Orientalibus, partim ex Occidentalibus canonibus collectos fuisse arbitratur. Tillemontius *art.* 123 *et not.* 29 *in Augustini vit., tom.* 13 *pag.* 521 *et* 982, *edit. Venet.* 1732. Synodum hanc defendere atque objectis difficultatibus satisfacere conatur. Late etiam et graviter de hujus Carthaginensis concilii auctoritate disputat Ceillierus *Histoire génér. des auteurs sacr. et ecclés. etc., tom.* 10 *pag.* 686 *et* 687. Sed ut vera habeatur sententia eorum, qui ad concilium Carthaginense IV an. 398 pertinere negant canones illos 104, qui eidem concilio adscribuntur; equidem valde dissentio ab iis, qui eosdem canones plane repudiandos ac des-

piciendos existimant. Constat enim hos canones ante VI sæculum laudari consuevisse fuisseque agnitam eorum auctoritatem, uti ostendunt fratres Ballerinii *in append. ad opp. S. Leonis M., tom. 3 par. 2 cap. 3, §. 4 pag. 88 seq.* Quare omnis, si quis est, Gratiani error consistit in titulo, sive inscriptione, quia nimirum concilio Carthaginensi IV canones adcripsit, qui ejus revera non sunt; sed tamen hos canones tamquam commentitios ac nullius auctoritatis despici et repudiari posse, vehementer nego.

§. LXXVIII In inscriptionibus capitum, quæ in decreto referuntur, sæpe occurrit nomen hoc *Palea*, quod unde sit desumptum, certo statui non potest. Quidam ea capita hoc nomine designari putant, quod sub illis incerta ac nullius pretii, vel antiquata, aut etiam repetita contineantur; sed horum opinio vera esse non potest, cum non semper his capitibus vilia, antiqua, iterata comprehendantur. Similior forte vero est opinio illorum, qui statuunt, *Paleam* nomen esse auctoris, a quo canones utilitate atque auctoritate præstantes adjecti sint, qui canones initio in margine appositi deinceps in libri contextum irrepserint (1).

(1) Observant Romani correctores, in vetustissimis codicibus paucissima esse capita, quæ *Palea* nomen præ se ferunt; atque eadem in uno codice valde emendato in margine reperiri, in recentioribus autem decreti exemplaribus plura numero esse, quam in antiquis codicibus reperiantur. Ex quo conficiunt, eadem capita deinceps addita fuisse, cum antea in decreto non haberentur. Non tamen unus fuisse videtur eorum omnium capitum auctor, neque omnia eodem tempore scripta sunt; ideo vetustiores codices minorem habent capitum illorum numerum, quam habeant recentiores. Si *Paleam* auctoris nomen esse volumus, cum ipse primus hæc capita addere cœperit, mirum non est, quod ceteri, qui eum sequuti sunt, suis quoque additionibus nomen ipsum inscripserint. Neque despicienda est conjectura eorum, qui putant, decreti studiosos illas in margine scripsisse additiones cum verbis *post alia*, sive P. *alia* ut significarent, ea capita esse collocanda post ea, quæ Gratianus scripserat; errore autem librariorum ex iis verbis deinceps factum esse *Paleæ* nomen. Vide Anton. Augustin. *de emendat. Gratian. lib. 1 dialog. 2 pag. 26*, et notas in eumdem locum, ubi *lit. a.* Romanorum correctorum ea de re judicium describitur.

§. LXXIX. De auctoritate decreti sic habendum est : omnia, quæ in eo referuntur, vim eamdem habere ac si seorsim a decreto spectentur. Itaque loca Sacræ Scripturæ, decreta summorum Pontificum et generalium conciliorum, quam sua indole et natura vim habent, eamdem in decreto retinent: cetera vero auctoritatem, qua per se carent, in decretum translata non consequuntur. Sunt qui decretum ab Eugenio III probatum et publica auctoritate donatum putant; sed hæc opinio nullum habet idoneum fundamentum, quo niti posse videatur (1). Neque enim umquam a sede Apostolica decretum approbatum est (2); quin etiam Gregorius XIII huic operi emendando licet primum a Pio IV et V præpositus fuisset, ei tamen Pontificiam auctoritatem tribuere noluit, cum illud se Pontifice absolutum in manus hominum pervenisset.

(1) Dedit quidem Eugenius III facultatem, ut Gratiani collectio *publice posset legi et explicari*, uti habet Kalendarium Gymnasii Bononiensis ad an. 1152 Kalend. Novembr. apud Alexandrum Machiavellium *in not. ad Sigonium Histor. Bonon.;* sed neque id fieri præcepit, neque auctoritate sua decretum confirmavit.

(2) Vide Antonium Augustinum, *lib. 1 dialog. 3 de emend. Gratian., tom. 3 pag. 26 et 27, edit. cit.*

§. LXXX. Post editum Gratiani decretum plures prodierunt summorum Pontificum decretales, quibus magnus canonicæ jurisprudentiæ cumulus accedebat. Itaque Bernardus Circa præpositus Papiensis, ac postea Faventinus episcopus an. 1109 evulgavit *Breviarium extravagantium*, hoc est decretorum, quæ extra Gratiani decretum vagabantur. Nam hæc collectio non tantum continet antiquiorum Pontificum decretales, canonesque conciliorum et Patrum sententias, quæ Gratiani diligentiam effugerant, sed et in primis constitutiones summorum Pontificum post Gratianum editas, nimirum Alexandri III, Lucii III, Urbani III,

Clementis III, præterea canones concilii Lateranensis III. Collectio hæc *prima collectio* appellatur.

§. LXXXI. Bernardum Papiensem sequuti sunt Gilbertus Abbas et Alanus episcopus Antissiodorensis, qui omissas a Bernardo constitutiones collegerunt; sed horum collectiones brevi interciderunt. Quare ex iis novam confecit anno 1202 Joannes Galensis seu Vallensis, qui ea complexus est tum eorumdem Pontificum, de quibus diximus, tum Cœlestini III constitutiones. Atque hæc *secunda collectio* dicitur.

§. LXXXII. Tum Bernardus Major Compostellanus archidiaconus ex decretalibus, quas prioribus annis duodecim Innocentius III ediderat, aliam collectionem absolvit, quæ tamen usu recepta non est. Nam ipse Innocentius opera Petri diaconi Beneventani decretales suas unum in corpus redigendas curavit. Atque hæc collectio, quæ prima ab ipso Innocentio publica auctoritate donata est, *tertia collectio* fuit appellata. Hanc vero brevi consequuta est collectio, quæ *quarta* dicitur, quæque incertum habet auctorem et comprehendit posteriores Innocentii III decretales et canones concilii Lateranensis IV, quod eo Pontifice habitum est.

§. LXXXIII. Honorius etiam III, qui post Innocentium Pontifex creatus est, suas decretales colligendas curavit atque hæc *quinta* decretalium collectio vocata est. Utraque illa Innocentii et hæc Honorii collectio sedis Apostolicæ auctoritate evulgata est. Atque hæ sunt quinque veteres decretalium collectiones, quarum priores quatuor Antonius Augustinus, postremam Innocentius Cironius ediderunt notisque illustrarunt (1).

(1) Duas etiam Alexandri III collectiones post Boehmerum, memorat Philippus Hedderichius *Element. Jur. Canon., par. 1 tit.* 7 §. 92.

§. LXXXIV. Denique Gregorius IX, qui post Honorium Pontificatum obtinuit, suam confecit collectionem, per quam obsoleverunt quinque illæ vetustiores, quarum nunc facta mentio est. Prodiit hæc collectio, quam *decretales* dicimus, anno 1234 (1), studio atque opera Sancti Raymundi de Pennafort ex ordine Prædicatorum. Quod Justinianus in Jure civili præstiterat, ut ex codicibus Gregoriano, Hermogeniano, Theodosiano, atque ex novellis constitutionibus, quæ deinceps prodierant, illis etiam additis, quas ipse emiserat, novum codicem absolveret, id in Jure canonico Gregorius præstitit. Justiniani rationem in eo quoque ipse est imitatus, quod ex decretalibus superiorum Pontificum ea sustulit quæ inutilia erant, quæque inter se pugnare videbantur.

(1) Romam venit Raymundus an. 1230, in eaque urbe jussus a summo Pontifice trium annorum spatio operam dedit colligendis decretalibus; atque hanc collectionem in manus hominum pervenisse an. 1234 ostendit exemplum, a Bremondio editum, epistolæ Gregorii IX, quæ ante ipsas decretales descripta est dataque nonis septembris ann. 1234. Vide *Præfationem* §. 5 *num.* 12 *pag.* 7, *et notas* 8 *et* 9 *in vitam Sancti Raymundi, pag.* 32, quæ omnia præmissa sunt *Summæ S. Raymundi de Pennafort, edit. Veronæ an.* 1744.

§. LXXXV. *Decretalium* nomine collectio hæc appellatur, quod decretales epistolas summorum Pontificum præsertim complectitur. Sunt autem decretales epistolæ, quæ etiam absolute *decretales* et *decretalia responsa* vocantur, Pontificiæ litteræ, quibus consulenti rescribitur et quæ decretales dicuntur, propterea quod iis aliquid generatim vim habiturum, re diligenter expensa, decernitur.

§. LXXXVI. Depromptæ sunt Gregorianæ decretales non tam ex constitutionibus Pontificum Romanorum a S. Gregorio I usque ad Gregorium IX, quam etiam ex locis quibusdam Sacræ Scripturæ, canonibus

apostolorum, decretis conciliorum ab Antiocheno usque ad Lateranense IV, denique ex Patrum aliorumque auctorum operibus. Ex quo conficiet fortasse aliquis huic collectioni minus recte adscriptum fuisse nomen *decretalium*, cum in ea non tantum Pontificiæ constitutiones, sed et alia permulta referantur. Verum cum maxima pars ejusdem collectionis conflata sit ex Pontificum decretalibus, additis præterea canonibus generalium conciliorum Lateranensium III et IV, quorum auctores Alexander et Innocentius III, facile intelligitur, quam apte in eam quadret decretalium nomen.

§. LXXXVII. Dividitur Gregoriana collectio in quinque libros, quorum ordinem, et res de quibus agitur in uniquoque eorum, exhibet hic versiculus :

Judex, Judicium, Clerus, Connubia, Crimen.

Libri autem divisi sunt in plures titulos, quorum singuli plura capita continent et capita cum longiora sunt, in paragraphos tribuuntur. Ex his quoties aliquid laudandum est, indicantur prima verba capituli vel numerus, vel utrumque simul, hoc modo : *Cap. venerabilem de elect.*, *Cap.* 1 *de Cleric. conjug. Cap. tua nos* 26 *de sponsal. et matrim.* (1).

(1) In allegandis hujus collectionis capitibus interjici a quibusdam solet verbum *extra*, hoc modo *Cap.* 7 *extra de elect.*, ut nimirum pateat, caput illud extra Gratiani decretum reperiri. Sed hæc minus frequens est allegandi ratio.

§. LXXXVIII. Gregorianæ collectioni deesse aliquid videbatur, cum novæ deinceps prodiissent summorum Pontificum constitutiones, dignæ sane, quæ in unum corpus redigerentur partemque communis juris constituerent. Itaque Bonifatius VIII anno quarto, postquam Pontifex creatus fuerat, usus opera Guillelmi archiepiscopi Ebrodunensis, Berengarii episcopi Biter-

rensis et Richardi de Senis, qui omnes postea cardinales facti sunt, collegit canones duorum generalium conciliorum Lugdunensium et decretales Pontificum Romanorum, quæ post editam Gregorii IX collectionem fuerant evulgatæ, atque ex iis, suis etiam comprehensis constitutionibus, confecit *sextum decretalium*. Quare hæc collectio Gregorianæ est supplementi loco, ac totidem, quot ea, libris constat. Ejus capita cum laudantur, in fine additur *in sexto*, ut a capitibus Gregorianæ collectionis distinguantur, hoc modo: *Cap. concertationi de appellat. in* 6.

§. LXXXIX. Paulo post Bonifacium VIII Clemens V, qui Pontifex renunciatus est initio sæculi XIV, collectionem fieri jussit quamplurium constitutionum, quas ipse emiserat in concilio Viennensi. Sed cum morte occupatus eam in vulgus edere non potuisset, id perfecit Joannes XXII, qui illam in quinque libros divisam sexto decretalium adjecit. *Clementina* hæc collectio appellatur ab auctore suo Clemente V, et constitutiones ea comprehensæ citantur hoc modo: *Clement, quia contingit*, 2, *de relig. domib.*

§. XC. Post Clementinas prodiere *extravagantes*, quæ hoc nomine appellatæ sunt, quia vagabantur extra corpus Juris canonici, atque extra collectiones, quibus tunc Jus ipsum constabat (1). Duplex earum genus est. Aliæ nimirum sunt Joannis XXII, aliæ communes dicuntur, quod non unius Pontificis, quemadmodum extravagantes Joannis XXII, sed complurium continent decretales ab Urbano IV (2) usque ad Sixtum IV, quo Pontifice hæc collectio privato studio perfecta est (3). Ea vero dividitur in libros V, sicut Gregoriana et ejus loca sic laudantur: *Extrav. rem non novam de dol. et contumac. inter commun.* At vero extravagantes Joannis XXII omnes uno comprehensæ sunt libro, atque ita ejus loca indicantur: *Extrav. cum inter nonnullos Joan. XXII de verb. signif.*

(1) Pontificiæ omnes constitutiones, post decretum editæ, olim extravagantes dicebantur, quod extra volumen illud vagarentur, et ideo primam earum collectionem Bernardus Papiensis *breviarium extravagantium* appellavit. Sed posteaquam in manus hominum pervenit collectio Gregorii IX, cum decretales in ea comprehensæ non amplius vagarentur, et tamen extra primum Juris corpus consisterent, doctores ejus temporis hanc collectionem indicantes solum vocabulum *extra* retinuerunt.

(2) Antiquissima decretalis, quæ occurrit in extravagantibus, est Urbani IV, si vera est inscriptio in *Cap.* 1 *de Simon.*

(3) Decretalis omnium novissima est in *Cap.* 2 *de reliq. et venerat. Sanct.*, eaque a Sixto IV an. 1483 vulgata fuit.

§. XCI. Atque hi sunt libri illi, videlicet *decretum, decretales, sextus decretalium, Clementinæ, extravagantes,* quibus in scholis atque in foro utimur, et quibus corpus Juris canonici conflatum est. Sunt in libris singulis *Glossæ*, hoc est commentarii, qui multorum quidem opera exarati sunt, et qui non majorem habent auctoritatem, quam privati doctoris opinio habere potest in legibus explanandis. Corpus integrum Juris canonici Gregorio XIII Pontifice editum Romæ est diligenterque emendatum.

CAPUT VII.

De Jure novissimo.

XCII. Jus novissimum.
XCIII et XCIV. Septimus decretalium.
XCV. Bullæ.
XCVI. Earum species.
XCVII. Distinguuntur a Brevibus.
XCVIII et XCIX. Earum collectiones.
C. Regulæ Cancellariæ.
CI. Earum auctoritas.
CII. Concilium Tridentinum.
CIII. Declarationes Sac. Congregationum cardinalium.

§. XCII.

Verum editis libris illis, quos hactenus recensuimus, novæ prodierunt et quotidie in lucem prodeunt summorum Pontificum constitutiones; absolutæ sunt etiam atque ad eum perductæ statum, in quo nunc sunt, regulæ cancellariæ; habitum concilium Tridentinum, quod non tantum Lutheri præsertim et Calvini hæreses profligavit, sed multa etiam ecclesiasticæ disciplinæ capita constituit; denique plures etiam a sacris congregationibus cardinalium, præsertim concilii Tridentini interpretum, declarationes emissæ sunt. Ex his omnibus conficitur Jus novissimum, videlicet jus constitutum post evulgatos libros, quibus corpus Juris canonici constare diximus.

§. XCIII. Primus Gregorius XIII animum adjecit ad colligendas constitutiones summorum Pontificum, quæ post Sixtum IV in lucem prodierant, atque id negotii dedit viris doctis, qui *septimum decretalium* emitterent. Sed eo mortuo, cum opus adhuc esset infectum, illud perficiendum curavit Sixtus V, quo etiam humanis rebus erepto, denique opus integrum absolutum et typis excusum est Clemente VIII Pontifice, qui cum

cardinalis esset, ex numero illorum fuerat, qui ea in re suam operam studiumque posuerant. Sed obortis eo in opera difficultatibus (1), visum est supprimere exemplaria, quæ nunc rarissima sunt et gravi emenda pretio reperiri vix possunt.

(1) Vide Fagnan. *in Cap. cum venissent de judic. num.* 61, qui rem totam diligenter enarrat.

§. XCIV. Iisdem fere temporibus Petrus Matthæus jurisconsultus Lugdunensis edidit *septimum decretalium* ab se privato studio exaratum; sed hoc opus publica auctoritate caret, multa in eo sunt vitia et plura etiam desiderantur.

§. XCV. Sunt igitur extra corpus Juris canonici, sed tamen ipsius Juris partem efficiunt, posteriores decretales Pontificum Romanorum, quæ *bullæ* nuncupantur a *bulla,* aut *sigillo* vel plumbeo, vel aureo, quod una ex parte imagines exhibet SS. Apostolorum Petri et Pauli, ex parte altera nomen Pontificis, pendetque ex funiculo qui interdum sericus, interdum cannabis est.

§. XCVI. Bullæ aliæ consistoriales sunt, quæ expediuntur in consistorio, adhibito consilio cardinalium, a quibus subscribuntur et hæ aliud præterea sigillum *ad formam crucis* habere solent Aliæ vero sunt *non consistoriales,* quæ extra consistorium nullis cardinalium subscriptionibus emittuntur. Sunt etiam *bullæ dimidiæ*, quæ hoc vocantur nomine, quod in sigillo impressum non habent nomen Pontificis, atque hæ feruntur a Pontifice antequam consecretur.

§. XCVII. Bullæ a brevibus distinguuntur I quod hæc pro levioribus, illæ pro gravioribus plerumque negotiis dari solent; II quod hæc latino eleganti charactere, illæ charactere Longobardico, aut Teutonico scribuntur; III brevia per cardinalem a secretis brevium, bullæ in cancellaria apostolica expediuntur; IV bullæ sigillum

habent aureum, vel plumbeum pro ratione eorum, ad quos mittuntur, brevia sigillum ceræ rubræ, in quo impressa est imago Sancti Petri piscationem exercentis, unde expediri dicuntur *sub annulo piscatoris;* V denique pro bullis subobscuræ crassioresque membranæ, pro brevibus albæ et subtiles adhibentur (1).

(1) Vide. *Constit.* 145 Benedicti XIV, *pag.* 361 *tom.* 1 *ejus Bullar., edit. Romæ* 1754.

§. XCVIII. Bullas, sive extravagantes Pontificum constitutiones a S. Leone M. usque ad Sixtum V primus collegit Laertius Cherubinus IC Romanus easque comprehendit uno volumine, quod *bullarium* appellavit. Auxit deinceps suum hunc librum constitutionibus Pauli V, ac tertiam quoque parabat bullarii editionem, qua etiam ceteræ constitutiones postea latæ continerentur. Sed cum re infecta e vita excessisset, susceptum a patre opus absolvit Angelus Maria Cherubinus, qui Romæ edidit *magnum Bullarium Romanum* divisum in tomos quatuor, quibus complexus est omnes constitutiones, quas pater collegerat et quas omiserat, atque illas in primis, quæ post ejus obitum prodierant usque ad Innocentium X. Quatuor his libris quintum addiderunt Angelus a Lantusca et Paulus a Roma, qui constitutiones collegerunt, quæ superiori tomo prætermissæ, quæque usque ad Clementem X editæ in lucem fuerant.

§. XCIX. Sed ceteris palmam præripuit *Bullarium magnum,* quod non multis ab hinc annis editum Romæ est ab Hieronymo *Mainardo* divisum *in tomos* 14, quodque omnes continet bullas summorum Pontificum a Sancto Leone M. usque ad Clementem XII; est etiam bullarium Benedicti XIV, quod ejus Pontificis constitutiones comprehendit, quodque in 4 tomos divisum est; et sunt item bullæ nondum uno libro compre-

hensæ Clementis XIII, Clementis XIV et Pii VI, quem diu Deus servet incolumem et ecclesiæ et nostrum omnium bono. Neque defuerunt qui bullarum summam, sive compendium conficerent, qua in re laborarunt Stephanus Quaranta et Flavius Cherubinus Laertii filius et novissime Aloysius Guerra, a quo tomis quatuor comprehensa est: *Pontificiarum constitutionum in bullario magno et Romano contentarum, et aliunde desumptarum epitome.*

§. C. Regulæ cancellariæ originem repetunt ab Joanne XXII, qui primus scripto mandari voluit has leges, ut iis apostolica cancellaria regeretur. Nam antea non scriptis regulis, sed consuetudine ac viva voce ejus negotia expediebantur. Consequentes Pontifices, ac præsertim Nicolaus V varie auxerunt has regulas easque perduxerunt ad eum statum, in quo nunc sunt. Hodie cancellariæ regulæ numerantur 72, in quas, præter ceteros, commentarios, scripsit omnium uberrimos, atque accuratissimos et quatuor tomis comprehensos Joannes Baptista Rigantius.

§. CI. Hæ regulæ vim obtinent, quamdiu sospes est Pontifex, a quo editæ sunt atque ut convalescant, probari et confirmari debent, quod paulo post creationem ab unoquoque Pontifice fieri solet. His vero derogatum in multis est per pacta conventa inter summos Pontifices et potentissimos Europæ principes, quæ pacta conventa, sive, ut vocant, *concordata* nos in his institutionibus suo loco indicabimus.

§. CII. Concilium Tridentinum indictum est a Paulo III, quo Pontifice decem habitæ sunt sessiones, octo nimirum Tridenti et duæ Bononiæ, quo venerant concilii Patres fugientes contagionem, qua Tridentum premebatur. A Julio III Tridenti restauratum est, ac sex habitis sessionibus propter bella intermissum. Denique redintegratum est a Pio IV, novemque celebratis sessionibus an. 1563 absolutum. Constat sessionibus

viginti quinque; habet unaquæque fere sessio partes duas, quarum una comprehendit capita et canones, quibus damnantur hæreses et catholicum dogma constituitur; altera, quæ inscribitur *de reformatione*, habet decreta, quæ disciplinam respiciunt (1). Sessio XXIV post editos canones de sacramento matrimonii continet decretum *de reformatione matrimonii*, quod in decem capita tributum est, deinceps capita viginti et unum decreti *de reformatione* generatim; sessio autem XXV, præter alia *reformationis* capita, complectitur decretum *de regularibus et monialibus*, quod est divisum in capita viginti duo.

(1) Hujus concilii historiam docte accurateque conscripsit Sfortia Pallavicinus cardinalis *Histor. concil. Trident. contra Petri Suavis narrationem.* Ipsum vero concilium legitimum et œcumenicum ab omnibus orthodoxis habendum, colendum et suscipiendum esse, præter ceteros ostendit Natal. Alexander *Hist. eccles., tom.* 9 *dissert.* 12 *art.* 16 *pag.* 566, *edit. Venet.* 1776.

§. CIII. Denique ad Jus canonicum pertinent etiam declarationes sacr. congregationum cardinalum. Sunt autem congregationes cœtus cardinalium, quibus a summo Pontifice certa negotia noscenda ac definienda commissa sunt. Plures hæ sunt; atque earum definitiones vim magnam habent; et cum consulto Pontifice feruntur, legem constituunt (1).

(1) Vide bullam *Immensa* 117 *Sixti V in Bullar. magn., tom.* 4. *par.* 4. *pag.* 592. De congregationibus cardinalium late agit Jacobus Cohellius *Notit. Cardinal.*

LIBER PRIMUS.

TITULUS I.

De Jure Personarum, deque Laicis et Clericis generatim.

I. Personarum divisio.
II. Baptizati ecclesiæ imperio subjiciuntur.
III. Cathechumeni.
IV. Hierarchia ordinis et jurisdictionis.
V. Clericorum jurisdictio,
VI ad VIII. Eorum jura et privilegia,
IX. Vita et honestas,
X. Habitus,
XI et XII. Tonsura.

§. 1.

Ut civile, ita etiam Jus canonicum pertinet ad *personas, res et judicia*. Personaram causa reliqua constituta sunt; itaque a personis exordiemur. Summa personarum divisio est, ut alii hominum laici, alii clerici sint (1). Qui divino cultui, et ecclesiæ ministerio ab episcopo in eorum ordinatione, seu consecratione addicti sunt, clerici (2), reliqui fideles laici appellantur. Clerici dicuntur a græco verbo κλῆρος, quod latine *sors* est, quoniam peculiari modo pertinent ad sortem atque hereditatem Domini (3); *laici* a græco verbo λαος, quod latine populum significat, quoniam populum et plebem ecclesiæ constituunt. Est et quoddam tertium genus personarum, quas ecclesiasticas vocamus, cujusmodi sunt monachi, ordinibus non initiati, moniales et si qui sunt alii, qui quamquam inter

clericos relati non sint, fruuntur tamen privilegiis clericorum, ob peculiare vitæ genus, quod profitentur.

(1) *Can.* 7 *caus.* 12 *quæst.* 1. Negligit nunc Jus canonicum summam illam personarum divisionem, quam proponit Tribonianus §. 1 *Instit. de jur. personar.*, quod nimirum omnes homines aut liberi sunt, aut servi; sed olim suos ecclesia servos habuit, quorum mentio est in Concilio Agathensi *can.* 7 apud Labbeum *collect. concil. tom.* 5 *col.* 522, Aurelianensi IV *can.* 9 *col.* 1365, Emeritensi *can.* 20 *col.* 522 *tom.* 7, locisque aliis et in decretalibus *cap.* 3 *et* 4 *de rer. permut.* Ecclesiæ servos manumittebat prælatus, tamquam procurator, non tamquam dominus; quoniam dominium ecclesiæ erat proprium, eaque idcirco *manumittens* dicitur in *cap.* 4 *de serv. non ordin.*, quia nimirum ejus auctoritate manumissio fiebat, licet actus ipse manumissionis ab episcopo perageretur. Justa autem causa opus erat, ut recte ecclesiæ servi manumitterentur, et sine hac causa manumissi in servitutem revocabantur, ne quid ecclesia caperet detrimenti. Concilium Hispalense I *cap.* 1 *et* 2 *tom.* 6 *concil. collect. Labei col.* 1315, et Emeritense *can.* 20 *col.* 522 *tom.* 7. Ecclesiæ servi debebant operas atque obsequium ecclesiæ, a qua manumissi fuerant, uti quilibet libertus patrono suo, et huc referendum est concilium Aurelianense IV, *col.* 1365 *tom.* 5 *cit.*, et Emeritense *can.* 20 *col.* 522 *cit. tom.* 7, cum hi liberti ab ecclesiæ *patrocinio*, aut *officio* discedere prohibentur. Quin illud peculiare erat in ecclesiæ servis, ut non modo ipsi, qui manumissi fuerant, sed etiam eorum liberi, sub ecclesiæ patrocinio esse deberent; concilium Toletanum III *can.* 6 apud Baluzium *loc. cit. col.* 400, et Emeritense *cit. can.* 20. Ante ætatem Caroli M. triplex erat manumittendi modus, aut coram principe *per denarium*, aut in ecclesia *per chartam*, seu *tabulam*, aut etiam *per privatam epistolam.* Manumissio *per denarium* in eo erat posita, ut servus manu teneret denarium, quem princeps jactabat atque excutiebat, uti habet vetus hujusce manumissionis formula apud Pithœum *Formul. antiquit. in codic. canon. veter. eccles. Roman.*, *num.* 4 *pag.* 457, *edit. Paris.* 1687, et in *Gloss. Leg. Salic. tit.* 28, post Baluzium *Capitular. reg. Franc.*, *tom.* 2 *col.* 477, *edit. Venet.* 1773, et Bignonium ad Marculfum *eod. loc. col.* 614, atque uti constat ex Marculfo *Formular. lib.* 1 *cap.* 22, *et in appendic. cap.* 24, apud eumdem Baluzium *loc. cit. col.* 264, *et* 300, ubi præceptum et charta denarialis occurrit. Genus

hoc manumissionis ex lege ripuaria repetitur in capit. Dagoberti Regis *num.* 57, apud Baluzium *Capitular. reg. Franc. tom.* 1 *col.* 28, *edit. Venet. an.* 1772, ex lege Salica a Marculfo *loc. cit.*, ex quo recte colligit Bignonius *in notis* ad illum Marculfi locum *col.* 614, manumissionem hanc *ex lege Salica, Ripuaria, aut alterius adventitiæ gentis* processisse. Servi hoc modo manumissi *denariales* homines et *denariales liberti* in capitularibus regum Francorum atque in legibus Longobardorum appellantur. Hujus manumissionis exemplum, præter cetera, exstat apud Martenium *Anecdot. tom.* 1 *pag.* 104, *edit. Paris.* 1717. Altera manumissio in ecclesia fiebat per chartam, ut est *in Capit.* 6 *Caroli M. an.* 788 apud Baluzium *tom.* 1 *col.* 152, *edit. cit. qui per chartam in ecclesia juxta altare dimissi sunt liberi*, eaque erat charta libertatis, quam dominus a se scriptam, aut subscriptam atque in ecclesia recitatam manumisso tradebat; aut a se scriptam tradebat archidiaconus, si dominus liberum esse servum ore pronunciaret. Atque hæc illa ipsa est manumissio, quam in Sacrosanctis ecclesiis fieri dixit Tribonianus §. *multis Instit. de Libertin.*, quamque memorat Constantinus M. in *L.* 1 *et* 2 *C. de his, qui in eccles. manumitt.*, et qui eo modo liberi fiebant, secundum legem Romanam manumitti dicebantur, atque ad hanc pertinet *Capit.* 58 legis ripuariorum apud Baluzium *loc. cit. tom.* 1 *col.* 28. Denique manumittebantur etiam servi per privatam epistolam, aut chartulam, et hinc Gregorius Turonensis *Histor. lib.* 9 *cap.* 26 *col.* 450, *edit. Ruinarti Paris.* 1699, narrat, quod Ingoberga Chariberti regis vidua, *subitanea ægritudine fatigata, migravit a sæculo, multos per chartulas liberos derelinquens.* Servi manumissi per chartulam, aut tabulam, sive ea privatim esset conscripta, sive publice in ecclesia recitata, *chartularii et tabularii* dicebantur, quos *Capitulare* 24 Caroli M. *anni* 803 *num.* 8 *et* 9, apud Baluzium *loc. cit. col.* 281, *tom.* 1 *et cap.* 7, Pipini *ibid. col.* 569 distinguit a *denarialibus*, quorum supra est facta mentio. Hujusmodi manumissionis exemplum est apud Martenium *loc. cit. pag.* 914. Manumissi in ecclesia patronam habebant ipsam ecclesiam, manumissi coram principe ipsum principem; qui vero per epistolam ita manimittebantur, ut nullum obsequium manumissor retineret, defensionem ecclesiæ, aut principis, aut etiam alterius potentis impetrabant, ut esset qui eorum libertatem tueretur et ab omni injuria eos vindicaret. Manumissi in ecclesia ingenui fiebant, ac Romana civitate donabantur ex constitutione imperatoris Constantini *Leg.* 1 *Cod. Theod. de Manumiss. in Eccles.*, Sozomenus *Hist. lib.* 1 *cap.* 9 *pag.* 21, *edit. Valesii*

Cantabrigiæ 1720; sed et manumissi extra ecclesiam ingenuitatis jura consequebantur, cum ea lege a domino libertatem obtinuerant, uti patet ex lege Ripuaria *cap* 57, et ex lege Salica *cap.* 28 apud Baluzium *Capitular. reg. Franc. tom.* 1 *col.* 28, *et col.* 313, atque ex Marculfo *Formul. lib.* 2 *cap.* 32, *et in appendic. cap.* 48 *col.* 290 *et* 318, apud eumdem Baluzium *tom.* 2. Nam ea res a domini arbitrio pendebat et forte, uti putat Bignonius ad Marculfum *lib.* 2 *cap.* 32 *col.* 739 apud Baluzium *loc. cit. tom.* 2, ea tempestate libertinorum et ingenuorum discrimen sublatum fuerat. Extincta inter christianos servitute summa hæc liberorum et servorum divisio non amplius obtinet: sunt tamen in decretalibus Gregorii IX tituli *de conjugio servorum, de servis non ordinandis.* Exstant etiam *in appendic.* 2 *ad opp. S. Paulini Aquilejensis pag.* 270, *edit. Venet.* 1737, tria manumissionis documenta, quorum duo pertinent ad annum 1351, tertium vero ad annum 1352. Aliud simile, quod est anni 1317, memorat Baluzius *ad Capitular. reg. Franc. lib.* 1 *cap.* 82 *tom.* 1 *col.* 764.

(2) *Can.* 1 *dist.* 11 eleganter Constantinus M. *L.* 11 *C. Theodos. de Episc. et cleric.* describit clericos: *Qui addicti divino cultui ministeria religionis impendunt.*

(3) Ad rem Hieronymus *epist.* 52 *ad Nepot., num.* 5 *tom.* 1 *col.* 206, *edit. Vallarsii Veronæ: Ministri Dei*, inquit, *propterea vocantur clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominus sors, id est pars clericorum est.* Multa et præclara de origine nominum clericorum et laicorum habet doctissimus Mamachius *orig. et antiquit. christian., lib.* 4 *cap.* 1 §. 6 *tom.* 4 *pag.* 15 *et seq.* Vide etiam Petrum de Marca *dissert. de discrim. cleric. et laicor.*

§. II. Spectant laici ad jus civile ejusque legibus tamquam reipublicæ cives subjiciuntur; sed ad ecclesiam quoque pertinent, quia baptismo donati inter ejus filios cooptati sunt. Itaque in eos in rebus spiritualibus imperium exercet ecclesia, iique gaudent bonis omnibus, quæ ex christianæ communionis vinculo proficiscuntur. Quinimo merita plectuntur pœna et bonis privantur suis, si fidem deserant baptismo susceptam, seque conferant ad castra infidelium; si hæretici fiant et sequantur errores ab ecclesia damnatos, neque moniti resipiscant si tamquam schismatici ecclesiæ; et ejus

capiti Romano Pontifici parere recusent; si ab ecclesiæ sinu fuerint ejecti et excommunicati. In hos omnes ecclesia suo utitur imperio et potestate, tamquam extorres filios et criminosos.

§. III. Qui inter ecclesiæ filios recepti non sunt, ii nullo modo ad ecclesiam pertinent, nisi forte baptismum petierint et fiant quasi candidati christianæ religionis, uti sunt ii, quos catechumenos appellamus (1). Hos rei Christianæ elementa docet ecclesia, tradit symbolum et signum crucis, instituit ad baptismi gratiam recipiendam. De laicis nonnisi pro re nata et pro relatione, quam habent ad res sacras, agendum nobis est.

(1) *Quod signum crucis*, inquit Augustinus *tract. 11 in Jo. cap. 3 tom. 3 par. 2 col. 376, edit. Maur. Venet. 1730, habent in fronte catechumeni, jam de domo magna sunt, sed fiant ex servis filii. Non enim nihil sunt, qui jam ad domum magnam pertinent.* Interdum catechumeni christiani dicuntur, quo multi referunt canonem 39 concilii Eliberitani; licet Gabriel Albaspinæus *in notis ad hunc canonem pag. 175, edit. Neapol. 1770* eum longe aliter explicandum putet. De catechumenis alius erit agendi locus Libro II, cum de Baptismo disputabimus.

§. IV. Omnis igitur sit tractatio de clericis, ex quibus efficitur Hierarchia (1), quæ constat ex episcopis, presbyteris et ministris (2), quæque divina lege instituta est, ut haberet ecclesia, qui ea præstarent quæ sunt ordinis, sive sacri ministerii, et quæ sunt regiminis, sive jurisdictionis. Quare universa clericorum postestas vel ad ordinem, vel ad jurisdictionem pertinent, et alia est hierarchia, quæ ordinis, alia, quæ jurisdictionis, seu regiminis appellatur. Singulos nos persequemur ecclesiasticæ hierarchiæ gradus, atque omnem ordinis et jurisdictionis potestatem explicabimus. Sed antequam de singulis dicere agrediamur, noscenda sunt, quæ universos clericos generatim attingunt.

(1) Hierarchia apte definitur potestas a Christo suis apostolis eorumque legitimis successoribus tributa, ut ecclesiam regant, et divina religionis mysteria in ea celebrent atque distribuant. S. Dionysius Areopagita, sive potius auctor operis, quod ejus nomine circumfertur *de Cœlesti hierarchia cap. 3, pag. 41 tom. 1 opp., edit. Antverpiæ 1634. Est Hierarchia,* inquit, *meo quidem judicio, sacer ordo, et scientia et actio quæ ad deiformitatem, quantum fas est, accedit, atque insitis sibi divinitus illustrationibus proportione quadam ad Dei subvehitur imitationem.* Ac sanctus Maximus initio *scholior. in cœlest. Dionys. hierarch. pag. 6. Quandoquidem,* inquit, *hierarchia nomen inscribitur huic operi, solet appellare Dionysius Hierarchas episcopos. Sciendum est igitur, hierarchiam quidem esse principatum, ac velut curam ordinandorum sacrorum, Hierarcham vero, qui sacris præest, eaque curat ac moderatur.* Confer, præter Petavium et Hallerium, qui *de ecclesiastica hierarchia* peculiaria opera ediderunt, Cl. Mamachium *orig., et antiqu. Christian. lib. 4 par. 1 cap. 3, §. 4 tom. 4 pag.* 278.

(2) *Si quis dixerit,* inquit Concil. Trident. *sess. 23 can. 6. de sacr. ordin., in ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris et ministris, anathema sit.*

§. V. Principio soli clerici ecclesiasticam jurisdictionem habere possunt, sacrumque imperium, quo fruuntur erga illos, quos sibi jure subjectos habent. Hujus potestatis, quam spiritualem jurisdictionem vocamus, plura sunt capita, de quibus suis locis disseremus, cum de jure personarum ecclesiasticarum, deque sacris magistratibus agentes videbimus, quæ sacri imperii pars quibusdam clericis, quæ aliis sit attributa.

§. VI. Deinde certis fruuntur clerici privilegiis, quorum quadæm personas ipsas, et quadæm res eorum attingunt. Quæ ad personas pertinent, ea vel honorum sunt, aut juris, vel personalem exemptionem et reliqua personalia clericorum commoda respiciunt. Honoris ac juris privilegia eo spectant, ut clerici nobiliorem occupent in templo locum, et præeant collegiis atque corporibus laicorum, ut soli ecclesiasticas dignitates, et

beneficia, ex iisque pensiones habere possint et soli jus habeant utendi, fruendi redditibus rerum ecclesiasticarum et beneficiorum.

§. VII. Jura exemptionis in eo sunt posita, ut neque publicis fungi muneribus (1), neque ad laicos judices venire compellantur, sed solum ecclesiastico magistratui subesse debeant (2). Reliqua privilegia eo fere vocantur omnia, ut in jus vocati a creditoribus, in id solum, quod est supra decentem eorum tuitionem, condemnentur (3); ut clerici filiifamilias plenum habeant dominium bonorum adventitiorum (4); ut qui in clericum violentas manus injecit statim expers ecclesiasticæ communionis sive excommunicatus evadat (5).

(1) Vide codic. Theodos. *tot. fere tit. de episc. et cleric.*, ubi clerici immunes confirmantur ab omnibus publicis muneribus, atque ab iis etiam, quæ honorifica habebantur. Eadem probatur immunitas a sordidis muneribus, *in tit. de extraordin., sive sordid. muner.*, et in *Leg.* 15 *eod. tit.* sordida hæc munera enumerantur. Idemque sancitum est in capitularibus regum Francorum *lib. cap.* 185, *aqud Baluzium tom.* 1 *col.* 711, *edit. Venet. an.* 1772.

(2) *Cap.* 1 *de for. compet. et tot. caus.* 11 *quæst.* 1. Vide etiam capitularia regum Francorum *lib.* 5 *cap.* 378 *et* 390, *et lib.* 7 *cap.* 347, 436, *apud Baluzium tom.* 1 *col.* 604, 606, 736, 750 et locis aliis compluribus.

(3) *Cap. Odoardus de solut.*

(4) *Auth. Presbyteros Cod. de episc. et cleric.*

(5) *Can. Si quis suadente caus.* 17. *p.* 4.

§. VIII Ad res clericorum pertinent realis exemptionis jura. Propterea clericorum bona, quemadmodum et bona ecclesiarum, immunia sunt ab oneribus atque a vectigalibus, quæ a laicis imponuntur (1). Quam recte quamque merito hæc sibi clerici privilegia vindicent, non semel principes declararunt eaque probarunt suis etiam legibus et constitutionibus (2). Æquum enim est, esse in civitate gratiosos, uti et apud ethni-

cos erant, qui sacris in rebus versantur, ac præterea compensanda sunt onera, quibus in sacris explendis officiis et ministeriis afficiuntur.

(1) *Cap. 4 et 6 de immunitat. Eccles. cap. 1, 3 et 4 eod. tit. in 6.*

(2) Quod videre est præsertim in titulo *Cod. Theodos. de episc. et cleric., et in tit. de extraordin. et sordid. muner.*

§. IX. Tenentur præterea clerici particularibus quibusdam legibus, cujusmodi sunt, ut in primis morum integritate, sanctitate vitæ, doctrina ceteris exemplo sint (1); ut parce et frugaliter vivant, atque ut opes conferant ad pauperum levamen, non ad inanes sumptus; ut corporis cultu utantur, qui luxu simul careat et sordibus, ne contemptum aut invidiam pariant (2); ut non modo sceleris puri sint, sed omnem etiam aliorum offensionem suspicionemque declinent; ut se abstineant a sæcularibus negotiis atque muneribus (3), a fœminis secum in una et eadem domo retinendis, nisi arcta cognatio omnem suspicionem excludat (4), ab omni turpi lucro et quæstuosa negotiatione (5), a choreis, comœdiis, aliisque spectaculis (6), a ludis aleatorum (7), a venationibus (8), a sæculari militia (9), a nutrienda nimis eleganter coma (10), ab armis deferendis (11), atque a ceteris ejusdem generis, de quibus agitur in titulo *de vita et honestate clericorum*. Nam eos servare oportet diligenter leges omnes, quæ pro eorum moribus et disciplina, ecclesiasticis canonibus latæ sunt, quæque aut in corpore decretalium exstant, aut in bullis summorum Pontificum, aut in decretis concilii Tridentini, quæ dicuntur *de reformatione*, aut in provincialibus diœcesanisque constitutionibus.

(1) Vide S. Joan. Chrysostom. *de Sacerd. lib. 3 cap. 3 pag. 416, et lib. 6 cap. 4 pag. 423 tom. 1, edit. Montfauconii Paris. an. 1718.*

(2) *Cap.* 5 *de vit. et honest. clericor.* S. Hieronymus *epist.* 52 *ad Nepotian. tom.* 1 *col.* 262, *edit. Vallarsii Veron.*, ita admonebat Nepotianum: *Vestes pullas æque devita, ut candidas. Ornatus ut sordes pari modo fugiendæ sunt, quia alterum delicias, alterum gloriam redolet.* Concilium Lateranense II habitum Innocentio II Pontifice *can.* 4 *apud Labbeum col.* 1500 *tom.* 12 habet hæc: *Nec in superfluitate, scissura, aut colore vestium, nec in tonsura, intuentium, quorum forma et exemplum esse debent, offendant aspectum.*

(3) Tot. Tit. *ne cleric., aut monach. sæcul. negot. se immisc.*

(4) *Cap.* 9. *de cohabit. cleric. et mulier.* Quin etiam removendæ sunt et fœminæ cognatæ, quæ pravos habent mores et in quas aliqua cadit suspicio. *Cap.* 5 *de cohabit. cleric. et mulier.* De clericis, qui secum domi mulieres retinere prohibentur, est etiam notatione dignus canon. 3 concilii Nicæni *col.* 43 *tom.* 2 *collect. Labbei, edit. Venet.*, ubi statuitur, nemini, *qui in clero est, licere subintroductam,* hoc est extraneam, *habere mulierem,* secundum Dionysii Exigui interpretationem. Quo quidem canone fretus Sanctus Basilius *epist.* 55 *pag.* 149 *tom.* 3 *opp., edit. Maurin. Paris.* 1730, Paregorium presbyterum, quamquam ipse vir esset septuaginta annos natus, ejicere jussit mulierem quam secum domi retinebat minatusque est, si non pareret, depositionis et excommunicationis pœnam.

(5) *Can.* 9 *dist.* 88, *can.* 1 *cap.* 14, *quæst.* 4 *cap.* 6 *ne cleric., vel monach., Clem.* 1 §. *adversus, de vita et honest. cleric.;* Concil. Nicænum *can.* 16 *tom.* 2 *col.* 39.; Concil. Arelat. 1 *can.* 12 *tom.* 1 *col.* 1452, *collect. Labbei, edit. Venet.;* Concil. Tridentinum *sess.* 22 *de reform. cap.* 1. Quædam tamen sunt negotiationes, quibus clerici non interdicuntur, et quas diligenter expendunt Theophilus Raynaudus *in discept. de Relig. Negotiat.*, Gonzalez *in cap.* 6 *ne cleric., vel monach. num.* 6, aliique decretalium interpretes *in eumdem titulum.* Ita licet clerico labore manuum suarum et honesto artificio sibi victum comparare, præterea vendere res collectas ex propriis prædiis et carius etiam vendere res, quæ supersunt, quasque ipsi emerunt pro se et familia sua, modo se intra fines justi pretii contineant. Prohibentur tamen clerici etiam sub alieni nominis involucro *cambia*, uti vocant, *activa* contrahere, et similes quæstuosas negotiationes exercere. Benedictus XIV *Constitut. Apostolicæ* 13 *tom.* 1 *ejus Bullarii pag.* 19, *edit. Rom. an.* 1754. Pertinent etiam ad eamdem materiam Encyclicæ litteræ *Cum primum* Clementis XIII datæ die 17 septembr. 1759 ad patriarchas, primates, archiepiscopos et episcopos, quibus statui-

tur, ne clerici et sacerdotes, ministri aut procuratores laicorum sint, ipsique præterea ab omni quæstuosæ negotiationis genere repelluntur. Consule Giraldum *Exposit. Jur. Pontific. par.* 1 *sect.* 524 *tom.* 1 *pag.* 222, *et par.* 2 *tom.* 2 *sect.* 73 *pag.* 913 *seq.*

(6) *Can.* 37 *dist.* 5 *de consecr. can.* 19 *dist.* 54. Vide S. Carolum Borromæum *in Conc. Provincial. I par.* 2 *act. Eccles. Mediolan. part.* 1 *pag.* 19, decreta concilii Burdigalensis cap. 3 *num.* 7 *col.* 1549, Bituricensis *tit.* 25 *can.* 6 *col.* 907, Aquensis *tit. de vit. et honest. clericor. apud Labbeum col.* 966 *tom.* 21.

(7) Canon. apostolorum 35 apud Cotelerium *PP. Apostol. tom.* 1 *pag.* 448, *edit. Amstelodami* 1724, *Episcopus, presbyter, vel diaconus aleis et ebrietatibus vacans vel desinat, vel deponatur; subdiaconus, aut lector, aut cantor similia faciens vel desinat, vel segregetur.*

(8) Vide Benedictum XIV *de Synod. Diœces. lib.* 11 *cap.* 10 §. 6 *et seq.*, ubi etiam quæritur, num clerici quodlibet venationis genus exercere prohibeantur. Certe duplex venatio est, altera scilicet clamorosa, seu saltuosa, quæ fit cum magno tumultu strepituque armorum et canum, ad occidendos apros, cervos majoresque feras; altera quieta, quæ nimirum exercetur solis laqueis, retibus, aut etiam cum armis, sed paucis adhibitis canibus, sine ullo strepitu ad capiendas volucres minoresque belluas non feroces. Communior sententia est, tantum clamorosam venationem clericis esse vetitam, sed magis est consentanea Juri opinio illorum, qui utrumque genus venationis interdictum putant.

(9) Canon Apostolor. 74 apud Cotelerium *loc. cit. pag.* 455.

(10) *Can.* 23 *dist.* 23 *cap.* 4 *de vit. et honest. clericor.* Hinc Concilium Agathense *can.* 20 apud Labbeum *Conc. tom.* 5 *col.* 524, *edit. Venet.* jubet archidiaconum, clericos comam nutrientes, *etiamsi noluerint, invitos detondere.*

(11) *Cap.* 2 *de vit. et honest. clericor.* Verum clericis iter facientibus, ob necessariam defensionem, ex consuetudine armorum gestatio permittitur. Confer Giraldum *Exposit. Jur. Pontific. part.* 1 *sect.* 311 *pag.* 214, ubi plures ea de re summorum Pontificum constitutiones describuntur.

§. X. Tonsi item clerici esse debent, vestemque ferre clericalem, quæ duo in illis ecclesiæ primordiis minime servabantur (1). Clerici æque ac laici tunicam togamque Romanam gestabant, neque usus erat ullus tonsuræ clericalis (2); sed postea, sæculo præser-

tim sexto, laici vestimentum illud brevius a barbaris in Italiam illatum usurpare cœperunt, clerici autem vestem illam retinuere oblongiorem propriamque Romanorum.

(1) De vestibus clericorum plerique sic statuunt, nullum initio inter clericos interque laicos fuisse discrimen, atque hoc deinceps induci cœpisse sexto præsertim sæculo, posteaquam barbari, qui Italiam occupaverant, vestimentum illud brevius intulerunt. Nam ad sextum sæculum pertinent Gregorius Turonensis, qui *in historia Franc. lib* 5 *cap.* 14 *col.* 214, *ed. Ruinart. Paris.* 1690 hæc scribit : *Merovechus cum in custodia a patre retineretur tonsuratus est, mutataque veste, qua clericis uti mos est, presbyter ordinatur.* Gregorius M. *Dialog. lib.* 4 *cap.* 40 *col.* 444 *tom.* 2, *et homil.* 4 *in Evangel. lib.* 1 *num.* 5 *col.* 1449 *tom.* 1, *ed. Maurin. Paris.* 1705. Concilium Agathense *can.* 20 apud Labbeum *Concil. tom.* 5 *col.* 524 *edit. Venet.* Matisconense I *can.* 5 *col.* 659 *tom.* 6. Trullanum *can.* 27 *col.* 1359 *tom.* 7; ex quibus omnibus patet, alias ea tempestate fuisse clericorum et alias laicorum vestes. Ego libenter do et concedo, iisdem initio vestibus tum clericos, tum laicos usos fuisse, et facile etiam assentior iis, qui tantum post barbarorum in Italiam adventum laicorum vestes a vestibus clericorum brevitate distingui cœpisse arbitrantur. Verum multo antea vestes ipsas clericorum, si non forma et colore, materia certe ac modestia distinctas fuisse arbitror. Concilium Carthaginense IV habitum anno 398, *can.* 45 *loc. cit.*, *col.* 1441 *tom.* 2, *Clericus professionem suam,* inquit, *et in habitu et in incessu probet.* Hieronymus *in epist.* 130 *ad Demetriadem de virginit. servand. num.* 5 *col.* 973 *tom.* 1, *edit. Vallarsii,* quæ epistola scripta est an. 414, Demetriadem ipsam laudat, quod pro gemmis, et serico et exquisitis epulis appetierit *jejuniorum laborem, asperitatem vestium, victus continentiam,* et quod *omnem corporis cultum et habitum sæcularem, quasi propositi sui impedimenta,* projecerit, ut *vili tunica,* indueretur, *et viliori pallio* tegeretur. Salvianus scriptor V sæculi *lib.* 4 *de gubernat. cap.* 7 *pag.* 70, *edit. Baluzii Æniponti* 1743 diserte distinguit habitum sæcularem, *et lib.* 4 *cap.* 1 *pag.* 228, *Quidam, ut arbitror, filiorum tuorum,* inquit, *sub religionis titulo a religione dissentiunt, et habitu magis sæculum reliquere, quam sensu.* Nec mihi quis objiciat locum Cœlestini Pontificis in *epist.* 4 *ad Episc. provinc. Viennen., et Narbonen. cap.* 1, apud Cou-

stantium *epist. Roman. Pontif. col.* 1067, qui reprehendens Gallicanos, quod pallio et cingulo uterentur, habet hæc : *Discernendi a plebe vel ceteris sumus doctrina, non veste, conversatione, non habitu, mentis puritate, non cultu.* Nam hic locus haud certe ostendit, clericales laicasque vestes ea ætate aliquo modo dissimiles non fuisse; tantum conficit, fuisse *contra ecclesiasticum morem* pallium illud et cingulum, quo Gallicani clerici utebantur, *credentes se scripturæ fidem non per spiritum, sed per litteram completuros;* itemque conficit clericos, quod nemo non intelligit, doctrina præsertim ac pietate a laicis distinctos esse oportere. Satis igitur, ut mihi quidem videtur, compertum exploratumque est, non solum sexto, sed etiam quinto quartoque sæculo aliquod fuisse discrimen inter vestes, quibus laici, quibusque clerici utebantur.

(2) Caput clericorum *desuper in modum sphæræ radi* jubet Aniectus apud Gratianum *can.* 21 *dist.* 23, sed hic canon pertinet ad falsas decretales Isidori Mercatoris. Credibile autem non est, clericos ea tempestate, qua se ethnicis ignotos esse cupiebant, sese illis tam perspicua nota patefacere voluisse, et nullus antiquus scriptor tonsuræ meminit, imo eam disertissime excludunt Optatus Milevitan. *de schismat. Donatist. advers. Parmenian. lib.* 1 *cap.* 23 *pag.* 46, *edit. Antverpiæ* 1702, et Hieronymus *in Ezech. lib.* 13 *cap.* 44. *tom.* 5 *col.* 547 *citat., edit. Vallarsii.*

§. XI. Per idem forte tempus clericalis tonsura cœpit adhiberi. Triplex in ecclesiasticis monumentis occurrit tonsuræ genus, pœnitentium, monachorum et clericorum. Pœnitentium tonsura omnium antiquissima, eam sequuta est monachorum, qui pœnitentes imitari videbantur, postremo tonsura clericorum (1); sed hæc longe distat a reliquis, eaque nunc accipiendis ordinibus tam pueri quam adulti initiantur, non solum tonsis et circumcisis capillis ad instar coronæ, sed etiam raso summo capitis vertice ut a laicis discernantur (2). Et hæc tonsura illa clericalis, quæ hodie sumitur, antequam ordines suscipiantur, cujusque ritus describuntur *in Pontificali Romano* (3).

(1) Pœnitentes primum crines tondere cœperunt, ut populo despectui essent, quem usum arripuerunt deinceps etiam mo-

nachi, qui pœnitentium vitam imitabantur. Denique etiam clerici, qui monasticæ vitæ perfectionem imitari cupiebant, tonsuram adhibere cœperunt; antea tantum brevioris capilli modestiam servare, non item caput radere jubebantur. Vide Thomassinum *Veter. et Nov. eccles. disc. par.* 1 *lib.* 2 *cap.* 37 *et seq.* Quare cum antiquioribus ecclesiasticis monumentis clerici brevioribus tonsisque capillis uti jubentur, id non ita est intelligendum, quasi summum verticem radere jubeantur. Nam hoc postremum serius inductum est; verum illa capillorum brevitate semper clerici modestiæ causa usi sunt. *Clericus*, inquit concilium Carthaginense IV *can.* 44 apud Labbeum *Concil. tom.* 2 *col.* 1441, *edit. Venet., nec comam nutriat, nec barbam.* Recte Hieronymus in illud Ezechielis : *Caput suum non radent, neque comam nutrient, sed tondentes attondebunt capita sua*, inquit *lib.* 13 *in Ezechiel. tom.* 5 *col.* 547 *cit., edit. Vallarsii. Perspicue demonstratur, nec rasis capitibus sicut sacerdotes cultoresque Isidis atque Serapis, nos esse debere : nec rursum comam demittere, quod proprie luxuriosorum est, barbarorumque et militantium; sed ut honestus habitus sacerdotum facie demonstretur; nec calvitium novacula esse faciendum, nec ita ad pressum tondendum caput, ut rasorum similes esse videamur; sed in tantum capillos dimittendos, ut operta sit cutis.* Ergo Hieronymi ætate clerici non radebant caput, sed tantum brevioribus capillis utebantur. Hieronymo antiquior Optatus Milevitanus *lib.* 2 *contr. Parmen. pag.* 54, *edit. Parisien. anni* 1676, Donatistas reprehendit, quod catholicis sacerdotibus per vim capita rasissent : *Docete*, inquit, *ubi vobis mandatum sit radere capita sacerdotibus, cum e contrario tot sint exempla proposita, fieri non debere.* Ex quibus intelligitur, olim clericos non rasum habuisse caput, quale nunc habent; sed tamen tonsos ac breves gerebant crines, atque ita omnes amputata cæsarie inter clericos referebantur. Martinus Bracarensis *cap.* 66, apud Labbeum *collect. concil. tom.* 6 *col.* 595, *edit. Venet. Non oportet*, inquit, *clericos comam nutrire et sic ministrare, sed attonso capite, patentibus auribus, et secundum Aaron talarem vestem induere.* Gregorius Turonensis *tom.* 1 *Hist. Francor. Scriptor. Andr. Duchesne, Paris.* 1636 *pag.* 302 *tom.* 11. *Scriptor. Rer. Gallic. Mart. Bouquet, Paris.* 1739, *pag.* 197. *Et sibi*, inquit, *propria manu capillos incidens clericus factus est.* Marcellus *in præcept. de clericat. formul. lib.* 1 *num.* 19 apud Baluzium *Capitul. reg. Franc., tom.* 2 *col* 263, *edit. Venet.* 1757. *Veniens ille*, inquit, *ad nostram præsentiam petit serenitati nostræ, ut ei licentiam tribuere deberemus, qualiter comam capitis sui ad onus clericatus deponere deberet.* Quare

clericorum tonsura olim consistebat in tonsis brevibusque capillis, eaque est tonsura, quæ sæpe *corona* dicitur, cum ad instar coronæ tonsi essent crines, et clerici *coronati* vocantur *in Leg.* 38 *Cod. Theodos. de episc. et cleric.*, quemadmodum legem ipsam explicat Gothofredus *lib.* 6 *titul.* 2 *Codic. Theodos. pag.* 85 *tom.* 6 *par.* 1, *edit. Lipsiæ an.* 1743. Hinc *coronam* pro clero, et clericali reverentia accipiunt Hieronymus *epistol.* 142 *col.* 1060 *tom.* 1, *edit. Vallarsii;* Augustinus, *epistol.* 53 *tom.* 5 *col.* 63 *tom.* 2, *edit. Maurin. Venet. an.* 1729; Sidonius *lib.* 6 *epist.* 5 *pag.* 160, *edit. Sirmondi Paris.* 1652; Ennodius *lib.* 4 *epist.* 22 *et* 29, *ad Symmach. in Biblioth. PP. tom.* 9, *edit. Lugdun. pag.* 238 *et* 339. Mos radendi clericos a monachis fortasse ortum habuit, uti putat Hallierus *de sacr. elect. et ordinat. par.* 3 *sect.* 8, *cap.* 9 *num.* 6 *tom.* 3 *pag.* 518, *edit. Romæ* 1740.

(2) Joannes Morinus *de ordination. part.* 3 *exerc.* 15 *cap.* 3 putat, nullos olim fuisse clericos, qui sola tonsura distinguebantur, eamque nonnisi cum ordine lectoratus, aut ostiariatus conferri solitam, neque ante septimum sæculum inductum morem, ut ea separatim tribueretur. Sed Morino adversatur Joannes Mabillonius *Acta SS. Ordin. S. Benedicti in præfat. ad sæcul.* 3 *Benedict. tom.* 3 *part.* 1 §. 1 *num.* 19 *pag.* 6 *edit. Venet.* 1734, qui citius, quam ille putat, tonsuram separatim ab ordinibus conferri cœpisse arbitratur. Sane quæ supra descripsimus, præsertim ex Gregorio Turonensi, qui sexto sæculo vita functus est, evidenter ostendunt, ea ætate per solam tonsuram clericos fuisse factos, neque iis simul cum tonsura ordinem aliquem attributum. Accedit testimonium Pauli Emeritensis diaconi, qui *lib.* 1 *de Patrib. Emerit. cap.* 5 *par.* 22, *edit. Antverp.* scribit, Paulum Allarum, Emeritensem episcopum, sexto sæculo fidelem puerum sororis suæ filium primum *tonderi* præcepisse, deinde *per singulos gradus* eum perduxisse, ac denique diaconum ordinasse. Sed hæc, et alia, quæ Mabillonius collegit, monumenta ostendunt, in ecclesiis quibusdam, non tamen ubique, citius tonsuram ab ordinibus fuisse sejunctam; ex quo intelligitur, non uno et eodem tempore a cunctis ecclesiis eamdem disciplinam receptam fuisse. Confer Hallierum et Mabillonium *loc. cit.*, ubi plura de tonsura habes. Vide etiam Christianum Lupum *in scholiis ad can.* 14 *Concil. OEcumenic.* 7, *tom.* 3 *opp. pag.* 199, *edit. Venet. ann.* 1424, et Thomassinum *vet. et nov. eccles. discipl. par.* 1 *lib.* 2 *cap.* 37 *et seq.*

(3) *Par.* 1 *tit. de cleric. facien. pag.* 90, *edit. Catalani, Romæ.* 1738.

§. XII. Clericalis tonsura nullam tonso tribuit potestatem ad sacrificium spectantem, neque ullum confert ministerii genus; sed tamen eum lata significatione clericum facit, hoc est ita in ordinem refert clericorum, ut inter illos tonsus locum habeat in sacris conventibus, et linteatus divinis officiis intersit. Quo fit, ut privilegia, jura, immunitates clericorum tonsos etiam attingant, si vestes deferant clericales (1), eaque servent, quæ de vita et honestate clericorum sancita sunt. Hæc ad clericos universos generatim pertinent; nunc de singulis agendum est.

(1) Concilium Tridentinum *sess.* 14 *cap.* 6 *et sess.* 22. *cap.* 1. *de reformat.*, modestas esse jubet vestes clericorum, quæ procul absint ab habitu et consuetudine sæcularium; verum omnes, quæ deinceps habitæ sunt, synodi, eas oblongas nigrique coloris esse volunt. Ita statuit sanctus Carolus Borromæus in concilio Mediolanensi I *par.* 1 *act. eccles. Mediolan. pag.* 16 *edit. Patavii* 1754; concilium Mechliniense ann. 1750, *tit. de vit. et honest. clericor. cap.* 3 *tom.* 21 *col.* 597; Rhemense an. 1583, *tit. de cleric. in gener., num.* 8 *col.* 710 *dict. tom.* 21; Burdigalense an. 1583, *tit.* 21 *col.* 771 *eod. tom.* 21 *collect. Labbei, edit. Venet.* Exstat etiam ea de re Sixti V Constitutio *Cum sacrosanctam* 141, *tom.* 5 *part.* 1 *pag.* 42. *Bullar. Rom. ult. edit.*, qua omnes clerici, qui beneficia aut pensiones habent, non modo tonsuram, sed etiam longas, sive talares vestes gestare jubentur, pensionibusque ac beneficiis privantur, qui huic legi non obtemperant, a qua tamen eadem lege ipse Sixtus V *Const. Pastoralis loc. cit., pag.* 44 solvit eos, quorum pensiones anno quoque non superant aureos, sive, ut vocant, ducatos de Camera 60, præterea quosdam summi Pontificis familiares. Accessit Benedicti XIII *Constitutio Apostolicæ ecclesiæ* 61, *tom.* 11 *pag.* 400 *cit. Bullar.*; qua similiter constitutis pœnis provisum est, ne clerici laicorum vestes deferant. Quamquam autem Sixti V constitutio, et decreta conciliorum, quorum paulo ante facta mentio est, clericos gestare velint longas, seu talares vestes, nunc tamen usu receptum est, ut illi clericalibus quidem, non

tamen ad talos productis, vestibus utantur, atque ut has postremas gerere debeant, cum ecclesiam ingressuri sunt, sive ad missarum mysteria celebranda, sive ad divina officia et ecclesiastica munera obeunda. Nimirum cum synodus Tridentina *sess.* 14 *cap.* 6 *de reformat.* episcopis tribuat facultatem clericalis indumenti formam definiendi, tacito eorum consensu factum videtur, ut clerici per urbem incedentes, breviores etiam vestes gerant. Confer Benedictum XIV *de Synod. diœces. lib.* 11 *cap.* 8, *et Instit. eccles. Instit.* 34 *et* 71.

TITULUS II.

De Hierarchia Ordinis.

I. Quare a Christo instituta hierarchia ordinis et jurisdictionis?
II. Utriusque vis, ratio.
III. Potestas ordinis.
IV. Potestas jurisdictionis.
V. Potestas ordinis a jurisdictionis potestate sejungi potest.
VI. Quid requiritur, ut episcopus utramque potestatem habeat?
VII. De ordinis hierarchia tractatio suscipitur.

§. 1.

Duplicem esse diximus hierarchiam, et duplicem clericorum potestatem, ordinis et jurisdictionis sive regiminis (1). Christus enim cum ecclesiam constituit, leges dedit societati hominum, quos frui bonis spiritualibus, et quos optime regi voluit, ut deinceps æternæ felicitatis participes esse possent. Ut homines fruerentur bonis spiritualibus, creavit ordinis potestatem; ut optime regerentur, potestatem jurisdictionis instituit.

(1) *Duplex est,* inquit D. Thomas 2. 2, *quæstion.* 39 *art.* 3 *incorp., spiritualis potestas. Una quidem sacramentalis, alia*

jurisdictionalis. Sacramentalis quidem potestas est, quæ per aliquam consecrationem confertur..... et talis potestas secundum suam essentiam remanet in homine, qui per consecrationem eam est adeptus, quamdiu vivit, sive in schisma, sive in hæresim labatur..... Tamen hæretici et schismatici *usum potestatis amittunt, ita scilicet, quod non liceat eis sua potestate uti. Si tamen usi fuerint, eorum potestas effectum habet in sacramentalibus..... Potestas autem jurisdictionalis est, quæ ex simplici injunctione hominis confertur. Et talis potestas non immobiliter adhæret. Unde in schismaticis et hæreticis non manet. Unde non possunt nec absolvere, nec excommunicare, nec indulgentias facere, aut aliquid hujusmodi. Quod si fecerint, nihil est actum.* Eamdem potestatis divisionem pluribus aliis locis sanctus Thomas proponit, præsertim *part.* 3 *quæst.* 65 *art.* 2, et eamdem etiam non obscure tradit synodus Tridentina *sess.* 23 *can.* 7, ubi in episcopis utrumque requiritur, scilicet legitima *ordinatio* et legitima *missio*, quarum altera confert ordinis, altera jurisdictionis potestatem. Quid quod etiam extra catholicam ecclesiam hæretici et schismatici, qui rite ordinati sint, ordinis potestatem habere possunt, jurisdictionis autem, quia deest legitima missio, omnino non possunt? Ergo utraque potestas distincta est, neque sola ordinatio facit ut simul utraque potestas et ordinis et jurisdictionis acquiratur. Monenda hæc esse volui, ut mature pateat error canonici Georgii Sicardi, et aliorum generis ejusdem, qui notissimam hanc receptissimamque potestatis distinctionem falso et audacter improbant. Eos, præter ceteros, solide refutavit Bolgenius *diatrib. sulla giurisdizione ecclesiastica,* Romæ edita an. 1791.

§. II. Ex quo intelligitur, quid sibi velit vis et ratio utriusque potestatis et hierarchiæ. Scilicet potestas et hierarchia jurisdictionis omnis est posita in regendis gubernandisque subditis; ac jurisdictio, quæ tota in hoc regimine ac gubernio consistit, haberi non potest, nisi subditi sint, qui regantur et gubernentur. Verum hierarchia et potestas ordinis pertinet ad sacrum ministerium, atque ad spiritualia bona christiano populo tribuenda', maxime sacramenta, quæ sunt hujus vincula societatis, eaque constat episcopis, presbyteris et ministris.

§. III. Quod attinet ad hanc hierarchiam, unus

et idem est ordo, atque una eademque potestas omnium episcoporum, cum neque metropolitæ, neque patriarchæ, neque ipse summus Pontifex ordinem habeant ab episcopatu distinctum. Nam in iis, quæ ordinis sunt, in episcopo inest plenitudo potestatis, quæ a Deo ipso per sese, sive *immediate*, ut ajunt, ordinatione tribuitur. Quamquam enim sacramenta hominum ministerio peragantur, vis tamen eorum a Deo ipso procedit; et ideo, cum ab eo, qui habet potestatem, ordo rite confertur, nihil impedimento esse potest quonimus vis impressa sacramento consistat. Ex quo efficitur, ut qui semel accepit ordinis potestatem, is legitimo quidem ejus usu prohiberi multis de causis possit, sed vis ipsa potestatis semper hæreat, adeo ut nequeat auferri, coercerive ita, ut non efficiat, quod efficere divino instituto debet. Quare episcopus excommunicatus, hæreticus, schismaticus, cum rite confert ordinis, aut confirmationis sacramenta, impie quidem agit, sed rata firma confirmatio ordinatioque est.

§. IV. Verum hierarchiæ et potestatis jurisdictionis longe dispar est ratio. Cum enim ea pendeat ab imperio in subditos, neque hoc imperium in omnibus episcopis unum idemque sit, facile intelligitur, dispares eorum gradus esse oportere. Quare alia est jurisdictio episcopi, qui unam diœcesim regit, alia metropolitæ, qui provinciæ, alia patriarchæ, qui pluribus provinciis præest, alia denique summi Pontificis, quem Christus toti ecclesiæ præfecit, quemque esse voluit ejus caput et centrum unitatis, a quo cuncta ecclesiæ membra copulentur (1).

(1) Consule, præter ceteros, S. Leonem M. *epist.* 14 *in fin. opp. tom.* 1 *col.* 691, *edit. Venet.* 1753.

§. V. Potestas hæc, quæ jurisdictionis dicitur, aut regiminis, non ita cohæret ordinis potestati, ut ab

ea sejungi non possit. Quamquam enim Christus ad ecclesiæ regimen episcopatum instituerit, non ex eo tamen efficitur, ut quisquis episcopalem ordinationem accepit, hoc ipso regendi munus possit exercere. Ita hæreticus ab hæretico, schismaticus a schismatico ordinatus episcopus habet ordinis potestatem, cum servata sunt omnia, quæ servare oportebat; sed cum nullos habeat subditos, quos jure regat, plane nullam habere potest regiminis, aut jurisdictionis potestatem. Similiter episcopus e gradu dejectus cum amiserit subditos, quos antea regebat, nullam amplius retinet jurisdictionem, quæ sine subditis esse nequit, uti nemo sine servis dominus, nemo sine filiis pater est. (1).

(1) Atque adeo verum est, a nemine jurisdictionem per simplicem ordinationem, nisi etiam accedat legitima missio, exerceri posse, ut id etiam fateantur ii, qui proxime, sive *immediate* a Deo repetunt episcopalem potestatem non tantum ordinis sed etiam jurisdictionis. *Nam episcopi*, inquit Thomassinus *vet. et nov. eccles. discipl. part.* 2. *lib.* 1 *cap.* 43 *num.* 3, *obtinent illi quidem immediate a Christo jurisdictionem suam, sed non ab illo immediate consecuti sunt territorium hoc suum et peculiarem diœcesim: cum hæc partitio facta fuerit volventibus sæculis ab ecclesia, nec fieri potuerit, aut perpetuari, nisi consensione capitis, in quo est cardo et centrum ecclesiasticæ unitatis.* Sic etiam Juenínius *de sacrament. dissert.* 9 *de ordin. et spec., quæst.* 1 *art.* 3 *ad object.* 1 *et* 4, §. 4 *num.* 3 *pag.* 87, *edit. Venet. an.* 1776.

§. VI Itaque ut episcopus et ordinis habeat et jurisdictionis potestatem, utrumque habere debet scilicet et ordinationem, et legitimam missionem, per quam ei certi assignentur subditi, in quos imperium exerceat. Quæ subditorum assignatio non divini, sed humani juris est fierique debet ab eo, cui subsunt episcopi, et cujus potestas fertur in orbem universum. Quis autem, nisi summus Pontifex, ecclesiæ caput et princeps, hanc habet in totum orbem a Christo acceptam potestatem?

Quare aut ab ipso, aut eo saltem consentiente et probante, unicuique episcopo missio tribuenda est, nimirum certi sunt assignandi subditi, quos regat, atque ita omnes episcopi jurisdictionis postestatem consequuntur (1).

(1) Ea de re, uti sapienter animadvertit doctissimus cardinalis Gerdil *auctor opusculorum ad hierarchicam ecclesiæ constitutionem spectantium opusc.* 3 *pag.* 132, *edit. Parmæ* 1789, duo in primis ante oculos habenda sunt catholica dogmata, a Tridentina synodo definita *sess.* 23. *can.* 7. *et* 8 *de sacramento ordinis.* Alterum est : *Si quis dixerit.... eos, qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi, et sacramentorum ministros, anathema sit.* Alterum autem est : *Si quis dixerit episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos et veros episcopos, sed figmentum humanum, anathema sit.* Itaque certum exploratumque est, uti eadem synodus *cap.* 4 *sess. ead.* diserte statuit, *eos, qui tantummodo a populo, aut sæculari potestate, ac magistratu vocati, et instituti ad hæc* (ecclesiastica) *ministeria exercenda ascendunt, et qui ea propria temeritate sibi sumunt, omnes non ecclesiæ ministros, sed fures et latrones per ostium non ingressos, habendos esse;* itemque certum et compertum est, legitimos ac veros episcopos habendos, atque esse revera, qui a summo Pontifice episcopi constituuntur. Quæ generalis concilii definitio plane nullis aut loci, aut temporis arctata finibus, illustre præbet argumentum præstantissimæ potestatis, quam in constituendis episcopis Romanum pontificem habere novit synodus Tridentina, decretoque dogmatico confirmavit. Consule Hallerium *de sacr. elect. et ordinat. par.* 3 *sect.* 5 *cap.* 4 §. 1 *num.* 18 *tom.* 3 *pag.* 14, *et art.* 3 §. 6 *num.* 45 *et* 55 *pag.* 94 *et* 102, *edit. Romæ an.* 1740.

§. VII. Jam ordinis hierarchiam nunc explicaturi primum agemus de episcopis, quorum in ea summus est gradus, postea de presbyteris et ministri, atque ita hæc hierarchia uno in conspectu posita habebitur. De his autem agentes explicabimus utramque potestatem, quæ ipsis inest, ordinis scilicet et jurisdictionis; ne, cum alterum persequemur genus ecclesiasticæ hierarchiæ, redire cogamur ad ea, de quibus superiori loco disseruimus.

SECTIO I.

De Episcopis.

VIII. Episcopi officia.
IX. Visitatio diœcesis.
X. et XI. Onus in ea residendi.
XII. et XIII. Potestos episcopalis, quæ respicit vel ordinem,
XIV et XV. Vel jurisdictionem fori interni et externi,
XVI. Vel legem diœcesanam.
XVII ad XIX. Potestas delegata episcopi in exemptos.

§. VIII.

Episcopus græca vox est, quæ latine *inspectorem* significat, et quæ munus designat antistitis, ut populo sibi commisso præsit ejusque mores speculetur (1). Hinc episcopi esse debet curare divinum cultum et christianam defendere religionem; preces indicere; videre, ne quid peccetur in rebus fidei, in divinis celebrandis officiis, in sacramentorum administratione; animadvertere in eos, qui turbas excitant in re christiana; inquirere diligenter in libros, qui in lucem emittuntur, ne quis in iis obrepat error (2); sacras in templo conciones habere, quod munus ita proprium episcopi est, ut illud ceteri clerici sine ejus venia, aut consensu exercere prohibeantur (3); fidei mysteria et Sacrorum Bibliorum sensum secundum mentem ecclesiæ populo aperire, eumque in officio, scripto et sermone continere.

(1) Multa de variis, quibus episcopi appellantur, nominibus habet Mamachius *orig. et antiq. Christian. lib. 4 cap. 4 tom. 2, pag. 254 et seq.*

(2) Concil. Tridentin. *sess 4; Leo X Bulla Inter sollicitudines 15, tom. 3 part. 3 pag. 409 Bullar. ultim., ed. Romanæ.*

(3) Concil. Tridentin. *sess.* 24 *cap.* 4 *de reformat.;* et vero prædicationis munus adeo sui proprium agnoverunt Apostoli, ut Paulus non dubitarit asserere, se non ad baptizandum, sed ac evangelizandum fuisse missum *I ad Corint. I.* 17. In Oriente jam inde ab antiquis temporibus presbyteros episcoporum mandato divinum verbum prædicasse constat. Chrysostomus, cum adhuc presbyter esset, plures Antiochiæ orationes habuit; quod etiam Hierosolymis et Cæsareæ in Palestina Origenem præstitisse scribit Eusebius *Histor. lib.* 6 *cap.* 27 *pag.* 293, *edit. Valesii Cantabrig.* 1720. Eodem quoque munere Atticum Constantinopoli, alios vero presbyteros Cæsareæ in Cappadocia, atque in insula Cypro functos fuisse tradit Socrates *Histor. lib.* 5 *cap.* 22 *pag.* 297 *cit., edit. Valesii.* Pertinet etiam ad hanc Orientalium consuetudinem id, quod memoriæ prodidit ipse Socrates *loc. cit.,* ea tempestate, qua Arius ecclesiam perturbavit, presbyteris Alexandriæ sacra prædicatione interdictum. In Occidente ac præsertim in Africanis ecclesiis, episcopi ipsi divinum verbum populo nunciabant; et hinc apud Cyprianum crebro occurrit ea formula *tractante episcopo*, ut videre est *epist.* 52 *pag.* 70, *et epist.* 56 *pag.* 88, *edit. Rigaltii Paris.* Qua eadem formula utitur etiam Pontius diaconus *in vita Cypriani num.* 18 *pag.* 187, *Act. SS. Mart. Sincer. edit. Ruinartii Veron.* Primus Valerius Hipponensis episcopus Augustino presbytero dedit, etiam se præsente, divini verbi prædicandi facultatem, uti inquit Possidius in *vit. Augustini cap.* 5 *col.* 260 *tom.* 10 *opp. ejusdem Augustini, edit. Venet.* 1733. Quod licet nonnulli episcopi reprehenderent, tamen Valerius Orientalium ecclesiarum consuetudine factum tuebatur suum, quod postea complures alii sequuti sunt, Possidius *loc. cit.,* ac præsertim Aurelius Carthaginensis, qua de re scripta ad eum ab Augustino, Alypioque epistola 41 gratulationis plena *col.* 87 *tom.* 2, *edit. Maurin. Venet.* 1729. Synodus Tridentina *sess.* 5 *cap.* 2 *de reformat.* prohibuit regularibus prædicare *in ecclesiis non suorum ordinum, sine episcopi approbatione, vel in ecclesiis suorum ordinum sine episcopi benedictione;* tum *sess.* 24 *cap.* 4 *de reformat.* constituit: *Nullus autem sæcularis, sive regularis etiam in ecclesiis suorum ordinum contradicente episcopo prædicare præsumat.*

§. IX. Cumque episcopale munus pertineat ad totam diœcesim, inducta est ejus visitatio, quam episcopus altero quoque anno obire debet aut per se ipsum,

aut per alium, ubi justo impedimento tenetur (1). Qua in re episcopus quidquid ad visitationem, aut ad morum correctionem pertinet, agere debet sine strepitu judicii (2), neque ulla appellatio suspendit vim eorum, quæ mandata aut decreta sunt (3). Verum si solemnis judicii ritus servare placuit, per appellationem vis editæ sententiæ suspenditur (4).

(1) Concilium Tridentinum *sess.* 24 *cap.* 3 *de reformat.* Episcopi diœcesim lustrantis munera describit his verbis: *Visitationum præcipuus sit scopus sanam orthodoxamque doctrinam, expulsis hæresibus inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus et admonitionibus ad religionem, pacem innocentiamque accendere; cetera, prout locus, tempus et occasio feret, ex visitantium prudentia ad fidelium fructum constituere.* Hujusmodi sunt curare, ut reparentur ecclesiæ, atque ut omnia fiant secundum ea, quæ sacris legibus sunt constituta. Ceterum visitationem hanc inter præcipua episcopi munera recenset S. Joannes Chrysostomus, *hom.* 2 *in epist. ad Titum, tom.* 11 *pag.* 737, *edit. Montfauconii Paris.* 1734, et S. Augustinus *epist.* 36 *et* 209 *tom.* 2 *col.* 144 *et* 777, *edit. Venet. an.* 1729.

(2) Vide Fagnan. *in cap. dilectus de rescript. num.* 26 *et seq.*, qui late ea de re disputat et plura memorat decreta Sac. Congregationis concilii.

(3) *Cap.* 15 *de offic. Jud. Ordin.* Concil. Tridentin. *cap.* 10 *sess.* 24 *de reformat.*, Benedictus XIV *Constit. Ad militantis* 48 *de appellat., et inhibition. conced., vel denegan.* §. 21 *tom.* 1 *pag.* 81, *edit. Romæ* 1754. Datur tamen appellatio ut dicitur, *in devolutivo,* quæ scilicet episcopi decretum defert ad judicem superiorem, posteaquam exitum habuit.

(4) Vide Fagnanum *loc. cit.*, et Barbos. *in concil. Tridentin. sess.* 13 *cap.* 1 *de reformat. num.* 7.

§. X. Cuncta quæ in visitatione sunt gesta ac reperta, congregationi concilii significanda sunt, tum ut ecclesiæ Capiti, cui est a Christo commissa cura et administratio gregis universi, omnium particularium ecclesiarum status compertus sit, tum ut cuncti episcopi suam cum sede apostolica societatem et com-

(3) Concil. Tridentin. *sess.* 24 *cap.* 4 *de reformat.;* et vero prædicationis munus adeo sui proprium agnoverunt Apostoli, ut Paulus non dubitarit asserere, se non ad baptizandum, sed ac evangelizandum fuisse missum *I ad Corint. I.* 17. In Oriente jam inde ab antiquis temporibus presbyteros episcoporum mandato divinum verbum prædicasse constat. Chrysostomus, cum adhuc presbyter esset, plures Antiochiæ orationes habuit; quod etiam Hierosolymis et Cæsareæ in Palestina Origenem præstitisse scribit Eusebius *Histor. lib.* 6 *cap.* 27 *pag.* 295, *edit. Valesii Cantabrig.* 1720. Eodem quoque munere Atticum Constantinopoli, alios vero presbyteros Cæsareæ in Cappadocia, atque in insula Cypro functos fuisse tradit Socrates *Histor. lib.* 5 *cap.* 22 *pag.* 297 *cit., edit. Valesii.* Pertinet etiam ad hanc Orientalium consuetudinem id, quod memoriæ prodidit ipse Socrates *loc. cit.,* ea tempestate, qua Arius ecclesiam perturbavit, presbyteris Alexandriæ sacra prædicatione interdictum. In Occidente ac præsertim in Africanis ecclesiis, episcopi ipsi divinum verbum populo nunciabant; et hinc apud Cyprianum crebro occurrit ea formula *tractante episcopo*, ut videre est *epist.* 52 *pag.* 70, *et epist.* 56 *pag.* 88, *edit. Rigaltii Paris.* Qua eadem formula utitur etiam Pontius diaconus *in vita Cypriani num.* 18 *pag.* 187, *Act. SS. Mart. Sincer. edit. Ruinartii Veron.* Primus Valerius Hipponensis episcopus Augustino presbytero dedit, etiam se præsente, divini verbi prædicandi facultatem, uti inquit Possidius in *vit. Augustini cap.* 5 *col.* 260 *tom.* 10 *opp. ejusdem Augustini, edit. Venet.* 1733. Quod licet nonnulli episcopi reprehenderent, tamen Valerius Orientalium ecclesiarum consuetudine factum tuebatur suum, quod postea complures alii sequuti sunt, Possidius *loc. cit.,* ac præsertim Aurelius Carthaginensis, qua de re scripta ad eum ab Augustino, Alypioque epistola 41 gratulationis plena *col.* 87 *tom.* 2, *edit. Maurin. Venet.* 1729. Synodus Tridentina *sess.* 5 *cap.* 2 *de reformat.* prohibuit regularibus prædicare *in ecclesiis non suorum ordinum, sine episcopi approbatione, vel in ecclesiis suorum ordinum sine episcopi benedictione;* tum *sess.* 24 *cap.* 4 *de reformat.* constituit: *Nullus autem sæcularis, sive regularis etiam in ecclesiis suorum ordinum contradicente episcopo prædicare præsumat.*

§. IX. Cumque episcopale munus pertineat ad totam diœcesim, inducta est ejus visitatio, quam episcopus altero quoque anno obire debet aut per se ipsum,

aut per alium, ubi justo impedimento tenetur (1). Qua in re episcopus quidquid ad visitationem, aut ad morum correctionem pertinet, agere debet sine strepitu judicii (2), neque ulla appellatio suspendit vim eorum, quæ mandata aut decreta sunt (3). Verum si solemnis judicii ritus servare placuit, per appellationem vis editæ sententiæ suspenditur (4).

(1) Concilium Tridentinum *sess.* 24 *cap.* 3 *de reformat.* Episcopi diœcesim lustrantis munera describit his verbis: *Visitationum præcipuus sit scopus sanam orthodoxamque doctrinam, expulsis hæresibus inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus et admonitionibus ad religionem, pacem innocentiamque accendere; cetera, prout locus, tempus et occasio feret, ex visitantium prudentia ad fidelium fructum constituere.* Hujusmodi sunt curare, ut reparentur ecclesiæ, atque ut omnia fiant secundum ea, quæ sacris legibus sunt constituta. Ceterum visitationem hanc inter præcipua episcopi munera recenset S. Joannes Chrysostomus, *hom.* 2 *in epist. ad Titum, tom.* 11 *pag.* 737, *edit. Montfauconii Paris.* 1734, et S. Augustinus *epist.* 36 *et* 209 *tom.* 2 *col.* 144 *et* 777, *edit. Venet. an.* 1729.

(2) Vide Fagnan. *in cap. dilectus de rescript. num.* 26 *et seq.*, qui late ea de re disputat et plura memorat decreta Sac. Congregationis concilii.

(3) *Cap.* 15 *de offic. Jud. Ordin.* Concil. Tridentin. *cap.* 10 *sess.* 24 *de reformat.*, Benedictus XIV *Constit. Ad militantis* 48 *de appellat., et inhibition. conced., vel denegan.* §. 21 *tom.* 1 *pag.* 81, *edit. Romæ* 1754. Datur tamen appellatio ut dicitur, *in devolutivo,* quæ scilicet episcopi decretum defert ad judicem superiorem, posteaquam exitum habuit.

(4) Vide Fagnanum *loc. cit.*, et Barbos. *in concil. Tridentin. sess.* 13 *cap.* 1 *de reformat. num.* 7.

§. X. Cuncta quæ in visitatione sunt gesta ac reperta, congregationi concilii significanda sunt, tum ut ecclesiæ Capiti, cui est a Christo commissa cura et administratio gregis universi, omnium particularium ecclesiarum status compertus sit, tum ut cuncti episcopi suam cum sede apostolica societatem et com-

Apostolorum limina accedentes, quatuor menses abesse possint a diœcesi sua, cum citra montes vel mare sunt, cum vero sunt ultra, menses septem. Ne qua vero fraus fieret his de residentia legibus, Benedictus XIV *in Constit. Ad universa* 18 *tom.* 2 *ejus Bullar. pag.* 78, *edit. Romæ* 1754, sancivit, ut qui uno anno usus non est beneficio trium mensium, quos synodus Tridentina concedit, is altero anno diutius quam tres menses a sua diœcesi abesse non possit, atque ut tres postremi menses anni superioris conjungi nequeant cum tribus primis mensibus anni consequentis, adeo ut sex perpetui menses efficiantur. In qua quidem Benedicti constitutione multa præclara et animadversione digna habentur de residentia episcoporum.

§. XIII. Præstat episcoporum potestas divina institutione presbyteris (1), atque dividitur in ea, quæ sunt ordinis, in ea, quæ sunt jurisdictionis et in ea, quæ sunt legis diœcesanæ. Ordinis potestatem consecratione acquirit episcopus (2), semel acceptam numquam amittit, eamque alteri delegare non potest, ut recte delegat potestatem jurisdictionis (3). Ab ea manat regum, sacrarum Virginum (4), altarium, ecclesiæ consecratio, ejusque post pollutionem expiatio (5), abbatum benedictio, collatio ordinum et sacramenti confirmationis (6), confectio chrismatis et olei infirmorum (7).

(1) Catholicam hanc veritatem contra hæreticos presbyterianos vindicat concilium Tridentinum *sess.* 23 *can.* 7, et jampridem Sanctus Epiphanius *lib.* 3 *hæres.* 76 *tom.* 1 *pag.* 904, *edit. Petavii, Coloniæ* 1682, graviter perstrinxerat errorem Aerii, qui episcoporum et presbyterorum potestatem parem esse arbitrabatur. Vide Beveregium *Cod. canon. eccles. primitiv. illustrat. lib.* 2 *cap.* 11 apud Cotelerium *PP. Apostol. tom.* 2 *pag.* 123, *edit. Antverp.* 1698; Petavium *tom.* 6 *theolog. dogmat., lib.* 1 *dissertat. ecclesiastic. cap.* 1 *et seq. pag.* 21, *edit. Venet.* 1757; Mamachium *Origin. et antiquit. Christian. lib.* 4 *cap.* 4 §. 2 *pag.* 511 *et seq. tom.* 4, ubi divina episcoporum institutio, eorumque supra presbyteros potestas latissime ostenditur.

(2) *Cap.* 15 *de elect.*

(3) *Cap.* 9 *de Consecrat. eccles.*

(4) *Can.* 24 *distin.* 23, *can.* 1 §. *ad episcopum distin.* 25.

(5) *Cap.* 9 *de Consecrat. eccles., cap. unic. eodem in* 6.
(6) Concil. Tridentin. *sess.* 23 *cap.* 4 *de Sacrament. ordin.*
(7) *Can. perlectis distin.* 23. Dicam alio loco, quemadmodum interdum sedes Apostolica quædam eorum, quæ episcopi propria esse monui, etiam sacerdoti permittat.

§. XIV. Ad potestatem jurisdictionis, quam episcopus adipiscitur post electionis confirmationem (1), refertur imperium, quod ipse habet in clericos atque laicos diœcesis suæ, in illos in universum, in hos vero quantum attinet ad res sacras atque divinas. Quod imperium episcopi internum respicit et externum forum. Pertinet ad internum forum potestas ligandi et solvendi in sacramento pœnitentiæ, tollendi irregularitates et suspensiones, quæ ex occulto crimine procedunt, excepto homicidio voluntario (2), servandi sibi jus dandæ veniæ in quibusdam criminibus (3).

(1) *Cap.* 15 *de elect.*
(2) Concil. Trident. *sess.* 24 *cap.* 6 *de reformat.*
(3) Concil. Trident. *sess.* 14 *can.* 11. Argumentum hoc, quod pertinet ad reservationes, quæ in quibusdam casibus tum a summo Pontifice, tum ab episcopis suo jure fiunt, solide accurateque persequitur Christianopulus in anonymo libro nuper Romæ edito, cui titulus. « *Della nullità elle assoluzioni ne' casi riservati all' autore della lettera stampata in Milano per la validità delle medesime assoluzioni.* »

§. XV. Spectat ad externum forum potestas legislativa, judicialis et criminalis. Itaque episcopus leges condit pro bono regimine suæ diœceseos, vocat ad synodum diœcesanos, beneficia confert, nisi quæ apostolicæ sedi sint reservata, nova instituit, et interdum antiqua in unum conjungit (1), ecclesias visitat, animadvertit in crimina clericorum eosque gradu movet, tribunal habet, in quo judicat causas ecclesiasticas et mixtas (2), atque etiam civiles, in quibus clericus rei partes sustinet (3), pœnas indicit adversus eos, qui

sunt pœna digni, publicos pœnitentes arcet ab ecclesia eosque restituit (4).

(1) Concil. Trident. *sess.* 21 *cap.* 5 *de reformat.*
(2) *Cap.* 8 *et* 11 *de for. compet.*
(3) *Can.* 13 et 14 *cap.* 11. *quæst.* 1.
(4) Vide pontificale Romanum *par.* 4 *tit.* 2 §. 6 *pag.* 21, *edit. Catalani.*

§. XVI. Ad legem diœcesanam pertinet jus exigendi synodaticum, sive cathedraticum, hoc est tributum in honorem cathedræ episcopalis præstandum, item jus exigendi procurationem, quartam funeralium, quartam decimationum, et cetera, de quibus suis locis disputabimus.

§. XXII. Episcopi jurisdictio fertur in totam diœcesim; sed quidam tamen beneficio sedis apostolicæ ab ea sunt exempti, quo privilegio potissimum fruuntur regulares. Verum etiam in loca et personas exemptas suam interdum episcopus jurisdictionem exercet tamquam Apostolicæ sedis delegatus. Nam ejus jurisdictioni subsunt exempti in iis, quæ contra hæreticos sunt instituta (1), ipse confert apostolica auctoritate beneficia, quæ a prælatis regularibus idoneo tempore collata non sunt (2), animadvertit in parochos exemptos, qui debitis diebus divinum verbum populo nunciare neglexerint, atque in omnes qui hæreses prædicaverint (3); itemque in regulares qui, ab se non impetrata facultate, confessiones sæcularium, aut ab se non approbati monialium confessiones excipiunt (4); quique prædicant in ecclesiis suorum ordinum, vel non petita ab se benedictione, vel se contradicente, vel sine sua venia in alienis ecclesiis (5); et qui graviter delinquunt in administratione cujuslibet sacramenti (6).

(1) *Cap.* 9 *de hæret.*
(2) *Clement. unic. de supplen. neglig. prælat.*
(3) Concil. Trident. *sess.* 5 *cap.* 2 *de reform.*

(4) Vide Benedictum XIV *de Synod. diœces. cap.* 15 *num.* 9.
(5) Gregorius XV *constit. Inscrutabili* 50, §. 6 *pag.* 2 *tom.* 5 *par.* 5 *Bullar., edit. cit.*
(6) Gregorius XV *cit. constit. Inscrutabili* §. 4.

§. XVIII. Similiter visitat, et cum deliquerint, punit et corrigit regulares extra claustra degentes (1); qui vero intra claustra degunt regulares, ac palam extra claustra delinquunt cum ceterorum scandalo et offensione, rogatu episcopi, atque intra tempus ab eo definitum, a præposito suo meritis plectendi sunt pœnis, atque eorum, quæ gesta sunt, certior est faciendus episcopus, cui secus integrum erit in criminosos animadvertere (2). Rursus in censuris et interdictis episcopi jussu evulgandis atque servandis, diebus festis eorumque ritibus custodiendis, et in ceteris ejusdem generis regulares omnes, quamquam exempti, episcopo obnoxii sunt (3).

(1) Concil. Trident. *sess.* 6 *cap.* 3 *de reform.;* Benedictus XIV *constit. Pontific.* 7, *pag.* 33 *tom.* 2 *ejus Bullarii, edit. cit.*
(2) Vide constitutionem *Suscepti muneris* 118 Clementis VIII *tom.* 5 *part.* 2 *pag.* 93 *Bullarii,* ubi etiam arcentur fraudes, quæ fieri possunt adversus episcopum loci, in quo regularis deliquit, cum cum præpositus mittit in monasterium extra diœcesim, ne ipsum punire cogatur.
(3) Concil. Trident. *sess.* 25 *cap.* 12 *de Regular.*

§. XIX. Sed et alia sunt capita delegatæ jurisdictionis, quam episcopus in exemptos habet. Nimirum inquirit in obreptionem et subreptionem gratiæ, per quam aliquis liberatus est a pœna, quæ ab se inflicta fuerat (1), et visitat capitula exempta, nullo etiam ex canonicis ad concilium adscito, quos sibi adjungere, extra visitationem, in causis exemptorum capitulorum debet (2). Denique omnes ecclesiæ sæculares, quæ in diœcesi sunt, etiam exemptæ, monasteria quoque commendata, abbatiæ, prioratus, præpositurae (3), hospitalia, collegia et sodalitia, etiam laicorum ab episcopo tam

quam Apostolicæ sedis delegato visitantur, exceptis illis, quæ sub immediata regum protectione sunt (4).

(1) Concil. Trident. *sess.* 13 *cap*, 5 *de reformat.*
(2) Concil. Trident. *sess.* 6 *cap.* 4, *et sess.* 25 *cap.* 6 *de reformat.* Vide Benedictum XIV *de Synod. diœces., lib.* 13 *cap.* 9 *num.* 5.
(3) Concil. Trident. *sess.* 7 *cap.* 8, *et sess.* 21 *cap.* 8 *de reformat.*, ubi etiam observandum discrimen inter monasteria, in quibus viget, aut non viget regularis observantia.
(4) Concil. Trident. *sess.* 22 *cap.* 8 *de reformat.*

SECTIO II.

De Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, et reliquis Ordinibus.

XX. Sacerdotis officium et potestas.
XXI. Unde sacerdotis et presbyteri nomen ductum sit?
XXII et XXIII. Potestas ordinis et jurisdictionis.
XXIV. Ministri majores et minores.
XXV ad XXVII. Diaconi eorumque institutio et officia.
XXVIII. Subdiaconi.
XXIX. Minores ministri et eorum institutio.
XXX. Acolythi.
XXXI. Exorcistæ.
XXXII. Lectores.
XXXIII. Ostiarii.
XXXIV. Clerici, qui solam habent tonsuram.
XXXV et XXXVI. Discrimen inter majores et minores ordines.
XXXVII. Clerici minores, etiam conjugati, quando gaudeant fori privilegio?

§. XX.

Ab episcopis ad sacerdotes pergimus, universum deinde ministrorum ordinem explicaturi. Nobilissimum est officium et nobilissima potestas sacerdotum novæ legis, qui Deo non vitulos, aut hircos immolant, sed

lege a Christo lata ipsum Dominicum corpus et sanguinem consecrant, atque offerunt in Missæ sacrificio.

§. XXI. Sacerdotes a sacris faciendis appellati sunt. Vocantur etiam *presbyteri*, latine seniores (1), magis tamen sapientiæ, quam ætatis gratia (2). Omnis eorum potestas vel ex ordine, vel ex jurisdictione procedit.

(1) Quod summo haberetur in pretio, essetque maxime venerandum πρεσβυτατον Aristoteles vocat, et frequens illud Homeri πρεσβα θεα veneranda Dea.

(2) Eodem presbyteri et sacerdotis nomine vocabantur etiam episcopi, Cyprianus *epist.* 83 *pag.* 47, *edit. Rigalt. Paris.* 1666, Chrysostomus *in epist. ad Philipp. cap.* 1, *homil.* 1 *pag.* 195 *tom.* 11, *edit. Paris.* 1734. Vide Cotelerium *in Ignat. epistol. ad Magnes. num.* 10 *tom.* 2 *PP. Apostol. pag.* 17, *edit. Amstelodami* 1724, et Fabrotum *in Paratitl. Cujac., lib.* 1 *tit.* 5. *col.* 24 *tom.* 2 *par.* 1. *edit. Mutin. seu Venet. an.* 1758. Sed, ut plurimum, ne quis esset errori locus, episcopi aut *summi sacerdotes*, aut *sacerdotes primi ordinis;* presbyteri autem *secundi ordinis sacerdotes*, aut *sacerdotes secundi* appellati sunt. Tertullianus *de Baptism. num.* 17 *pag.* 230, *edit. cit.* Ambrosius, sive potius Hilarius *in epist. ad Ephes. cap.* 4 *col.* 286 *tom.* 4 *oper. ejusd. Ambrosii, edit. Maurin. Venet.* 1751; Leo M. *serm.* 48 *de Quadrages. tom.* 1 *col.* 181, *edit. Ballerin. Venet.* 1755. Vide Calmet *in epist. Pauli ad Philipp. num.* 1 *pag.* 4116 *t.* 8, *edit. Luc.* 1738; Jacobum Gothofredum *in paratitl. cod. Theodos. de episc. et cleric., tom.* 6 *par.* 1 *pag.* 17, *edit. Lipsiæ an.* 1743, et Petavium *de eccles. hierar. lib.* 1, *Theolog. dogm. cap.* 12. *num.* 12 *tom.* 6 *pag.* 82, *edit. Venet.* 1757.

§. XXII. Ex ordine trahitur infirmorum unctio, consecratio divini corporis et sanguinis, divini verbi prædicatio, potestas baptizandi, et ligandi atque solvendi in sacramento pœnitentiæ. Trahitur ex jurisdictione actus ipse et jus exercendi hanc potestatem, quod ab episcopo accipitur et episcopi arbitrio confertur, aufertur, laxatur, contrahitur, excepto mortis articulo, quo presbyteris liberam ecclesia in morientem attribuit dimittendi peccata potestatem (1). Recte hinc eorum munera describit Pontificale Roma-

St. Albert's College Library

num (2), cum inquit : *Sacerdotem oportet offerre, benedicere, præesse, prædicare et baptizare.*

(1) Concil. Trident. *sess.* 23 *cap.* 15 *de reformat.*
(2) *Part.* 1 *tit.* 12 §. 5 *pag.* 126, *edit. Catalani Romæ* 1758.

§. XXIII. Sed non hæc omnia a quolibet sacerdote fieri possunt. Quamvis enim sacerdoti in ordinatione assignetur titulus, sive ecclesia cui inserviat, non omnibus tamen assignatur populus, quem regant et cui in rebus spiritualibus præesse debeant. Tituli assignatio facit, ut in eo Missæ sacrificium offerant, panemque Eucharisticum populo distribuant et quasdam benedictiones impertiant (1). Verum quod attinet ad reliqua munera, quæ in Pontificali memorantur, aptum quidem ad ea facit presbyterum et idoneum ordinatio. sed cum respectum habeant ad populum, sintque indicia spiritualis in eum jurisdictionis et potestatis, hinc omnis presbyter, qui sibi populum subjectum non habet, facultate eorum jurium exercendorum, quam in ordinatione accepit, partim contra canones illicite utitur, partim frustra omnino et inutiliter.

(1) Duplex distinguitur benedictio : altera, quæ major et solemnis dicitur, quæque episcopi propria est : altera minus solemnis, quam etiam presbyteris emittere jus est *can.* 96 *cap.* 1 *quæst.* 1 *cap.* 3 *ibid. Glos. de privileg. in* 6. Sunt et aliæ benedictiones, ut aquæ, novorum fructuum et similes ; sed in his servandi sunt ritus et consuetudines ecclesiarum, ex quibus quædam benedictiones episcopis, quædam parochis, quædam aliis ab episcopo delegatis presbyteris reservantur.

§. XXIV. Ministrorum duplex est genus : alii majores et sacri, alii minores et non sacri appellantur. Sacri sunt diaconus et subdiaconus, qui sacri dicuntur, quod inter missarum solemnia ordinibus initiantur et suo funguntur munere supra gradus altaris.

§. XXV. Diaconi ab apostolis instituti sunt numero septem (1), quem numerum diu Romana ecclesia retinuit (2). Electi autem sunt non tantum ut mensis, sed etiam ut altari ministrarent (3). Explicat eorum munera pontificale Romanum (4) his verbis: *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare, prædicare.*

(1) Act. VI. Id tamen ab apostolis Christi mandato factum est. Vide Theologos et Salam *in not. ad Bonam, lib. 1 cap. 25 tom. 2 pag. 350.*

(2) Confer Sozomenum *lib. 7 cap. 19 pag. 307, edit. Valesii Cantabrigiæ 1720, et auctorem com. in 1 ad Timoth. inter oper. S. Ambrosii col. 351 tom. 4, edit. Maurin. Venet. 1751*, quem quidam Ambrosium fuisse putant, vere tamen est Hilarius Sardus, ecclesiæ Romanæ diaconus, qui IV sæculo vitæ usura fruebatur. Petavius *de Eccles. hierarch., lib. 1 cap. 12 num. 7* opus illud Hilarii esse negat, sed eum refellit Natal. Alexander *sæc. 4 cap. 6 art. 14 pag. 296 tom. 4.*

(3) Cyprianus *in can. 25 dist. 93. Diaconos*, inquit, *apostoli sibi constituerunt episcopatus et ecclesiæ ministros.* Quid idem habet Ambrosius *de Offic. lib. 1 cap. 50 num. 255 et seq., col. 76 et seq. tom. 3, edit. Maurin. Venet. 1751.* Revera diaconos electos legimus *viros plenos Spiritu Sancto*, eosque impositis manibus consecratos, quod clare ostendit, eos non tantum mensis, sed etiam altaris ministerio fuisse præpositos. Fuse ea de re disputat Petavius *dissert. eccles., lib. 2 cap. 1 tom. 6, theolog. dogmat. pag. 35, edit. Venet. 1757;* Jueninius *de Sacram. dissert. 9 de ordin. in spec. quæst. 4 cap. 1*, ac Mamachius *in Disser. de septem diaconis*, quæ edita Romæ est anno 1749, atque defensa a Fr. Clemente Chodykiewicz ordin. Prædic., ubi agitur copiose de institutione et officio diaconorum.

(4) *Part. 1 tit. 11 §. 4 pag. 110, edit. Catalani.*

§. XXVI. Debent igitur diaconi episcopo et sacerdoti sacra facientibus ad aram stantes inservire (1); olim etiam Eucharistiam populo tribuebant, sed hodie tribuere non possunt præsente presbytero, et nisi id necessitas flagitet (2). Eorum etiam est baptizare; sed eo jure uti nequeunt, cum adest sacerdos et cum procul est

causa necessitatis (3). Denique munus etiam prædicandi proprium est diaconorum, atque id non solum respicit Evangelium, quod legunt in missis solemnibus, sed veram etiam divini verbi prædicationem, quæ ad institutionem spectant populorum (4). Verum munus hoc prædicationis, ut presbyteri, ita etiam diaconi, sine episcopi venia et auctoritate exercere non possunt.

(1) *Diaconus,* inquit, concil. Carthaginense IV *can.* 37, *apud Labbeum tom.* 2 *col.* 1440, *edit. Venet.*, *ita se presbyteri, ut episcopi ministrum noverit.* Alicubi diaconi per summam audaciam sacrificium obtulerunt; sed eam compressit concil. Arelatense I *can.* 5 apud eumdem Labbeum *tom.* 1 *col.* 1452. Nam ipsi ad ministerium, non ad sacerdotium consecrantur, ut recte inquit concil. Carthaginense IV *can.* 4 *apud dictum Labbeum tom.* 2 *col.* 1457. At enim diaconos Dominicum etiam sanguinem in latina ecclesia consecrasse videtur tradere S. Ambrosius, *de Offic. lib.* 1 *cap.* 41 *num.* 214 *col.* 64 *tom.* 3 *edit. Maurin. Venet.* 1751; nam apud eum Laurentius diaconus ita Sixtum episcopum suum ad martyrium properantem alloquitur: *Quo sacerdos Sancte, sine diacono properas tuo? Numquam sacrificium sine ministro offerre consueveras. Quid in me ergo displicuit, Pater? . . . . Cui commisisti dominici sanguinis consecrationem, cui consummandorum consortium sacramentorum, huic sanguinis tui consortium negas?* Verum hoc loco *sanguinis consecratio* est *sanguis consecratus*, ut a jurisconsultis thesaurus dicitur *pecuniæ depositio*, hoc est, *pecunia deposita*, et Ambrosius Laurentio committit sanguinem consecratum, ut eum distribuat, quod diaconi officium erat, non ut ipsam sanguinis consecrationem faciat, quod proprium tantum est episcopi et sacerdotis. Vide Card. Bona. Rer. Liturgic. *lib.* 2 *cap.* 5 §. 4 *pag.* 304 *tom.* 2, *edit. Taurin. an.* 1749, et Sala *in notis pag.* 309, et eruditos monachos congregationis S. Mauri in ipsum Ambrosii locum *cit. col.* 64.

(2) Cit. Concil. Carthaginense IV *can.* 38 *tom.* 2 *col.* 1440, et Concil. Arelatens. II *can.* 15 *tom.* 5 *col.* 4. Diaconos ipsis presbyteris dare ausos Eucharistiam coercuit Nicæna Synodus *can.* 18 *tom.* 2 *col.* 42 *collect. Labbei. edit. Venet.*

(3) Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus *catech. XVII num.* 35 *pag.* 281, *edit. Maurin. Paris.* 1720. Exstat ea de re *in act. Apostolor. VIII* 38 exemplum Philippi diaconi; sed tamen

cum id diaconus præstabat, episcopi accedebat auctoritas. Tertullianus de *Baptism. num.* 17 *tom.* 1 *pag.* 263 *cit., edit. Rigaltii;* Gelasius P. *in Decret. cap.* 7 *apud Pithœum, Codex canonic. veter. Eccles. Roman. pag.* 265 *Paris.* 1687; S. Hieronymus *dial. contr. Lucifer. cap.* 9 *col.* 182 *tom.* 2 *edit. Vallarsii Veronæ;* Concil. Eliberitanum *can.* 87 *col.* 100 *tom.* 1 *collect. Labbei, edit. Venet.* Atque ita intelligendus auctor *Constitutionum Apostolicarum lib.* 8 *cap.* 28 apud Cotelerium *PP. Apostol. tom.* 1 *pag.* 416, cum diaconum baptizare negat. Consule Martenium *de antiquis Eccles. ritib. tom.* 1 *pag.* 14 *et seq., edit. Rotomag. an.* 1700.

(4) *Can.* 1 *dist.* 25. Quod Stephanum et Philippum diaconos, qui apostolis suppares fuerunt, fecisse constat ex *actis Apostolorum VI* 10, *VIII* 5, tum etiam Origenem, Chrysostomum atque alios, cum adhuc diaconi essent, prædicationis munus obiisse memoriæ proditum est. Quod similiter Philostorgius *Histor. Eccl. lib.* 3 *cap.* 17 *pag.* 499, *et lib.* 4 *cap.* 5 *pag.* 504, *edit. Valesii Cantabrigiæ* 1720 scriptum reliquit de Leontio Antiocheno episcopo deque ejus successore Eudoxio, quorum alter Actium, alter Eunomium designavit ad ordinem diaconatus, et utrique dedit divinum in ecclesia verbum nunciandi facultatem. Cujus quoque rei fortasse exempla præbere possunt sermones S. Ephrem diaconi Syri; quos magnis effert laudibus S. Hieronymus *de Scriptor. Eccles. cap.* 115 *col.* 929 *tom.* 2 *cit., edit. Vallarsii.* Recte igitur Stephanus Baluzius *in not. ad epist.* 8 *Salviani pag.* 416, *edition. Æniponti* 1743, illud ejusdem Salviani, *de juvenibus,* qui *magistri Ecclesiarum esse cœperant,* ad diaconatum vocati primum ab episcopo docendi facultatem accipiebant.

§. XXVII. Omnia hæc sunt munera, quibus nunc diaconi funguntur. Olim et curam gerebant viduarum, virginum, orphanorum, pauperum, martyrum in custodia detentorum, quibus potissimum providere debebant, ne quid deesset ad vitam necessarium (1); in vitam moresque populi inquirebant, et crimina episcopo nunciabant (2); oblationes accipiebant, nominaque offerentium (3) et sacra diptycha (4) in ecclesia recitabant; communes preces indicebant (5); increpabant et corrigebant eos, qui aliquid in ecclesia agerent, quod minus decere videretur (6); finitis precibus sacrisque peractis

ab ecclesia discedere jubebant populum, qui ad eam venerat (7).

(1) Cyprianus *ep.* 2 *pag.* 9, *edit. Rigaltii Paris* 1666, Dionysius Alexandrinus apud Eusebium *Histor. Eccles. lib.* 7 *cap.* 22 *pag.* 348 *edit. Valesii Cantabrigiæ* 1720, auctor *const. Apostolic., lib.* 3 *cap.* 19 apud Cotelerium *PP. Apost. tom.* 1 *pag.* 293, *edit. Amstelodami* 1724.

(2) Auctor *constit. Apostol. lib.* 2 *cap.* 44 *pag.* 255 *loco indicato.* Atque hanc ob causam diaconi sæpe episcopi *oculi, aures, os, dextera et cor* appellantur, uti patet ex auctore *constit. Apostol. cit. cap.* 44 *pag. cit.;* Clemente *epist. ad Jacob. num.* 12; apud eumdem Cotelerium *pag.* 619 *loc. cit.;* Isidoro Pelusiota *lib.* 1 *epist.* 29 *pag.* 6, *edit. Venet.* 1745.

(3) Hieronymus *in Ezech. cap.* 18, *lib.* 6 *tom.* 5 *col.* 209, *edit. Vallarsii.* Accipiebat autem diaconus oblationes, quas tradebat sacerdoti, a quo illæ super altari Deo offerebantur. Deinceps diaconus offerentium nomina publice recitabat, quæ recitatio dicebatur *offerre nomina,* uti patet ex Cypriano *epistol.* 9 *pag.* 21, *edit. Rigaltii Paris. an.* 1666, atque ut observant ipse Rigaltius *in not. ad epist.* 60 *Cyprian. pag.* 97 et Bona *Rer. Liturgicar. lib.* 2 *pag.* 8, §. 7 *tom.* 3 *cap.* 191, *edit. Augustæ Taurin.* 1753. Latius de oblationibus agam libro II.

(4) Diptycha erant libri, sive tabulæ sacræ, in quibus erant descripta nomina viventium et mortuorum, qui ceteris aut generis nobilitate, aut virtute, aut dignitate præstarent. Hinc alia erant viventium et alia mortuorum diptycha. Ductum est nomen a ptychis sive plicis et ideo tabulæ, quæ duas habebant plicas, *diptycha,* quæ tribus constabant aut quinque tabulis, *triptycha* et *pentaptycha* dicebantur, de quibus agit Turnebus adversar. *lib.* 9 *cap.* 23. Diptycha ecclesiastica diversa erant a profanis; nam illa chartacei aut membranacei codices erant, hæc autem tabulæ eburneæ, in quibus aureis characteribus novi Consulis nomen quoque anno scribebatur, eaque sunt diptycha, quæ consularia appellantur. Sacra diptycha diaconus ex ambone, aut pulpito in ecclesia recitabat, uti patet ex concilio Constantinopolitano an. 536, sub Menna habito, *act.* 5 *tom.* 5 *col.* 1154 *collect. Labbei. edit. Venet.* Cavebat autem diligenter ecclesia, ne sacris diptychis inscripta nomina expungerentur errore, vel calumniis hominum, quoniam hæc pœna erat, qua plectebantur qui propter aliquod crimen ab ecclesiæ communione sejuncti fuerant, vel a fide defecerant; atque huc spectant Cyprianus *epist.* 66 *ad cler. Furnitan. pag.* 109, *edit. Rigaltii Paris.* 1666;

Augustinus *epist.* 77 *num.* 2 *col.* 182 *et epist.* 78 *col.* 184 *t.* 2, *edit. Maurin. Venet.* 1729; Evagrius *lib.* 4 *cap.* 38 *pag.* 419, *edit. Valesii Cantabrig.* 1721; Socrates *lib.* 7 *pag.* 393, *tom.* 2 *cit. edit. Valesii;* Cyrillus *in ep. Synodic. ad. Domn. in act.* 14 *concil. Chalced. tom.* 4 *col.* 1646; Justinianus *epist. in collat. concil. Constantinopolitani an.* 553 *tom.* 6 *col.* 25 *collect. Labbei.* Et notæ sunt disputationes de S. Joan. Chrysostomi nomine in diptycha referendo, cum multi id facere recusarent, quoniam ipse a Theophilo Alexandrino, tametsi iniqua sententia, exauctoratus et non absolutus ex hac vita migraverat. Interdum in homines, vel viventes, vel mortuos, excommunicatio injuste ferebatur et tunc eorum nomina iterum scribebantur in sacris diptychis, unde pridem expuncta fuerant, ut ecclesiasticæ communioni restituerentur. Ita Alexandrum Antiochenum episcopum Chrysostomi nomen scripsisse in tabulis ecclesiasticis, in quibus plures annos omissum fuerat, narrat Theodoretus *lib.* 5 *cap.* 35 *pag.* 255 *cit., edit. Valesii Cantabrig.*, et ita Joannes episcopus Constantinopolitanus in synodo anni 518 diptychis restituit ea nomina, quæ deleta fuerant fraude Anastasii Imperatoris, qui Eutychianam hæresim sequebatur, uti patet ex *act.* 5 concilii Constantinopolitani sub Menna habiti, *tom.* 5 *col.* 1155 *collect. Labbei edit. Venet.* De diptychis, præter Card. Bona *Rer. Liturgic. lib.* 2 *cap.* 12 §. 1 *et* 2, *et* Rob. Sala *in notis ad eumdem pag.* 260 *et seq. tom.* 3, *edit. Augustæ Taurin. an.* 1753, late atque erudite disputat Card. Norisius *in Dissert. Historic. de synodo V cap.* 5.

(5) Communes preces diaconus indicebat, non tantum quod eas populum fundere jubebat, sed etiam quod ei præibat verborum formula, quam in his precibus adhibere oportebat. S. Augustinus *epist.* 55 *ad Januar. cap.* 18 *col.* 142 *tom.* 2, *editione Maurin. Venet.* 1729. *Can.* 23 *dist.* 93.

(6) Auctor *Constit. Apostol. lib.* 2 *cap.* 57, apud Cotelerium *PP. Apostol. tom.* 1 *pag.* 163 *et* 266, *edit. Amstelodami* 1724; S. Joan. Chrysostomus *homil.* 24 *in act. num.* 4 *pag.* 198 *t.* 9, *edit. Montfauconii Paris.*

(7) Primum judæos, ethnicos, catechumenos, pœnitentes, postea vero fideles diaconus dimittebat. Nam omnibus hominibus, si protervos quosdam peccatores excipias, quique in imo erant pœnitentium gradu, ac *flentes* dicebantur, in ecclesia adesse licebat, cum sacræ conciones habebantur, ac psalmodia lectioque scripturarum perficiebatur, uti patet ex Patrum homiliis, præsertim ex Chrysostomo *homil.* 1 *in Pelag. num.* 4 *pag.* 590 *tom.* 2, *in Phocam num.* 2 *pag.* 707 *tom.* 2, *in Psalm.* 44 *num.* 1 *col.*

160 *tom.* 5, *edit. Montfauconii Paris.*, locisque aliis compluribus. Nam ecclesiæ Patres catechumenos, pœnitentes et omnes, qui *ex diverso* erant, uti loquitur synodus Valentina *can.* 1 apud Labbeum *Concil. tom.* 5 *col.* 759, *edit. Venet.*, evangelia sacrasque conciones audire volebant, quoniam, ut ipsa inquit synodus Valentina *loc. cit.*, *sic Pontificum prædicatione audita nonnullos ad fidem attractos evidenter scimus;* quo etiam spectat concilium Arausicanum I *can.* 18, apud eumdem Labbeum *tom.* 4 *col.* 704, *ad ejusd.*, ubi sancitum est; ut *catechumenis evangelia legantur.* Illa vero publici cultus pars, quæ peragebatur præsentibus catechumenis, dicebatur *missa catechumenorum*, cujus mentio est in concilio Carthaginensi IV *can.* 84 *tom.* 2. *col.* 1444; Valentino *loco mox citato;* Ilerdensi *can.* 4 *col.* 752 *tom.* 5. Ea vero finita diaconus dimittebat ethnicos, hæreticos et qui in altero erant pœnitentium gradu et *audientes* dicebantur, dimittebat, inquam, ea formula, quam habet auctor *apostol. constit. lib.* 8 *cap.* 5 *pag.* 396 *loc. cit. Ne quis audientium, ne quis infidelium.* Tum fundebantur preces pro catechumenis, qui *substrati* vocabantur, pro energumenis, pro competentibus, qui scilicet brevi baptismum erant susceperturi, denique pro illis, qui in summo pœnitentium gradu versabantur. His peractis diaconus exire jubebat omnes, qui mysteriis interesse non poterant, ac denique missa fidelium inchoabatur, in qua nonnisi communicantes præsentes esse poterant. Ea vero absoluta diaconus universum conventum dimittebat ea formula *In pace discedite,* S. Joan. Chrysostomus *Homil.* 39 *in eos qui pascha jejunant*, *pag.* 614 *tom.* 1, *edit. Montfauconii Paris.* 1718; sed de his omnibus opportunior erit disserendi locus in II libro, cum de sacramentis disputabimus; ubi etiam videbimus, num hæc, quæ certe fuit ecclesiæ græcæ, fuerit etiam ecclesiæ latinæ disciplina.

§. XXVIII. Diaconis veluti subsidiarii accesserunt subdiaconi, qui diu fuerunt minorum clericorum numero, sed postea in latina ecclesia majoribus adscripti sunt, quod factum videtur undecimo ecclesiæ sæculo, Urbano II Pontifice (1). Munus eorum est diacono in altaris ministerio opem ferre, parare vinum, panem, sacra lintea et cetera ad sacrificium necessaria, episcopo et sacerdoti manus in sacrificio abluentibus aquam effundere, in missa epistolam legere (2).

(1) Subdiaconatum inter sacros ordines ab Urbano II fuisse relatum evidenter, meo judicio, ostendit Innocentius III *in cap.* 9 *de ætat. et qualit. ordin. præfic.* Porro dubitari non potest, quin Urbano II Pontifice subdiaconatus esset inter minores ordines; cum id constet ex ejus decreto, quod refert Innocentius et quod est apud Gratianum *in can.* 4 *dist.* 60. Ejus verba sunt hæc: *Nullus in episcopum, nisi in sacris ordinibus religiose vivens inventus fuerit, eligatur; sacros ordines dicimus diaconatum et presbyteratum, hos siquidem solos primitiva ecclesia legitur habuisse.* Memorat deinde Innocentius decretum alterum ejusdem Urbani, quo subdiaconatus inter majores ordines relatus est. *Cum hodie*, inquit, *subdiaconatus inter sacros ordines computetur, sicut Urbanus Papa II expressit, erubescant etc.* Duo igitur sunt inter se pugnantia Urbani II decreta, quorum alterum inter minores et alterum inter majores ordines subdiaconatum refert. Quod recte intelligi explicarique non potest, nisi dicamus, fuisse subdiaconatum inter minores ordines, cum Urbanus II Pontificatum obtinuit, ab eo vero deinceps fuisse relatum inter majores ordines, quo spectat alterum Urbani decretum, quod fortasse editum est post synodum Beneventanam anni 1091. Thomassinus *par.* 1 *lib.* 2 *cap.* 33 *num.* 2 *et* 3, cum quo sentit Van Espen *Jus eccles. par.* 1 *tit.* 1 *cap.* 3 *num.* 2, duo hæc inter se pugnantia Urbani decreta admiratur; inquit tamen, revera ab Innocentio III subdiaconatum majoribus ordinibus adscriptum fuisse. Sed non video, quomodo id componi possit cum auctoritate ipsius Innocentii, qui Urbano tribuit decretum, quo subdiaconatus inter sacros ordines relatus est. Antequam vero subdiaconi inter majores clericos recenserentur, jam ipsis imposita fuerat lex perpetuæ continentiæ, uti constat ex S. Leone M. *epist.* 14 *cap.* 4 *col.* 687 *tom.* 1, *edit. Ballerin.*, ex S. Gregorio *lib.* 1 *epist.* 44 *col.* 538 *et lib.* 4 *epist.* 36 *col.* 716 *tom.* 2, *edit. Maurin. Paris.* 1705, atque ex concilio Romano sub S. Silvestro *cap.* 8 *col.* 1584 *tom.* 1 *collect. Labbei, edit. Venet.*, et Toletano VIII *can.* 6 *tom.* 7 *col.* 420.

(2) *Can. cleros dist.* 21, *can. non liceat dist.* 23, *can. perlectis dist.* 25. Subdiaconi officia describit pontificale Romanum *par.* 1 *tit.* 11 §. *pag.* 101, *edit. Catalani Rom.* his verbis: *Subdiaconum oportet aquam ad ministerium altaris præparare; diacono ministrare; pallas altaris et corporalia abluere, calicem et patenam in usum sacrificii eidem offerre.*

§. XXIX. Majoribus succedunt minores ordines ministrorum; atque hi sunt acolythi, exorcistæ, lectores, ostiarii. Nomina hæc et officia, quæ his nominibus designantur, ad ipsum *ecclesiæ initium* refert synodus Tridentina (1); sed cum non definiverit, quo id tempore factum fuerit, multi existimant, omnes minores ordines una cum subdiaconatu, procedente tempore, ecclesiam instituisse (2). Verum cum initio diaconorum partes essent, quæ labentibus annis minorum clericorum propriæ esse cœperunt, recte sentiunt, qui minores ordines origine sua, hoc est quatenus diaconatu comprehendebantur, ad ipsam hujus ordinis institutionem referunt. Tum quod diaconi pares non essent omnibus his muneribus obeundis, ecclesia veluti partes quasdam ex diaconatu decerpsit, ac pro singulis proprios ordines instituit (3).

(1) *Sess.* 23 *cap.* 2 *de Sacram. ord.*

(2) Disputant inter se viri docti, num minorum ordinum origo ab ipsis apostolis sit repetenda. Affirmant Baronius *ad ann.* 44 *num.* 78 *tom.* 1 *pag.* 515, *edit. Lucæ* 1738 et Bellarminus *de Cleric. lib.* 1 *cap.* 11 *et seq., pag.* 122 *et seq. tom.* 2 *oper., edit. Venet.* 1721; negant Morinus *de sacr. ordinat. exerc.* 1 *num.* 5; Card. Bona *rer. liturgic. lib.* 1 *cap.* 25 §. 17 *tom.* 2 *pag.* 263, *edit. Augustæ Taurinor. an.* 1749; Cotelerius *in constit. Apostol. lib.* 2 *cap.* 25 *num.* 15 *pag.* 241 *tom.* 1, *edit. Amstelodami* 1724; Goarius *in not. ad euchol. Græcor. pag.* 258; Juenin *de sacram. dissert.* 9 *quæst.* 6 *cap.* 1; ac diserte Amalarius *de offic. eccles., lib.* 2 *cap.* 6 *in Biblioth. PP. tom.* 14 *pag.* 97, *edit. Lugdun.*; P. Lombardus 4 *sent. dist.* 24; D. Thomas *supplem. par.* 3 *quæst.* 37 *art.* 2, tradunt eos post ætatem apostolorum ab ecclesia fuisse institutos. Vide Arcudium *concord. eccles. Occident. et Orient. lib.* 6 *cap.* 9 *pag.* 536 *et seq., edit. Paris.* 1679; Emmanuelem a Schelstrate *Antioch. Concil. restitut. can.* 10 *cap.* 17 *art.* 2 *pag.* 519, *edit. Antverpiæ* 1681. Benedictum XIV *de Synodo diœces. lib.* 8 *cap.* 9 §. 4 *et seq.*, qui rem expendunt, enumeratis argumentis, quæ ab utriusque sententiæ defensoribus proponuntur. Sane Cornelius Pontifex, qui medio III sæculo vitæ usura fruebatur, singulos illos ordines distinctim recensuit

in epist. 9 *ad Fabium Antiochen. num.* 5 *col.* 150 apud Coustantium *epist. Roman. Pontific.* cum de Novatiano disputans, *ignorabat*, inquit, *unum episcopum esse oportere in ecclesia catholica, in qua tamen sciebat presbyteros quidem esse quatuor et quadraginta, septem autem diaconos totidemque subdiaconos, acolythos duos et quadraginta, exorcistas et lectores cum ostiariis* 52. Sed non idem semper ubique in antiqua ecclesia minorum ordinum numerus fuisse videtur. Nam auctor *epistolæ ad Antiochenos*, quæ Ignatii nomine circumfertur, apud Cotelerium *PP. Apostol. tom.* 2 *pag.* 107, itemque auctor *canonum Apostolorum can.* 42, et auctor etiam *constitutionum Apostolicarum lib.* 3 *cap.* 11 *et lib.* 8 *cap.* 28, uterque apud Cotelerium *loc. cit., pag.* 448 *et pag.* 287 *et* 415, cum minores clericos memorant, nullum de acolythis verbum faciunt; quin auctor epistolæ, quæ Ignatii nomen præ se fert, medios inter ostiarios atque exorcistas constituit *Laborantes*, quos apostolorum canones atque apostolicæ constitutiones omittunt. Clericatus initia interdum a lectoratu facta constat ex Siricio *ad Himerium epist.* 1 *cap.* 9 *col.* 633, et Zosimo *epist.* 9 *ad Hesychium col.* 971, apud Coustantium; Cypriano *epist.* 29 *pag.* 208, *edit. Amstelodami* 1770; Paulino *de S. Felic. Natal.* 4 *vers.* 8 *col.* 391, *edit. Muratorii Veron.* 1736. Lectores in ecclesia Alexandrina nullo discrimine, uti loquitur Socrates *lib.* 5 *cap.* 22 *pag.* 269, *edit. Valesii Cantabrigiæ* 1620, sive ex fidelibus capiebantur, sive ex catechumenis, qui certe clerici non erant, et interdum quis ex lectoratu statim ad diaconatum evehebatur; Socrates *lib.* 6 *cap.* 3 *pag.* 312, *edit. cit.*; Palladius *in vit. Chrysostomi tom.* 13 *opp. Chrysostom. pag.* 16 *et* 17, *edit. Montfauconii Paris.* 1738. Huc etiam spectat Gregorius Turonensis *Histor. lib.* 4 *cap.* 6 *col.* 146, *edit. Ruinarti Paris.* 1699, apud quem Cato presbyter omnes numerans clericatus gradus, in quibus versatus fuerat, memorat tantum *lectoratum, subdiaconatum, diaconatum, presbyteratum.* Vide Arcudium *de concord. eccles. Occident. et orient., lib.* 6 *cap.* 9; Morinum *de Sacr. ordinat. part.* 2 *exerc.* 11 *cap.* 31; Thomassinum *veter. et nov. eccles. disciplin. part.* 1, *lib.* 2 *cap.* 33 *num.* 10; Martenium *de Antiquis eccles. rit. tom.* 2 *lib.* 1 *cap.* 8 *pag.* 19 *et seq., edit. Venet.* 1763.

(4). Sanctus Thomas *supplement.* 3 *part. quæst.* 37 *art.* 2. Vide Salam *in notis ad Bonam loc. cit. pag.* 365. *et seq.*

§. XXX. Summus inter minores clericos gradus est acolythorum, qui ita dicuntur, quasi apparitores et

pedissequi episcoporum (1). Eorum munus est cerofe-rarium ferre, ecclesiæ luminaria accendere, vinum et aquam ad Eucharistiam subdiacono ministrare (2).

(2) Acolythi quasi perpetui testes erant et comites episcoporum; et hinc magna erat eorum fides. Erat autem in ecclesia Romana major acolythorum, quam aliorum separatim minorum clericorum numerus, quoniam illorum plura erant officia; et vero alii dicebantur palatini, qui summo Pontifici inserviebant, alii stationarii, qui in templis aderant, in quibus stationes celebrabantur, alii regionarii, qui nomen ducebant ad urbis regionibus, in quibus cum diaconis munus suum exercebant. De urbis regionibus deque stationibus late agit Mabillonius, *Musæum Italic. tom.* 2 *Ord. Roman. I pag.* 3, *et Comment. in eumd. ordin. num.* 5 *pag.* 31, *Paris.* 1689. Consule etiam fratres Ballerinios *in S. Zenonen lib.* 2 *trac.* 47, *not.* 1 *pag.* 273 *tom.* 1, *edit. Augustæ Vindel.* 1758. Olim etiam acolythorum erat officium dominicis diebus Eucharistiam per titulos ad presbyteros missam deferre, uti constat ex Innocentio I *epist. ad Ducentium episc. Eugub. cap.* 5 apud Coustantium *col.* 860, atque ex Usuardo et martyrologio Romano ad diem 15 augusti in vita sancti Tharsicii Acolythi, *Qui cum quodam die deferret Christi corporis sacramenta, nec vellet ea discutientibus prodere paganis, tamdiu est fustibus et lapidibus ab eis maceratus, quousque exhalaret spiritum.* Quin etiam ipsam Eucharistiam Pontifici ad altare procedenti præferebant in capsis, quas tenebant apertas, uti recte observat Mabillonius *in cit. Ord. Rom. pag.* 39. *Dum Pontifex sancta adorasset atque ex eis particulam assumi jussisset in usum sacrificii, quod mox ab ipso celebrandum erat.* Finito autem sacrificio sacculos ad confringendas in Missa oblatas consecratas portabant, easque sacerdotibus confracturis exhibebant; ideoque in sua ordinatione sacculos ab episcopo accipiebant, ut illud eorum officium designaretur. Partes quoque erant acolythorum manu tenere tum fistulam, per quam fideles Christi sanguinem ex calice hauriebant, quamque tradebant ministro calicem gestanti, cum illi Christi sanguinem ebibebant; tum patenam supponendam ori illorum, qui Eucharistiam accipiebant, ne quid ex ea in terram delaberetur; præterea scribere nomina baptizandorum et susceptorum, et signare catechumenos in scrutiniis, iisque manus imponere et symbolum pro infantibus recitare, quæ omnia late explicantur a Martenio *de Antiquis eccles. rit.*, *tom.* 1 *cap.* 8 *art.* 8 *pag.* 19, *edit. cit.*

(2) *Acolythus cum ordinatur*, inquit concilium Carthaginense IV *can.* 6 apud Labbeum *concil. tom.* 2 *col.* 1437, *edit. Venet. Lugdun.* 1706, *ab episcopo quidem doceatur, qualiter in officio suo agere debeat; sed ab archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, ut sciat, se ad accendenda luminaria mancipari; accipiat et urceolum vacuum ad suggerendum vinum in Eucharistiam sanguinis Christi.*

§. XXXI. Proximum tenent locum exorcistæ, quorum est dæmoniacis manus imponere malosque spiritus ejicere. Quæ functio communis olim erat omnium pene christianorum, quorum adjurationibus dæmones urgebantur (1), sed cum hæc depellendorum dæmonum facultas, aliæque *gratiæ gratis datæ*, quas theologi appellant, in illis nascentis ecclesiæ initiis passim a Deo fidelibus concessæ, ecclesiæ statu deinceps constituto, desiissent vulgo attribui, quod pervulgatus earum usus minus necessarius evasisset, certus ab ecclesia factus est ordo exorcistarum (2). Hodie ad malos spiritus adjurandos sacerdotes adhibentur.

(1) *Exorcista non ordinatur*, inquit auctor *Constit. apostol. lib.* 8 *cap.* 26 apud Cotelerium *PP. Apost. tom.* 1 *pag.* 415, *edit. Amstelodami* 1724. *Hæc enim certaminis laus pendet a libera et bona voluntate, et a gratia Dei per Christum, adventu Spiritus Sancti.* Verum hoc loco non de illis agi videtur, qui ex officio ac vi ordinis exorcistæ munus exercebant. Celebre autem est illud Tertulliani *Apolog. num.* 23 *pag.* 24 *edit. Rigaltii Paris.* 1634, qui ita ethnicos compellat: *Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem dæmone agi constet. Jussus a quolibet christiano loqui spiritus ille, tam se dæmonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso.* Huc etiam refer Origenem *contr. Cels. lib.* 7 *num.* 4 *tom.* 1 *pag.* 696, *edit. Maurin. Paris.* 1733.

(2) Medio III sæculo exorcistas inter minores clericos numerat Cornelius Pontif. *in cit. epist. ad Fabium; et* IV sæculo Laodicena synodo *can.* 26 *ex interpretatione Dionysii Exig. tom.* 1 *col.* 1545 *collect. Labbei, edit. Venet.* statutum est: *Quod hi, qui non sunt ab episcopis ordinati, tam in ecclesiis, quam in domibus exorcizare non possunt.* Ritus in exorcistæ ordinatione servandos describit concilium Carthaginense IV *can.* 7 *loc. cit.* Primum exorcistæ curabant, ut energumeni maximam diei par-

tem in ecclesia versarentur, tum eis omni die manus imponebant; quæ omnia patent ex ipso concilio Carthaginensi IV *can.* 90, 91, 92 *loc. cit.* 1444.

§. XXXII. Lectores sunt, qui ex sacris libris aliquid in ecclesia legunt (1). Quare olim apud eos sacri codices servabantur, et sæpe ethnicis eos postulantibus ab episcopis reponsum constat: *Scripturas lectores habent* (2). Legebant autem e pulpito, sive suggesto, et antequam initium lectioni facerent, silentium a diacono indicebatur verbo *attendamus* (3).

(1) Concilium Carthaginense IV *can.* 8 *loco indicato;* S. Joan. Chrysostomus *Homil.* 3 *in II ad Thessal. cap.* 2 *num.* 4 *pag.* 527 *tom.* 11, *edit. Montfauconii Paris.* 1734; S. Augustinus *serm.* 135 *tom.* 5 *opp. col.* 989, *edit. Maurin. Venet.* 1731, ubi de Evangelii lectione lectori commissa.

(2) Baronius *ad ann.* 303, *num.* 7, 12, 15, *tom.* 3 *pag.* 539 *et seq., edit. Lucæ.*

(3) S. Joan. Chrysostomus *Hom.* 19 *in act. Apostol. num.* 5 *tom.* 9 *pag.* 159, *edit. Montfauconii Paris.* 1731. Lectoris munus sæpe etiam presbyteri et diaconi exercebant, ut ostendit auctor *constit. Apostolic. tom.* 1 *pag.* 265, et sanctus Hieronymus *epist.* 147 *ad Sabinian. num.* 7 *tom.* 1 *col.* 1085, *editione Vallarsii;* quin etiam eodem se munere fungi dicit sanctus Augustinus *serm.* 356 *et* 362, *cap.* 22 *col.* 1585 *et* 1432, *editione Venet.* 1731, ac Sozomenus *Histor. eccles., lib.* 7 *cap.* 19 *tom.* 5, *edit. cit. Valesii* testatur, quod *alicubi in præcipuis festivitatibus episcopi legunt, ut Constantinopoli primo die paschalis festivitatis;* quod sua etiam ætate factum scribit Nicephorus Callistus *Eccles. histor. lib.* 12 *cap.* 34 *pag.* 298 *tom.* 2, *editione Paris.* 1630, addens præterea, non solum die Paschatis, sed etiam kalendis januarii patriarcham Constantinopolitanum in ecclesia Evangelium legere consuevisse. Confer fratres Ballerinios *in S. Zenonem lib.* 1 *tract.* 13 *not.* 1 *pag.* 99 *tom.* 1, *edit. Augustæ Vindelic.* 1758.

§. XXXIII. Postremum denique locum occupant ostiarii, qui acceptis ecclesiæ clavibus, aperiendis claudendisque januis, et arcendis infidelibus atque excommunicatis præficiuntur (1). Hodie ecclesiæ fores

passim laicorum custodiæ committuntur. Jamque ante tempora concilii Tridentini sanctorum ordinum a diaconatu ad ostiariatum functiones pluribus in locis fuerant intermissæ, quas propterea concilium revocari in usum juxta sacros canones jubet (2).

(1) Ostiarios ab ecclesia institutos ea præsertim de causa putat Binghamus *Origin. eccles. lib.* 3 *cap.* 6 §. 3 *tom.* 2 *pag.* 57, *edit. Halæ Magdeburg.*, ut sævientibus ethnicis adversus christianos, stata conventuum et precationum tempora indicerent. Exteriores ecclesiæ portas ostiarii, portas sanctuarii subdiaconi custodiebant, ubi nulli erant ostiarii utrasque subdiaconi obtinebant. Sæpe etiam ostiarii vocantur Æditui, atque ita S. Paulinus Nolanus *epist.* 1 *ad Severum num.* 10 *col.* 7, *edit. Muratorii Veronæ* 1736 ostiarium vocat: *Non testor*, inquit, *ipsum, quia et ab Æditui nomine et officio optavi sacram incipere servitutem.* Quo ex loco intelligitur, etiam Paulini ætate ostiarii munus primum clericatus gradum fuisse. *Ostiarius cum ordinatur*, inquit concilium Carthaginense IV *can.* 9 *loc. cit. col.* 1438, *tradat ei episcopus claves ecclesiæ de altario, dicens: Sic age, quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur.* Luculentius explicat ostiarii munus Isidorus Hispalensis *can.* 1 *dist.* 25: *Ad ostiarium*, inquit, *pertinent claves ecclesiæ, ut claudat et aperiat templum Dei, et omnia, quæ sunt intus extraque custodiat: fideles recipiat, excommunicatos et infideles ejiciat.* Quod non ita intelligendum est, quasi infideles, hæretici, Judæi in ecclesia versari non possent, cum divinum verbum nunciabatur, aut cum aliquid e sacris libris recitabatur. Nam eo tempore ipsis in ecclesia adesse licebat, uti demonstratum supra est.

(2) Concilium Tridentinum *sess.* 23 *cap.* 17 *de reform.*

§. XXXIV. Atque hi sunt quatuor ordines quos *minores* dicimus, reliquos tres *majores* appellamus. De simplici tonsura quæri solet, num ea ordinibus adscribi debeat, qua de re inter canonistas atque theologos magna controversia est. Certe qui tonsura donati sunt, vere inter clericos recensentur, et ideo eorum utuntur privilegiis, uti demonstratum supra est, atque iis præsertim, quæ *fori* et *canonis* nuncupantur.

§. XXXV. Non unum inter majores minoresque ordines discrimen intercedit. Majores clerici omnino castitatem servare coguntur (1), habentque onus recitandi divinum officium aut publice in ecclesia, aut privatim domi (2), et qui illis initiantur, habere debent ex beneficio, aut ex paterna hereditate et patrimonio unde honeste vivant (3).

(1) Siricius P. *epist. ad Himerium Taraconen. num.* 8 *et seq., col.* 629 *et seq., et epist. ad episc. Afric. num.* 3 *col.* 655, apud Coustantium *epist. Rom. Pontific.;* Innocentius I ad Victric. Rotomag. *num.* 12 apud eumdem Coustantium *col.* 752*;* Leo M. *epist.* 14 *cap.* 4 *col.* 687, *et epist.* 167 *Respons. ad inquisit. III col.* 1421 *tom.* 1, *edit. Ballerin.* Vide Thomassin. *veter. et nov. eccles. disciplin. par.* 1 *lib.* 2 *cap.* 61. Quæstio autem est, num majores clerici ex voto, an potius ex lege ecclesiastica castitatem servare debeant. Obligationem hanc ex mera constitutione ecclesiæ, continentiam præcipientis, repetunt Scotus 4 *dist.* 37 *quæst. unic.* §. *dico igitur;* Joan. de Lignano *de cleric. Conjug. cap.* 2; Guthier. *quæst. canon. lib.* 2 *cap.* 7 *num.* 45*;* Valent. *de Cœlib. cap.* 2 *paulo post princip.* Contra vero eam ex voto, quod sacris ordinibus adjunxit ecclesia, oriri arbitrantur Cajetanus *in opusc. tom.* 1 *tr.* 27 *quæst. un.* §. *quoad secundum;* Waldens. *de Sacrament. cap.* 66. *num.* 2*;* Bellarminus *controv. lib.* 1 *de matrim. cap.* 21 *paulo post princip.* §. *impedimenta*, *opp. tom.* 3 *pag.* 662, *edit. Venet.* 1721; Sanchez *de matrimon. lib.* 7 *d.* 27 *num.* 10, aliique complures. Synodi Tridentinæ patres de hac evolvenda definiendaque quæstione minime laborarunt; et Cardinalis Pallavicinus *Histor. concil. Trident. lib.* 23 *cap.* 9 *num.* 2 ad rem hanc refert, sedis apostolicæ legatum Hosium voto suo declarasse, quod synodus *can.* 6 *sess.* 24 haud voluerit definire, cœlibatum sacris ordinibus adjunctum ex ecclesiastica lege procedere, cum nil ea de re disputatum a patribus esset, sed tantum damnare Lutherum suis ipsius verbis ita conceptis ab eo : *Non obstante lege ecclesiastica*, *vel voto*. Confer, qui ea de re late disputant, Schmalzgrueber *jus eccles. univers., lib.* 3 *tit. par.* 1 *num.* 28; Leurenium *For. eccles. lib.* 3 *tit.* 3 *quæst.* 41, et Amortium *Theolog. tract. de sacram. Ord.* §. 14 *quæst.* 1 *num.* 3.

(2) *Cap.* 1 *et* 9 *de celebr. miss.*

(3) *Cap.* 16 *et* 23 *de præben.* Concil. Trident. *sess.* 21 *cap.* 2 *de reformat.*

§. XXXVI. Soluti sunt his oneribus minores clerici; verum cum ineunt matrimonium, sive illud ratum sit, sive consummatum, sive vires habeat, sive iis careat, modo consensus clerici non desit, non solum impares fiunt ad ecclesiastica beneficia obtinenda; sed, quæ habent, etiam amittunt (1), quamquam recuperent quiquid forte ecclesiæ dederunt e patrimonio suo (2).

(1) *Cap.* 1 *et* 8 *de Cleric. conjug.*
(2) *Cap.* 3 *eod.*

§. XXXVII. Minores clerici, qui beneficium non habent, ut fori privilegio fruantur (1), tonsuram vesesque clericales deferre, atque alicui ecclesiæ, mandato episcopi, servire debent (2), vel cum ejus venia in clericorum seminario, aut in aliquo probato gymnasio versari, quasi in via, per quam ad majores ordines perveniant (3). Qui tonsuram et vestes deseruere clericorum, ad laicum judicem vocari possunt; verum si velit episcopus, eos vindicare potest, ut adversus ipsos judicium exerceat (4). Atque illud quidem fori privilegium obtinent non tantum clerici cœlibes, sed etiam qui uxorem habent, modo unicam, eamque virginem duxerint, adscriptique ab episcopo alicui ecclesiæ sint, gerantque tonsuram et vestes clericales (5).

(1) Quæsitum est, num clerici, qui tonsuram vestesque clericales abjecerunt, non tantum fori, sed etiam *canonis* privilegium amittant, ac præterea beneficium. *Cap. Odoardus;* et eos tantum fori privilegium amittere, non item cetera, definitum est, uti testatur Giraldus *exposit. Jur. Pontific. par.* 2 *sect.* 93 *pag.* 939 *et* 940. Neque vero ut hujusmodi clericis fori privilegium adimatur, monitione aliqua opus est, cum ii statim cadant jure suo, Innocentius XIII *Constit. Apostolici ministerii,* §. 8 *tom.* 11 *Bullar. Roman. ult. edit. pag.* 260, quam constitutionem confirmavit Benedictus XIII *Constit. In supremo* 31 *pag.* 330 *eod. Bullar. loc. cit.* Vide Giraldum *loc. cit.*

(2) Quamquam Tridentina synodus fori privilegium attribuat clerico, qui *ex mandato episcopi* ecclesiæ servit, tamen eodem privilegio fruitur etiam clericus, qui vel sine episcopi mandato, vel non illi servit ecclesiæ, quam episcopus designavit. Consule Benedictum XIV *de synod. diœces. lib.* 12 *cap.* 6 *num.* 5 *et* 6.

(3) Concilium Tridentinum *sess.* 23 *cap.* 6 *de reform.*

(4) Vide Benedictum XIV *de synod. diœces. lib.* 12 *cap.* 2 *num.* 4, et Giraldum *loc. cit. pag.* 948, a quibus plura ea de re decreta referuntur.

(5) *Cap. unic. de cleric. conjug. in* 6, concilium Tridentinum *loc. cit.* Sunt qui putant clericos conjugatos gaudere privilegio fori tantum in causis criminalibus, sed eos hoc frui privilegio oportere in causis criminalibus et civilibus, modo ea præstent, quæ præstare necesse est, respondit sacra Congregatio immunitatis, uti testantur Riccius *decret. et resolut. sacr. congregat. immunitatis verb. clerici conjugati quoad privilegium fori et canonis*, et Ferraris *biblioth. verc. clericus art.* 2 *num.* 53 *et seq.* Ceterum etiam clericos conjugatos, qui eo non præstant, ab episcopo vindicari posse, ut adversus eos judicium exerceat, respondit Sacr. Congregat. concilii *in Alatrina jurisdictionis* 17 *martii* 1683. Vide Giraldum *loc. cit.*, et Benedictum XIV *loc. cit.*, *cap.* 2 *num.* 1.

TITULUS III.

De Hierarchia Jurisdictionis.

I et II. Hierarchia jurisdictionis ejusque magistratus, et caput omnium.
III. Divisio diœceseon.
IV. Ex omnibus membris in unum collectis una fit catholica ecclesia.
V. Episc. particulares eccles. regunt.
VI ad VIII. Caput ecclesiæ universæ, centrumque unitatis et necessitas jurisdictionis in hoc capite.
IX ad XI. Minores magistratus, et ministri hierarchiæ jurisdictionis.

§. I.

Demonstrata jam ordinis hierarchia, nunc hierarchiam explicabimus, quæ jurisdictionis appellatur. Ea pertinet ad optimum ecclesiæ regimen, quod ut recte consistat, suos habere debet magistratus, sicuti suos habet civilis societas, qui imperium exerceant in illam hominum multitudinem, quibus societas constat, ne inter eos, si nemini pareant, necessario magna perturbatio et confusio rerum omnium existat. Ea de causa creati sunt a Christo episcopi, qui non solum spiritualia bona in homines conferrent, sed etiam essent præcipui christianæ societatis magistratus.

§. II. Sed inter hos magistratus unus esse debebat, qui ceteris præesset societatemque universam regeret ac moderaretur. Id postulabat divina sapientia legislatoris, qui huic societati caput et principem daret (1), atque illa unitas tum fidei, qua christianos omnes convenire volebat, tum caritatis qua cuncta ecclesiæ membra inter se eodem pacis et communionis vinculo copulari debent (2). Quæ enim esset hæc unitas, nisi unus esset toti ecclesiæ præpositus, qui

illam tueretur et custodiret, quique omnes una fide, una caritate, una demum ecclesia conjungeret? Itaque Petro ejusque successoribus summis Pontificibus datus est hic primatus, ut per unum caput una esset ecclesia, sive, uti loquitur Hieronymus (3), *ut capite constituto schismatis tolleretur occasio.*

(1) Utar testimonio heterodoxi hominis, sed philosophi præstantissimi Guillelmi Leibnitzii, qui ex ratione agnovit primatus in ecclesia necessitatem et in eo etiam necessitatem jurisdictionis. Nam scribens de Romano Pontifice *epist.* 8 *tom.* 1 *epist.*, *edit. Lips. an.* 1734, *pag.* 55 habet hæc: *Cum Deus sit Deus ordinis et corpus unius ecclesiæ catholicæ et apostolicæ, uno regimine hierarchiaque universali continendum juris divini sit; consequens est, ut ejusdem sit juris supremus in eo spiritualis magistratus. . . . . directoria potestate, omnique necessaria ad explendum munus pro salute ecclesiæ agendi facultate instructus.* Utor, inquam, hoc testimonio, ut omnes intelligant, quid sola possit recta ratio in homine vel hæretico, sed ingenio præstante; ceterum catholici omnes agnoscunt hanc primatus necessitatem ejusque a Christo factam institutionem, quod dogma catholicæ fidei est; cujus quidem primatus naturam egregie inter ceteros persequuti sunt Bellarminus *de Romano Pontifice*, *lib.* 1 *et* 2 *fere per tot. pag.* 251 *et seq.*, *tom.* 1 *opp. edit. Venet*, 1727; Mamachius *Origin. et antiquit. christian.*, *lib.* 4 *part.* 2 *cap.* 1 *et seq.*, *tom.* 3 *par.* 3 *pag.* 1 *et seq.*, Petrus Ballerinius *de vi ac ratione primatus Roman. Pontific.*

(2) Confer Ballerinium *loc. cit.*, *cap.* 8 *et seq.*

(3) *Lib.* 1 *advers. Jovinian. cap.* 26 *col.* 279 *tom* 2, *edit. Vallarsii Veronæ.*

§. III. Apostolos misit Christus ad nunciandum Evangelium in universum orbem terrarum, neque inter singulos provincias aut civitates distribuit. Sed ipsi deinceps, aucto fidelium numero, divisionem illam instituerunt, quam necessariam esse existimarunt, ut recta regiminis ratio constaret. Atque hinc prima est repetenda origo divisionis diœceseon, et origo etiam patriarcharum ac metropolitarum. Cuncta hæc ab apostolis adumbrata, deinceps ab ecclesia absoluta ac definite constituta sunt.

§. IV. Quare illa missio in orbem universum, propria et peculiaris fuit apostolorum, per quos ubique nuncianda erat Christi religio (1); sed ea populis nunciata et patefacta, certi sunt constituti fines, intra quos unusquisque episcopus jurisdictionem exerceat. Hinc patriarchis plures provinciæ et nationes, primatibus una natio aut regnum, metropolitis una provincia, episcopis diœcesis una data est. Horum quilibet imperium habet in illum terræ tractum, cui præpositus est. Sed ex his omnibus unum debet effici corpus, quale est ecclesia catholica; effici autem nequit, nisi cuncta in unum conjungantur; conjungi vero non possunt, nisi omnia unum caput et unum commune centrum habeant.

(1) Ampla illa potestas (semper tamen obnoxia Petro omnium capiti et principi) quæ in ecclesiæ regimine apostolis data est, in uno Petro ordinaria fuit, ideoque ad ejus successores delata est, verum in ceteris apostolis fuit extraordinaria, neque ad successores transiit, sed illorum obitu expiravit. Audiatur Natalis Alexander *Hist. eccles. dissert. 4 ad sæcul. 1, §. 4 tom. 3 pag. 85, edit. Venet.* 1776, cujus hæc verba sunt: *Summa potestas in ecclesia non solum data est Petro, sed reliquis etiam apostolis, et his quidem ut tanquam extraordinario munere et cum eis interituro fungerentur. Unde omnes illud Pauli merito sibi vindicare poterant:* instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium ecclesiarum. *Sancto vero Petro concessa est auctoritas illa suprema tamquam ordinario pastori, cui perpetuo succederetur, apostolica tandem auctoritate ad unum revocata. Unde Sancti Petri sedes antonomastice apostolica dicta est a S. Hieronymo etc.* Ita etiam docent Thomassinus, Hallierus, Petrus de Marca, Bossuetius, aliique complures, idque confirmat facultas Parisiensis, quæ damnavit M. Antonium de Dominis, negantem niti Sacris Scripturis discrimen potestatis inter apostolos, eamque propositionem hæreticam, atque schismaticam declaravit intellectam *de jurisdictione apostolica ordinaria, quæ in solo D. Petro subsistebat.* Consule Ballerinium *de potest. eccles. sum. Pontific. etc., cap. 1 §. 4 pag. 10 et seq., editione Augustæ Vindelic.* 1770.

§ V. Itaque omnes episcopi, qui suis præfecti sunt ecclesiis, seu membris, quæ omnia in unum collecta una catholica ecclesia continet, curare debent, ut particulares ecclesiæ, quas regunt, in unum confluant commune centrum atque uni capiti subjiciantur. Sic enim ecclesiæ unitas efficitur et conservatur, cum omnia membra unum caput agnoscunt et unum habent centrum, in quo conjunguntur.

§. VI. Commune hoc unitatis centrum et hoc omnium caput Christus Petrum constituit. Sed cum ipse vita fungi deberet, ecclesia autem usque ad consummationem sæculi esset futura, alius, eo mortuo, constituendus erat, qui ecclesiam universam regeret. Quis enim ovili perpetuo, cujusmodi ecclesiam suam Christus esse voluit, temporarium pastorem datum putet (1)? Itaque ad Petri successores transmissum est munus, et translata potestas, quod, et quæ Petro a Christo datum, dataque fuerat. Hi sunt Romani Pontifices, qui ipsum tenent in ecclesia locum, quem vivens tenuit Petrus; hoc est, locum capitis et capitis non otiosi, sed prædíti instructique potestate, quam habere debet caput ecclesiam regens.

(1) Vide Melchiorem Canum *de loc. theolog. lib.* 6 *cap.* 3.

§. VII. Non enim Christus hoc caput constituit, ut vacuum et inane nomen haberet, sed ut totius ecclesiæ unitatem custodiret. Ex quo efficitur, ut ei dederit omnem potestatem, qua opus est, ut suas impleat partes; cum dici nequeat, Christum alicui dedisse munus et non dedisse facultates, sine quibus munus ipsum exerceri non potest. Cujus rei consequens est, ut Primatus, quem Petrus ejusque successores a Christo acceperunt, non tantum honoris et dignitatis, sed etiam jurisdictionis esse debeat. Atque errant vehementer, qui cum ignorare non pos-

sint, primatus instituendi causam fuisse unitatem tot hominum et tot ecclesiarum, ex quibus una efficitur ecclesia catholica, aut nullum esse putant caput, per quod illa hominum et ecclesiarum multitudo conjungatur, aut caput fingunt inane et otiosum, sine vi et potestate, qua homines ad parendum cogat. Quemadmodum si quis exercitum conficeret sine imperatore, aut imperatorem daret, qui umbratile haberet nomen, vacuum potestate et imperio, cui milites pareant et per quod in officio contineantur.

§. VIII Cumque summus Pontifex omnes, quas una catholica ecclesia complectitur, diœceses, provincias, nationes cogere ad unitatem debeat, in omnes potestatem habeat necesse est. Ita ejus imperium, quod totam comprehendit ecclesiam, fertur in omnes patriarchas, primates, metropolitas, episcopos, quoniam si quis esset eorum non obnoxius huic potestati, is impune disrumpere posset unitatem, quæ a catholica ecclesia disjungi non potest. Atque hæc ecclesiasticæ hierarchiæ ratio est, ut christiani omnes episcopi metropolitis, metropolitæ primatibus ac patriarchis, cuncti demum Romano Pontifici subjiciantur. Episcopi, metropolitæ, primates, patriarchæ et omnium princeps summus Pontifex proprie efficiunt hierarchiam, quæ jurisdictionis appellatur.

§. IX. Reliqui magistratus creati sunt, ut auxilio essent episcopis, atque in eos derivata est pars jurisdictionis, quæ integra ad episcopum pertinet. Hinc instituti coadjutores, ut episcopo impedito opem ferrent, chorepiscopi, ut præessent oppidis diœcesis, vicarii, ut episcopi vices gererent, ceteri demum magistratus, quibus sub episcopo certa in populum potestas data est.

§. X. Quin etiam quibusdam clericis tributum est certum officium sine jurisdictione, quibusdam, præter officium, etiam honoris prærogativa, et hinc ortæ

dignitates, personatus, officia, quæ omnia generali beneficiorum nomine comprehenduntur. Adjunctam habent dignitatem ea beneficia, quorum rectores, præsertim in cathedralibus, aut in collegiatis ecclesiis, et quadam fruuntur honoris prærogativa, sive præeminentia et administratione, ac jurisdictione, ideoque tametsi cum reliquis canonicis corpus unum conficiant, ab iis tamen propter hanc administrationem, præeminentiam et jurisdictionem distinguuntur. Personatum habere dicuntur, ii, qui solam habent honoris prærogativam sine administratione et jurisdictione (1); officium denique, qui administrationem habent, carent præeminentia et jurisdictione.

(1) Personatus nomen primum in jure canonico adhibuisse Alexandrum III, illudque a Gallis sumpsisse tradit Cujacius *in tit. de præben. et dignit. tom.* 6 *col.* 962, *edit. Mutin. seu Venet.* 1778.

§. XI. Generatim statui non potest, quæ beneficia inter dignitates, quæ inter personatus, quæ inter officia sint referenda, cum unaquæque ecclesia suas habeat consuetudines, et quam dignitatem in una ecclesia obtinet archidiaconus, vel archipresbyter, in altera eam decanus, vel præpositus, vel primicerius obtineat. Itaque jurisdictio, præeminentia, munus, in omnibus ecclesiis dignitatem, personatum, officium facit. Nos de omnibus agemus clericis, qui in ecclesia vel munus habent, vel honoris gradum, vel jurisdictionem. Omnes enim referendi sunt ad hierarchiam jurisdictionis, quoniam omnes pertinent ad optimum ecclesiæ regimen, quo hierarchia spectat. Illud tamen inter clericos, qui jurisdictionem habent interque clericos, qui ea carent, discrimen est, quod hi tantum ministri sunt, illi vero sunt etiam, post episcopos, in ecclesiastica hierarchia magistratus.

SECTIO I.

De Summo Pontifice.

XII. Papæ nomen.
XIII. Primatus honoris et jurisdictionis.
XIV. Summus Pontifex fidei controversias ex cathedra definiens errare non potest.
XV ad XIX. Potestas et jura, quæ ex primatu descendunt.
XX. Primatus totius ecclesiæ adimi nequit Petri successoribus.
XXI. Potestas summi Pontificis episcopalis, metropolitica, patriarchica et potestas temporalis.

§. XII.

Ordiamur a summo Pontifice, cujus in ecclesiastica hierarchia supremus gradus et summa potestas est. Is vocatur Papa a græco verbo παππας latine *pater;* quod nomen initio proprium fuit omnium episcoporum (1); quin etiam sæpe ad minores quoque clericos translatum est (2). Sed jamdiu solus Romanus Pontifex eo nomine designatur (3); atque eum etiam Chalcedonensis concilii Patres *episcopum universalem* appellarunt. Verum hoc nomen, in quod arrogantia sedis Constantinopolitanæ audacter invaserat, recusavit S. Gregorius M. contentus modesto nomine *servi servorum Dei,* quo ipse primum uti cœpit (4), et quo nunc etiam summi Pontifices utuntur.

(1) Vide Thomassinum *veter. et nov. eccles. disciplin., par.* 1 *lib.* 1 *cap.* 4, *et lib.* 2 *cap.* 3 *num.* 17; Cennium *dissert.* 5 *tom.* 1 *pag.* 152 *seq., ed. Pistorii* 1778, et Mamachium *origin. et antiquit. christian. lib.* 4 *par.* 1 *cap.* 4 §. 9, *nota* 3 *et seq. tom.* 4 *pag.* 297 *et seq.*

(2) Consule Du-Cange *glossar. med. et infim. græc.* παππας et πρωτοπαππας; Mamachium *loc. cit. et not.* 3 *et seq.* Atque huc spectare videtur Walfridius Strabo *de rebus ecclesiastic. cap.* 7 *in biblioth. PP. tom.* 10 *col.* 667, *edit. Paris. an.* 1624. *Papa cujusdam paternitatis nomen est, et clericorum congruit dignitati.* Hinc qui modo archipresbyter, olim *protopapa* dicebatur, et Innocentius III *lib.* 15 *epist.* 60, *ad archiepisc. Theban. pag.* 263. *tom.* 2, *edit. Baluzii Paris.* 1662 parochiam appellat *papatum,* secundum usum et consuetudinem græcorum, a quibus omnis sacerdos *Papa* dicebatur. Diverso tamen modo, uti recte est a Mamachio observatum, *loc. cit. not.* 1, Græci flectunt vocem, cum Pontificem et sacerdotem Papam appellant.

(3) Jam inde a sæculo V summum Pontificem ob eminentem ejus dignitatem *Papam*, nullo alio addito, appellari cœpisse ostendit Thomassinus *veter. et nov. eccles. disciplin. par.* 1 *lib.* 1 *cap.* 50 *num.* 14. Sed ea de re vide Christianum Lupum *schol. in dictat. sancti Gregorii VII can.* 11 *tom.* 5 *opp. pag.* 215, *edit. Venet.* 1725, et Cajetanum Cennium *dissert.* 5 *inter ejus dissertationes italicas Pistorii editas an.* 1778 *tom.* 1 *pag.* 152 *et seq.*

(4) Joannes Diaconus *in vit. S. Gregor. lib.* 2 *cap.* 1 *tom.* 4 *opp. S. Gregorii col.* 45, *edit. Maurin. Paris.* 1705.

§. XIII. Est autem summus Pontifex jure divino ecclesiæ caput et centrum unitatis, Petri successor, Christi vicarius, omnium christianorum pater et doctor, atque habet in tota ecclesia primatum non dignitatis solum, sed etiam jurisdictionis (1). Quare Pontifex christianos omnes honore antecedit, atque in omnes jurisdictionem exercet, cum habeat *pascendi, regendi et gubernandi universalem ecclesiam..., plenam potestatem* (2).

(1) Concilium Florentinum *id definit, collect. Labbei, tom.* 18 *col.* 526 *et* 527, quod pridem etiam expresserat concil. Lugdunense II *in profess. fid. col.* 612 *tom.* 14 *eod. loc.* Testimonia celeberrima, quæ imprimis a patribus ex Evangelio afferuntur ad Petri ejusque successorum primatum ostendendum, et ad quæ cetera referri commode possunt, sunt apud Matthæum XVI, 18: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc*

petram ædificabo ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam; et tibi dabo claves regni cœlorum etc., apud Joannem XXI, 15 : *Pasce agnos meos, pasce oves meas;* apud Lucam XXII, 32: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Recte ajebat sanctus Bernardus ad Eugenium III *lib.* 2 *de considerat. cap.* 8 *col.* 428 *vol.* 1, *edit. Mabillonii Paris.* 1719. *Sunt quidem et alii cœli janitores et gregum pastores . . . . Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos: Tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed et pastorum tu unus omnium pastor. Unde id probem quæris? Ex verbo Domini. Cui enim non dico episcoporum, sed etiam apostolorum sic absolute et indiscrete totæ commissæ sunt oves?* Si me amas, Petre, pasce oves meas. *Quas? illius vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certi regni?* Oves meas, *inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. Et forte præsentes ceteri condiscipuli erant, cum committens uni, unitatem omnibus commendaret in uno grege et uno pastore. . . . Inde est, quod alii singuli singulas sortiti sunt plebes, scientes sacramentum. Denique Jacobus, qui videbatur columna ecclesiæ, contentus est Hierosolyma, Petro universitatem cedens.*

(2) Verba hæc sunt concilii Florentini *loc. cit.* Confer etiam concilium Lateranense IV *in decret.* 5 *de dignit. Patriarchar. tom.* 13 *Concil. col.* 937. Constantiense, a quo damnata est propositio 41 Joannis Wiclefi ajentis : *Non est de necessitate salutis credere Romanam ecclesiam esse supremam inter ecclesias, tom.* 16 *col.* 121, itemque propositio 9 Joannis Hus *col.* 249 *ib.;* consule præterea fidei professionem, quæ apud catholicos ubique gentium obtinet, quamque clerus Gallicanus a calumniis vindicat hæreticorum *tom.* 1 *Actor. cler. Gallican. pag.* 93 *seq., edit. Paris. an.* 1716, et expositionem fidei eidem clero probatam *ibid. pag.* 190. Videndæ etiam sunt Pii VI Pontificis Maximi litteræ gravitatis, dignitatis, veritatis auctoritatisque plenæ, quæ incipiunt *Super soliditate,* datæque sunt die 28 novembris anno 1786.

§. XIV. Multa hinc jura sunt, quibus potitur Romanus Pontifex, quia caput ecclesiæ est centrumque unitatis, quia primatum habet ordinis et jurisdictionis, quia regere et gubernare ecclesiam universam debet. Nimirum cum unitas ecclesiæ postulet ut una

sit omnium fidei, morum ac generalium capitum disciplinæ consensio, consequens est, ut hæc regi administrarique Romani Pontificis judicio et auctoritate debeat. Itaque earum rerum, quæ ad hæc cuncta pertinent, summus Pontifex ab omnibus certior est faciendus, quo spectat jus petendarum accipiendarumque relationum (1), ipseque de his rebus controversias judicat.

(1) *Hoc enim optimum*, inquiunt Sardicensis concilii Patres *in epist. synodic. ad Jul. I*, apud Labbeum *tom.* 2 *concil. col.* 690, *edit. Venet., et valde congruentissimum esse videbitur, si ad caput, id est ad Petri apostoli sedem de singulis quibuscumque provinciis Domini referant sacerdotes.* Consonant concilii Ephesini PP. *in relat. ad Cœlestin. P. act.* 5 *ejusd. concil. tom.* 3 *concil. Labbei col.* 1187, *edit. Venet. Coleti.* Sane primo ipso ecclesiæ sæculo Corinthii Clementem P. de eorum ecclesiæ statu certiorem fecerunt, ab eoque datæ sunt ad illos litteræ, quibus omnia considerata et provisa sunt, quæque exstant apud Cotelerium *PP. Apostolic. tom.* 1 *pag.* 143, *edit. Antverp.* 1698, et quas memorat Eusebius *histor. eccles. lib.* 5 *cap.* 6 *pag.* 187, *edit. Taurin.* 1746. Videndus idem Eusebius *lib.* 4 *cap.* 23 *pag.* 160, ubi ostendit, qua reverentia Corinthii tum ipsas Clementis, tum Soteris ejus successoris litteras acceperint, et *lib.* 5 *cap.* 3 *pag.* 188, ubi refert legationem II ecclesiæ sæculo missam a confessoribus Lugdunensibus ad Eleutherium Pontificem, pro ecclesiarum statu. Confer etiam epistolam Dionysii Alexandrini ad Sixtum II, apud Coustantium *Epist. Roman. Pontific. col.* 260; Julium I *epist.* 2 *num.* 22 *ibid. col.* 585; rescriptum Innocentii I *ad concil. Carthag. et ad concil. Milevit.* apud eumdem Labbeum *tom.* 3 *Concil. col.* 44 *et* 47; Cyrillum Alexandrinum *epist ad Cœlestin. P. par.* 1 *concil. Ephesin. cap.* 14 *col.* 889 *eod. tom.* 3; Bonifacium I *ad episc. Illyric. in collect. Romana Lucæ Holstenii par.* 1 *pag.* 69; Basilium *epist.* 69 *num.* 1 *opp. tom.* 3 *pag.* 162, *edit. Paris.* 1730; Hieronymum *epist.* 123 *num.* 10 *tom.* 1 *pag.* 901, *edit. Vallarsii Veronæ;* Augustinum *epist.* 186 *al.* 106 *ad Paulin. num.* 2 *pag.* 505 *seq. tom.* 2 *opp., edit. Antverp.* 1700; Leonem M. *epist.* 12 *ad Anastas. Thessalon. cap.* 11 *opp. tom.* 1 *col.* 690, *edit. Venet.* 1755. Mitto cetera testimonia, quæ collegit Mamachius *del diritto libero della Chiesa, lib.* 3 *par.* 2

cap. 3 *not.* 1 *pag.* 18 *et seq.*, et Auctor libri, cui titulus: *quis est Petrus*, editi Ratisbonæ an. 1791, *par.* 3 *coroll.* 2 *pag.* 192 *seq.*

§. XV. Atque in eo quidem judicio, quod Pontifex *ex cathedra* emittit, hoc est universalis magistri suscepta persona, in definiendis fidei controversiis errare non potest (1). Nam erroris expertem esse oportet, quem Christus ecclesiæ præposuit, ut christianos omnes cogat ad eamdem secum unitatem, præsertim in fide, adeo ut qui ab ejus doctrina discedit, hæreticus et schismaticus habeatur.

(1) Videndi Bellarminus *de Romano Pontifice lib.* 4 *cap.* 3 *et seq. tom.* 1 *opp. pag.* 594, *edit. Venet.* 1721; Melchior Canus *de loc. theolog. lib.* 6; Jacobus Hyacinth. Serry, *dissert.* 1 *de Roman. Pontific. falli et fallere nescio cap.* 1 *et seq.*; cardinalis Orsius *de irreformabili Romani Pontificis in definiendis fidei controversiis judicio;* Petrus Ballerinius *de vi ac ration. Primat. Roman. Pontific. cap.* 15 *pag.* 260 *et seq., edit. Augustæ Vindelic.* 1770; Veith *Richerii System. sect.* 2 §. 26 *pag.* 121; Mamachius *antiquit. Christian. tom.* 3 *par.* 1 *pag.* 93 *et seq. et pag.* 134 *et seq. et in lib. contra auctorem opuscul. quid est Papa? tom.* 1 *epist.* 1 *num.* 14 *pag.* 57 *et seq.*, et Cl. Vincentius Lupolus episcopus Telesiensis *Jur. Eccl. prælect. tom.* 2 *cap.* 2 §. 39 *in not.* Quando autem Pontifex aliquid ex cathedra definire, aut potius tamquam privatus doctor rem agere videatur, explicat Ballerinius *loc. cit., cap.* 15 §. 6 *pag.* 285.

§. XVI. Jurisdictionis et potestatis, quam summum Pontificem in universam ecclesiam habere diximus, multa sunt capita. Nimirum ipse leges ecclesiasticas condit, quibus universa ecclesia teneatur (1), conditas, cum opus est, relaxat (2), pœnis animadvertit in eos, qui legibus non obtemperant (3), judicat graviores causas ecclesiasticas (4), habetque jus appellationum (5). Cum enim recta earum ratio sit, ut ab inferiore judice ad superiorem provocetur, ac denique ad eum, ultra quem progredi judicium non

potest, facile intelligitur, in rebus ecclesiasticis appellandum demum esse summum Pontificem, qui omnium est princeps, et cujus judicium soli Deo subjicitur. Quod si in rebus civilibus semper postrema appellatio ad eum fertur, penes quem est summa earum rerum potestas, cur non etiam in rebus ecclesiasticis postrema hæc appellatio dabitur ad summum Pontificem, qui tamquam princeps, et caput ecclesiæ summam in his rebus potestatem habere debet?

(1) Initio Romani Pontifices, uti demonstratum supra est in *prolegom. cap.* 3 §. 35 *not.* 2 *et* 3, generales leges ut plurimum in concilio edere solebant, sed sæpe etiam mandata sua comprehendebant litteris, quibus omnes parere cogebantur. Plures sunt hujusmodi litteræ decretales, atque ex iis, ut omnes norunt, pars magna canonici juris conficitur. Dionysius Exiguus has decretales primus collegit sumpto initio a Siricio, sed tamen certum est, ab antiquioribus quoque Pontificibus datas fuisse similes litteras, quæ exstant apud Coustantium *epistol. Roman. Pontific.* Certe ipse Siricius *epist.* 1 *ad Himer. Tarraconen. cap.* 2 *col.* 625 *apud Coustantium loc. cit.*, memorat *missa ad provincias a venerandæ memoriæ prædecessore meo Liberio generalia decreta.* Atque illa Siricii epistola ad *Himerium*, qua sacerdotes et diaconi jussi sunt abstinere ab uxoribus, quas ante sacros ordines duxerant, quot in Hispaniis, uti observat Bianchius *della potestà e polizia della Chiesa lib.* 2 *cap.* 3 §. 5 *tom.* 4 *pag.* 458 *et seq.*, turbas excitare debuisset, quod tollebatur vetus consuetudo earum regionum, et civili reipublicæ damni aliquid inferri videbatur? Et tamen omnes Pontificiæ legi paruerunt, ac Siricii successor Innocentius I eamdem legem observari in Galliis voluit datis litteris ad Victricium Rothomagensem, et Exuperium Tolosanum apud Coustantium *loc. cit., col.* 745 *seq. et col.* 789 *seq.* Dubitari vero non potest, quin hæ litteræ vim legis habuerint, uti ostendit sanctio, seu pœna constituta in eos, qui his legibus non obtemperarent. Qua eadem sanctione munitæ sunt litteræ ceterorum Pontificum, uti patet ex Zosimo *epist.* 9 *ad Hesych. Salonit.;* Cœlestino *epist.* 5 *num.* 3, apud Coustantium *loc. cit. col.* 970 *et* 1074; Leone M. *epist.* 4 *cap.* 5 *opp. tom.* 1 *col.* 616, *edit. Ballerinii Venet.* 1755, aliisque compluribus, quos omittimus, ne longiores simus. Confer Zaccariam *anti-Febronio par.* 2 *lib.* 2

cap. 1 *et cap.* 2, et confer librum Romæ editum an. 1791, cui titulus: *Testimonianze delle Chiese di Francia ec. tom.* 1, *Istruz. Pastorale di M. Vescovo d'Amiens pag.* 25, 27, 31, 35, 43, 49, 67, 89.

(2) Ut relaxare quis possit legem, supra eam potestatem habeat necesse est. Hanc autem in leges ab universa ecclesia conditas non alius habere potest, quam qui ecclesiæ caput princepsque est, cujus in totam ecclesiam fertur jurisdictio. Atque hanc quidem potestatem propriam summi Pontificis agnovit ipsa synodus Basilcensis *in epist. Synod. num.* 5 apud Labbeum *concil. tom.* 17 *col.* 484 et agnovit ipse Dupinius *de antiquitat. Eccles. disciplin. dissert.* 4 *cap.* 2 §. 3. Sane plenæ sunt ecclesiasticæ historiæ dispensationum, quæ a sede Apostolica concessæ sunt. Paulo post initium IV sæculi Melchiades P. decretum edidit *de episcopis, qui quibuscumque locis, si duo essent ordinati, quos dissensio geminasset, is confirmaretur, qui fuisset ordinatus prior; alteri autem eorum plebs alia regenda provideretur;* et hanc quidem dispensationem laudat Augustinus *epist.* 43 *ad Glorium et Eleusium nu.* 16 *pag.* 72 *tom.* 2 *opp., edit. Antverp.* 1700. Eodem IV sæculo ad exitum vergente, Siricius *epist.* 1 *ad Himerium Tarraconen. num.* 19 apud Coustantium *epistol. Pontific. Roman. col.* 636, iis, qui ignorantes ad sacram militiam indebite irrepsissent, veniam dedit, ut in ordine, quem tenerent, perseverare possent; et initio V sæculi Anastasius I rogatu episcoporum Africæ, clericis, qui Donatistarum partes sequuti fuerant, ministrare permisit in ordinibus, quorum munera exercuerant, cum in ea secta versarentur. Confer codicem canonum ecclesiæ African. *cap.* 68, apud Justellum *Biblioth. Jur. can. tom.* 1 *pag.* 365, *edit. Paris.* 1661; Coustantium *loc. cit., col.* 733 *et* 734 et Thomassinum *veter. et nov. Eccles. disciplin. part.* 2 *lib.* 3 *cap.* 24. Illustris est etiam venia data a Simplicio Pontifice *epist.* 14 *ad Zenon.* apud Labbeum *tom.* 5 *concil. col.* 110, rogatu Zenonis imperatoris, qua firmata est ordinatio episcopi Antiocheni, qui contra Nicænos canones creatus fuerat. Synodus Romana IV apud Labbeum *tom.* 5 *Concil. col.* 509, *edit. Venet.*, quæ pluribus constabat tum Italiæ, tum aliarum provinciarum episcopis. mirifice approbavit testimonium, quod tulit Symmachus Pontifex de auctoritate sedis Apostolicæ concedendarum dispensationum, quæ temporum ratio postularet. Consule Thomassinum *veter. et nov. Eccles. disciplin. par.* 2 *lib.* 3 *cap.* 24; Natalem Alexandrum *Histor. eccles. V sæcul. cap.* 1 *art.* 8 *tom.* 5 *pag.* 8, *et de Photian. schismat. dissertat.* 4 §. 22

in fin. pag. 358 *tom.* 9, *editione Venet.* 1776; Mamachium *advers. auctor. opusc. quid est Papa? epist.* 3 §. 11 *tom.* 1 *pag.* 232, *edit. an.* 1787 et doctissimum Card. Gerdilium *Confutazione di due libelli contro il breve super soliditate tom.* 1 *pag.* 35-115 *seq., et tom.* 2 *pag.* 129, a quibus et alia dispensationum exempla referuntur.

(3) *Quæ enim*, inquit sanctus Cœlestinus P. *epist.* 5 *num.* 3 apud Coustantium *loc. cit. col.* 1074, *sola admonitionis auctoritate non corrigimus, necesse est per severitatem congruentem regulis vindicemus.* Nota sunt omnibus quæ contra quartodecimanos, contra rebaptizantes, contra alios Pontificiis legibus non parentes a Victore, Stephano ceterisque Pontificibus gesta sunt. Consule præterea, quæ superiore *not.* 1 diximus de pœna adversus eos constituta, qui Pontificiis legibus non parerent.

(4) Jus hoc, quo in qualibet societate potiri debet quisquis in ea supremum est caput et summam habet jurisdictionem, semper Romanos Pontifices exercuisse certum est, atque hinc ad sedem Apostolicam graviora quæque negotia semper referri consueverunt, ut de iis judicium ferret. *Si majores causæ*, inquit Innocentius 1 *epistol.* 2 *ad Victric. Rothomagen. cap.* 5 apud Coustantium *loc. cit. col.* 749, *in medium fuerint devolutæ, ad sedem Apostolicam, sicut synodus statuit et beata consuetudo exigit, post judicium episcopale referantur.* Sed dignus præsertim cura et observatu est Bonifacii I locus *epist.* 15, ubi statuitur, graviores causas statim, primoque judicio ad sedem Apostolicam esse deferendas, ac multis, ut ipse inquit *num.* 6 *col.* 1042 apud Coustantium, patere ostenditur *documentis maximas Orientalium ecclesias in magnis negotiis, in quibus opus esset disceptatione majore, sedem semper consuluisse Romanam et quoties usus exegit, ejus auxilium postulasse.* Eadem hæc sententia expressa est in capitularibus regum Francorum *capitular. Aquisgranen. ann.* 803 apud Baluzium *tom.* 1 *cap.* 4 *col.* 270, *edit. Venet.* 1772, ubi de gravioribus quibusdam rebus ecclesiasticis visum est *Apostolicam sedem consulere, jubente canonica auctoritate, atque dicente: Si majores causæ in medium fuerint devolutæ, ad sedem Apostolicam, ut sancta synodus statuit et beata consuetudo exigit*, incunctanter *referantur.* Confer etiam Zosimum *epist. ad episc. Galliæ* apud eumdem Coustantium *col.* 938; Sixtum III *epist.* 8 *ad synod. Thessalon. col.* 1263 *eod. loc.*; Leonem M. *epist.* 5, 6, 13, 14, *tom.* 1 *col.* 519, 622, 678, 685, *edit. Ballerin.* Atque hi omnes, cum de hoc jure loquuntur, semper

illud antiqua consuetudine receptum ostendunt, ut proinde risum moveant, qui etiam ad hoc jus sedis Apostolicæ pertrahunt Isidorianas decretales, quæ multo postea prodierunt. Quin? Aliarum insignium Orientalium sedium hac in re prærogativam quis ignorat? Antiochenæ sedi, quæ S. Petrum habuit auctorem, hoc jus in toto Oriente ejusdem sedis antistiti Alexandro asseruit Innocentius I *epist.* 24 *num.* 1 apud Coustantium *col.* 852. *Ut sicut metropolitanos auctoritate ordinas singulari, sic et ceteros non sine permissu conscientiaque tua sinas episcopos procurari.* Et rationem post pauca addit: *quo enim te maxima expectat* (hoc est ut explicat Coustantius *ad te pertinet*) *cura, præcipue tuum debent mereri judicium.* Quid dicam de episcopo Constantinopolitano, postquam in eam civitatem imperii sedes translata est? Socrates *histor. ecclesiast. lib.* 7 *cap.* 28 *pag.* 317, *edit. Taurin.* 1747 legem memorat, *qua sancitum est, ne præter sententiam episcopi Constantinopolitani ulla fiat sacerdotis* (id est episcopi) *ordinatio.* Exstat quoque Theodosii lex ad Philippum præfectum prætorio Illyrici *L.* 45 *Cod. Theodos. de episc. et cleric.*, qua cautum est, ut Illyricanis provinciis *si quid dubietatis emerserit, id oporteat non absque scientia viri reverendissimi sacrosanctæ legis antistitis urbis Constantinopolitanæ, quæ Romæ veteris prærogativa lætatur, conventui sacerdotali sanctoque judicio reservari.* Profecto si hoc privilegium concessum est episcopo Constantinopolitano, quod ea urbs *Romæ veteris prærogativa lætatur*, potiori jure dici debet affixum Romanæ urbis episcopo, ut in causis gravioribus nihil sine ejus scientia et consensu fieret. Ea lex revocata quidem deinceps fuit; sed cum fuerit e medio sublata, ne jura summi Pontificis aliquid caperent detrimenti, manifestum est eadem jura, quæ ut integra servarentur, lex illa abrogata fuit, in episcoporum aliisque gravioribus causis confirmata fuisse.

(5) Jus appellationum, inquit Natalis Alexander *histor. eccles. sæcul.* 4 *dissert.* 28 *de jur. appellationum etc.*, *tom.* 4 *pag.* 462, *edit. Venet. an.* 1776, *est appendix Primatus S. Petro, et ejus successoribus a Christo collati, non est a synodo Sardicensi, aut quavis alia institutum.* Revera complurima sunt exempla appellationum, quæ ante synodum Sardicensem ad sedem Apostolicam delatæ sunt. Videnda in primis est dissertatio Romæ edita anno 1768 *de appellationibus ad Romanum Pontificem* et Joannis Marchetti dissertatio item Romæ edita an. 1783 *Del concilio di Sardica, e de' suoi canoni sù la forma dé giudizj ecclesiastici.* Verum de appellationibus ad sedem Apostolicam agam copiose *lib. III.*

§. XVII. Ipse etiam superioris jurisdictione solvit, quos solvendos judicat (1), plenarias indulgentias largitur (2), generale concilium indicit, eique præsidet vel per se, vel per legatos suos, atque ejus decreta confirmat (3). Quis enim omnes vocabit episcopos, et eorum cœtui præsidebit et constituta confirmabit, nisi qui omnium est caput, qui omnes in unum commune centrum unitatis conjungit, et sine quo neque episcopi universam ecclesiam repræsentare, neque eorum decreta ecclesiæ universæ decreta haberi possunt?

(1) Consule sanctum Bernardum *de considerat. lib.* 3 *cap.* 4 *num.* 14 *opp. tom.* 2 *pag.* 192, *edit. Venet.* 1765 et vide etiam Natalem Alexandrum *histor. sæcul.* 11 *et* 12 *cap.* 7 *art.* 8 *pag.* 155 *tom.* 7 *cit., edit. Venet. et dissertat.* 12 *de Sacr. synod. Tridentin. art.* 16 *schol.* 15 *tom.* 9 *pag.* 584. Verum ea de re alius erit agendi locus.

(2) Concilium Lateranense IV *cap.* 62 apud Labbeum *tom.* 15 *Concil. col.* 999, *edit. Venet.*, Constantiense in bulla Martini V *Inter cunctas ibid. tom.* 16 *col.* 762, sanctus Thomas *supplem.* 3 *par. quæst.* 26 *art.* 3.

(3) Confer quæ supra diximus *in prolegom. cap.* 3 §. 38 *not.* 1, 2, 3.

§. XVIII. Et quoniam summo Pontifici non solum ovium, sed etiam pastorum gubernatio totiusque ecclesiæ procuratio commissa est, curam etiam et sollicitudinem habere debet episcoporum, qui particulares ecclesias regunt. Quare ipse creat (1) ac transfert episcopos (2), eorumque arctat et constringit potestatem, quam obnoxiam habet (3), eosdem propter crimina episcopatu dejicit (4), atque etiam restituit (5), episcopatus constituit (6), et plures in unum conjungit, aut unum distrahit in plures (7), cum alterutrum postulat ecclesiæ utilitas, cujus sollicitudo summo Pontifici incumbit.

(1) A Sixto Pontifice septem in Galliis episcopos constitutos fuisse narrat Gregorius Turonensis *Hist. Franc. lib.* 1 *cap.* 28 *col.* 23, *edit. Paris.* 1699, *et tom.* 2 *Rerum Gallic. et Francic. Mart. Bouquet, Paris.* 1739 *pag.* 147, ab eodem Pontifice *primum in Rhemensem metropolim directum* fuisse Sixtum scribit Hincmarus Rhemensis *Opusc.* 33 *cap.* 16 *pag.* 431 *tom.* 2, *edit. Paris.* 1615. Primus Scotorum episcopus Palladius, eoque vita functo Patritius a Cœlestino P. creatus est, Prosper *in Chronic. col.* 744, *edit. Paris.* 1711, Beda *lib.* 1 *Hist. gen. Angl. cap.* 14 *pag.* 55, *edit. Cantabr.* 1643, Marianus Scotus *lib.* 2 *ætat.* 6 *ad ann.* 432. Alia multa ea de re monumenta habes apud Joannem Diaconum *in vit. S. Gregorii M. lib.* 3 *cap.* 7 *opp. Gregor. tom.* 4 *col.* 86 *edit. Maurin. Paris.* 1705, et apud Optatum Milevitan. *contra Paris.* 1676, quem in locum vide Albaspin. *in not.* Mitto cetera, ne nimius videar. Concilium Tridentinum *sess.* 25 *can.* 8 : *Si quis,* inquit, *dixerit, episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos et veros episcopos.... anathema sit.* Itaque si a concilio tamquam catholicum dogma definitum est, veros ac legitimos esse episcopos, qui a summo Pontifice creati sunt, facile intelligitur, legitimam esse Pontifici creandorum episcoporum potestatem, sine qua illi veri ac legitimi episcopi haberi non possunt. Confer Hallierium *de sacr. elect. par.* 3 *lib.* 1 *sess.* 5 *cap.* 4 §. 1 *num.* 18, *et art.* 3 §. 6 *num.* 45 *et* 55; Bertium *de theolog. disciplin. lib.* 36 *cap.* 13 *num.* 8; et doctissimum cardinalem Gerdilium *Confutazione di due libelli diretti contro il breve super soliditate, tom.* 1 *pag.* 12 *et seq.*

(2) *Cap.* 2 *de translat. episc.* Hic etiam injusti osores sedis Apostolicæ in scenam revocant Isidorianas decretales, quasi per eas tantum summi Pontifices jus transferendi episcopos obtinuerint. Ut mittam Febronium, Eybelium, ceteros hujusmodi, id audacter prædicat Dominicus Cavallarius in *Institut. canon. par.* 1 *cap.* 22 §. 6. Sed hi omnes vehementer errant; nam multo ante, quam Isidori collectio prodiret, Bonifacius I, uti constat ex ejus *epist.* 4 *et* 15 apud Coustantium *col.* 1019 *et* 1039, rogatus a Corinthiis Perigenis translationem permisit; itemque auctoritate Cœlestini I, uti narrat Socrates *Histor. eccles. lib.* 7 *cap.* 4 *par.* 590, *edit. cit.*, Proclus Cyzici episcopus ad Constantinopolitanam ecclesiam translatus est. Quin etiam cum Barchinonenses vehementer cuperent suæ civitatis episcopum habere Irenæum, qui jam in ejus diœcesis municipio episcopatum obtinebat, preces ea de re dederunt ad Tarraconensem episcopum provinciæ metropolitam. Is habita synodo probavit

desiderium Barchinonensium, eaque de re litteras dedit ad Hilarium Pontificem, ut permitteret translationem, quam provincialis synodi auctoritate fieri non posse sentiebat. Pontifex, re diligenter expensa, probare noluit hanc translationem, et ideo facta non est, quamquam ejus magnum esset desiderium Barchinonensium et magna voluntas synodi Tarraconensis. Illustre etiam episcopalis translationis exemplum est in S. Gregorii M. *epist.* 79 *lib.* 1 *col.* 563 *tom.* 2, *edit. Maurin. Paris.* 1705, per quam a summo Pontifice Martinus a Tainatensi ecclesia ad Sanonensem translatus fuit. Neque certe fieri secus potest, quoniam opus est auctoritate summi Pontificis, a quo relaxentur leges ecclesiasticæ, quibus vetitæ sunt episcoporum translationes tollaturque vinculum, quo episcopus suæ ecclesiæ alligatur. Quin ex capitularibus regum Francorum constat, reges ipsos a summo Pontifice veniam postulasse, ut penes se episcopum retinere possent; adeo certum habebatur, etiam ante editas Isidorianas decretales, sine venia sedis Apostolicæ episcopum deserere non potuisse ecclesiam, cui addictus est. Nam in capitulari Francofurtensi *anni* 794, apud Baluzium *cap.* 53 *tom.* 1 *col.* 159 habentur hæc: *Dixit etiam Dominus Rex in eadem synodo, ut a sede Apostolica, id est ab Hadriano Pontifice, licentiam habuisset, ut Angilrammum archiepiscopum in suo palatio assidue haberet propter utilitates ecclesiasticas.* Quod etiam habet epistola 40 Codicis Carolini *pag.* 226 *tom.* 1, *edit. Cenni Romæ* 1760, qua Paulus I summus Pontifex Pipino regi facultatem tribuit apud se retinendi Georgium episcopum et Petrum presbyterum.

(3) Audiatur ea de re Gersonius, qui certe nimii studii in sedem Apostolicam suspectus videri non potest, *de stat. eccles. consider.* 3, *de stat. præl. pag.* 552 *tom.* 2, *edit. Antverp.* 1706, *Status*, inquit, *prælationis episcopalis habuit in apostolis, et in successoribus usum, vel exercitium suæ potestatis sub Papa Petro, et in successoribus ejus, tamquam sub habente, vel habentibus plenitudinem fontalem episcopalis auctoritatis. Unde et quoad talia minores prælati, scilicet curati, subsunt episcopis, a quibus usus suæ potestatis quandoque limitatur, vel arcetur; et sic a Papa posse fieri circa prælatos majores ex certis et rationabilibus causis, non est ambigendum.* Confer Ballerinium *de potest. eccles. summ. Pontif. etc. cap.* 1 §. 5 *pag.* 16 *seqq., edit. Augustæ Vindelic.* 1770, et Cl. Cardinalem Gerdilium *Confutazione di due libelli ec. tom.* 1 *pag.* 25 *et seq., et tom.* 2 *pag.* 77.

(4) Secundo ecclesiæ sæculo Victor Pontifex, cum Asianos

episcopos, qui Judæorum more ipsa luna 14 pascha celebrabant, sacris interdicere vellet, ejus potestatem agnovit atque probavit S. Irenæus, uti patet ex fragmento *ejus epistol. ad Victo. pag.* 340 *opp., edit. Massueti Paris.* 1710, licet de impetranda a summo Pontifice pro iis venia magnopere laboraret. Vide Eusebium *histor. eccles. lib.* 5 *cap.* 24 *pag.* 245, *edit. Valesii Cantabrig.* 1720. Eadem pœna S. Stephanus rebaptizantes plectere volebat, neque umquam hanc potestatem summi Pontificis in discrimen revocavit S. Cyprianus, quamquam ipse potissimum contra Stephanum illam rebaptizantium opinionem tueretur. Quin ipse Cyprianus eamdem potestatem agnovit *ep.* 68 *pag.* 291., *edit. Amstelod.*, ubi rogat Stephanum P. his verbis: *Dirigantur in provinciam et ad plebem Arelate consistentem a te litteræ, quibus abstento Marciano alius in locum ejus substituatur.* Paulo ante quam illa Stephanus gereret contra rebaptizantes, S. Cornelius P. eadem potestate usus est contra Novatianum, uti patet ex ejus *epist.* 9 *ad Fabium Antiochenum* apud Coustantium *epist. Roman. Pontif. col.* 145 *et seq.* Pertinent hæc ad II et III ecclesiæ sæculum. Quarto autem sæculo Julius I graviter objurgavit Eusebianos, quod S. Athanasius in Antiocheno conciliabulo de episcopatu dimotus fuerat, quod sine auctoritate sedis Apostolicæ fieri non poterat. *An ignoratis,* inquit, epist. 1 apud Coustantium *num.* 22 *col.* 386, *hanc esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur et hinc quod justum est decernatur?* Quam consuetudinem ab Julio memoratam ne quis ad solam Alexandrinam ecclesiam referendam putet, faciunt Socrates *Hist. eccles. lib.* 2 *cap.* 17 *pag.* 96 et Sozomenus *lib.* 3. *cap.* 8 *et* 10 *pag.* 102 *et* 105, *edit. Valesii Cantabrigiæ* 1720, qui illud quod Julius proponit, generali ecclesiæ canone receptum ostendunt. Ad hoc idem sæculum spectat depositio Timothei episcopi Beryti, quam Romæ absolvit S. Damasus et quam cum postulassent Orientales, ignari eorum quæ jam ipse gesserat, respondit *epis.* 14 *num.* 3 *col.* 574, apud Coustantium: *Quid igitur depositionem Timothei a me denuo postulatis, qui et hic judicio sedis Apostolicæ, præsente etiam Petro Alexandrinæ urbis episcopo, depositus est una cum magistro suo Apollinario?* Præclarum etiam hujus Pontificiæ potestatis monumentum occurrit V sæculo, in depositione Nestorii patriarchæ Constantinopolitani, quem S. Cœlestinus ab episcopatu ejiciendum pronunciavit. *Nisi intra decem dies ab hujus conventionis die numerandos pravas prædicationes suas scripta professione condemnaret,* uti loquitur ipse Cœlestinus *in epist.* 11 *ad Cy-*

villum Alexan. num. 4 col. 1106, apud Coustantium. Sæculo VI Agapetus Antinum deposuit, ejusque loco Mennam patriarcham Constantinopolitanum constituit, de qua quidem re ita loquitur Natalis Alexander *histor. sæc. VI cap.* 2 *art.* 7 *pag.* 344 *tom.* 5, *edit. Venet.* 1776. *Primatum gloriosius exercere non potuit Romanus Pontifex, quam Constantinopolitanum patriarcham hæreticum exauctorando et in ejus locum alium ordinando, idque nulla synodo convocata.* Vide epistolam synodicam concilii Tricassini ad Nicolaum I P. *tom.* 10 *Concil. Labbei col.* 378 *et* 379, *edit. Venet. Coleti*, epistolam 3 Simplicii P. *ibid. tom.* 5 *col.* 96, S. Bernardum *epist.* 239 *ad Eugen. opp. tom.* 1 *pag.* 102, *edit. Venet.* 1765.

(5) Longum esset omnia colligere exempla episcoporum, quos gradu motos sedes Apostolica omni ætate restituit; pauca tantum indicabo, ex quibus de hoc jure certissimo summorum Pontificum facile est judicare. S. Cyprianus *epist.* 68 *pag.* 114, *edit. Rigaltii Paris.* 1666, de Basilide justas ob causas deposito agens, *Romam pergens*, inquit, *Stephanum collegam nostrum longe positum et gestæ rei ac veritatis ignarum fefellit, ut exambiret, reponi se injustè in episcopatum, de quo fuerat jure depositus.* Ergo restituendi potestatem in Stephano Pontifice agnovit. Sæculo consequenti Eustachius Sebastenus episcopus cum in concilio Miletensi Arianorum depositus fuisset, provocavit ad Liberium Pontificem, cujus sententia sedi suæ restitutus fuit, uti testatur S. Basilius *epist.* 263 *num.* 3 *pag.* 406 *tom.* 3 *opp., editione Maurin. Paris.* 1730, oblatisque litteris ejusdem Pontificis susceptus est a patribus concilii Tyanensis, quamvis antea hæreseos Arianæ suspectus fuisset. *Quænam autem*, inquit S. Basilius, *sint illi a beatissimo episcopo Liberio proposita et ad quæ consenserit, nobis clam est, nisi quod epistolam attulit, quæ eum restituebat, eaque ostensa concilio Tyanensi, in suum locum restitutus est.* Quin etiam cum ipse Eustachius deinceps in errores iterum lapsus fuisset, omnes episcopi diœceseos Ponticæ, in Tyanensi synodo congregati, eum damnare ausi non sunt, nisi primum de ejus crimine certiorem facerent summum Pontificem, ab eoque facultatem impetrarent, uti constat ex epistola Basilii, cujus nunc mentionem feci. Ac tanti quidem ipse Basilius faciebat litteras summi Pontificis, ut eas *principatus tesseras* appellaret, sicuti patet ex ejus vita, *cap.* 10 *num.* 5 *tom.* 3 *opp. pag.* 72, *edit. Paris.* 1730. S. Joannes Chrysostomus non solum a synodi judicio, a quo e gradu dejectus fuerat, ad Innocentium P. provocavit, sed etiam suas proposuit querelas adversus Theophilum patriarcham Alexandrinum ceterosque episcopos, a

quibus injuriam acceperat, rogavitque Pontificem *in epist.* apud Palladium *in ejus vita opp. Chrysostom. tom* 13 *pag.* 9, *edit. Montfauconii Paris.* 1738. his verbis : *Rogo ut per epistolas denuntietis ea, quæ tam inique acta sunt ab una parte, absentibus nobis et non declinantibus judicium, nullum habere robur, sicut ex sua natura nullum habent, et ut qui talia ausi sunt ecclesiasticarum legum pœnis subjiciantur. Nos igitur, qui nec convicti, nec reprehensi sumus, nec rei demonstrati litteris vestris frui date et charitate vestra ceterisque omnibus, ut antea.* Qua in controversia etiam Theophilus, qui omnes illas contra Chrysostomum turbas excitaverat, ad Innocentium provocavit, datis litteris, *Quibus lectis,* uti narrat Palladius *loc. cit. pag.* 4, *beatus Papa Innocentius parum abfuit, quin temeritatem Theophili, atque superbiam condemnans exhorresceret, quod et solus scripsisset, nec claram ejus notitiam misisset, aut cur , aut quibus assumptis negotiis Joannem deposuisset.* Pontifex Chrysostomum restituit, uti ostendit Palladius *loc. cit. pag.* 9 *seq.*, neque Alexandrum Antiochenum patriarcham, et Acacium Berœensem episcopum apostolicæ communionis participes fecit, nisi primum *omnibus esset conditionibus satisfactum in causa beati et vere Deo digni Joannis,* uti ipse loquitur in *epist.* 19 *ad Alexandrum Antioch. num.* 1 *col.* 845 apud Coustantium. Pertinet etiam ad hunc locum restitutio Theodoriti episcopi Cyri, quam S. Leo M. fecit, uti patet ex ejus *epist.* 120, ad ipsum Theodoritum *tom.* 1 *opp. col.* 1218 *edit. Ballerin.*, quæque etiam concilio Chalcedonensi probata est, *act.* 8 *tom.* 4 *col.* 1525 *collect. Labbei;* Hadriani episcopi Thebani , quam S. Gregorius M. absolvit, uti constat *ex ejus epist.* 6 *lib.* 2 *ad Joan. epist. col* 627 *tom.* 2, *edit. Maurin. Paris.* 1705, et quæ omnium, quas commemoravi, antiquissima est, restitutio S. Athanasii, de qua late agitur *in dissertatione Romæ edita an.* 1768 *de appellationibus ad Romanum Pontificem.*

(6) Confer Innocentium I *epist.* 25 *ad Decent. Eugubin. num.* 2 apud Coustantium *epist. Roman. Pontificum col.* 850, et Gregorium M. *lib.* 2 *epist.* 14 *col.* 578 *tom.* 2 *opp.*, *edit. Maurin. Paris.* 1705; et confer etiam Zaccariam *in Antifebronio par.* 2 *lib.* 1 *cap.* 7 *tom.* 3 ubi multa et præclara ea de re exempla colliguntur.

(7) Vide S. Leonem M. *epist.* 66 *ad episc. metropol. Arelat. cap.* 2 *opp. tom.* 1 *col.* 999, *editione Ballerin. Venet.* 1755, et S. Gregorium M. *lib.* 1 *epist.* 8 *ad Bacaudum Formien. episc. tom.* 7 *opp.*, *edit. Venet. anno* 1779 *pag.* 12 *lib.* 2 *epist.* 45,

ad Benenatum episc. pag. 142 *epist.* 50 *ad Joan. episc., pag.* 150 *lib.* 3 *epist.* 20 *ad Gratiosum episc., pag.* 178 *lib.* 6 *epist.* 10 *ad Bonifacium episc., pag.* 357 *lib.* 4 *epist.* 29 *ad Januar. episc., pag.* 256 *et seq.*, qui quidem Minturnensem diœcesim Formiensi, Misenatem Cumanæ, Trium Tabernarum Velitranæ, S. Anthemianam Nomentanæ, Carinensem Rhegiensi junxit, Phausanianam autem a Calaritana divulsit. Recte igitur, vereque scripsit Urbanus II *epist.* 4 *ad Rainoldum Rhemensem tom.* 12 *concil. collec. Labbei col.* 741 apostolicæ sedis esse *episcopatus conjungere, conjunctos disjungere, aut etiam novos construere.*

§. XIX. Sunt et alia Pontificiæ potestatis capita, quæ omnia pertinent ad amplam illam jurisdictionem, qua ubique fruitur summus Pontifex, atque ad curam et sollicitudinem, quam habere debet, ecclesiæ universæ. Ea sunt, ut breviarium et missale Romanum corrigat ac mutet (1), ut regulares ordines approbet atque confirmet, eosdemque etiam justis de causis e medio tollat (2), ut insignes pietate viros albo beatorum vel sanctorum adscribat (3), ut propter amplam, quam habet in tota ecclesia, jurisdictionem, ubique terrarum pontificalia exercere solus possit (4). Cetera, quæ ad summum Pontificem pertinent, suis locis opportunius explicabimus.

(1) Olim unusquisque episcopus suæ diœcesis liturgiam moderabatur, quæ tamen a catholicæ ecclesiæ doctrina non discreparet. Atque hinc orta est diversitas illa cæremoniarum et precum, quæ occurrit in liturgiis SS. Basilii, Chrysostomi, Ambrosii, de quibus agit cardinalis Bona *rer. liturg. lib.* 1 *cap.* 6 *tom.* 1 *pag.* 90 *et seq., edit. Taurin. anno* 1747. Sed denique utilitas concordium precum et illa, quæ ex crebra rerum mutatione oriebantur, incommoda fecerunt, ut S. Pius V *in const. Quo primum* 147, *pag.* 116 *tom.* 4 *par.* 3 *Bullar. edit. Mainardi* in divinis officiis, sacrisque peragendis ab omnibus servari voluerit ordinem ecclesiæ Romanæ, quæ aliarum mater et magistra est.

(2) Honorius III SS. Dominici et Francisci ordines confirmavit, quo quidem facto evidenter ostendit, jus esse Ro-

mani Pontificis novos ordines non instituere solum, sed etiam confirmare. Concilium Lugdunense II œcumenicum *can.* 23 apud Labbeum *concil. tom.* 14 *col.* 555, *edit. Venet.* sanxit, ut ordines post concilium Lateranense instituti, nec tamen a sede Apostolica confirmati supprimerentur. Itaque synodus novorum confirmandorum ordinum in summo Pontifice potestatem agnovit. Pergit eadem synodus *loc. cit.*, jubetque consistere ordines post Lateranense concilium institutos, atque ab Apostolica sede confirmatos.

(3) Alexander II sedi Apostolicæ reservavit potestatem referendi in sanctorum numerum eos, qui heroica virtute claruissent. Ambigi vero non potest, quin hæc reservatio jure et merito facta fuerit; et synodus quidem Constantiensis, *sess.* 20 *col.* 385 *tom.* 16 *concil. Labbei*, id jus concilio œcumenico et Pontifici adscribit. Revera si vetus est regula, quod majores causæ ad Apostolicæ sedis judicium deferantur, uti demonstratum supra est, si Romani Pontifices pro suprema potestate sibi in ecclesia universa tradita causas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare, ut inquit synodus Tridentina *sess.* 14 *cap.* 7 *de pœnitent.*, quis neget eos sibi reservare potuisse causam de *canonizatione* sanctorum, quæ gravissima per se est, et ad virtutem celebrandam, atque ad rem christianam cunctam pertinet? Jam inde a sæculo V, vel certe non multo post, acta Martyrum ad summum Pontificem *ex more* mitti consuevisse testatur Mabillonius *Acta SS. ordin. S. Benedict. præfat. in sæc. V num.* 93 *pag.* 46 *edit. Venet.: Ut vel ab eo auctoritatem acciperent, vel ut in Romano scrinio asservarentur, vel denique ut in sacris Romanæ ecclesiæ dyptichis Martyres locum obtinerent.* Atque ita quidem scribit Mabillonius, quoniam se in veteri codice legisse tradit: *Gesta B. Martyris, ut moris erat, urbis Romæ episcopo transmissa fuisse, ut sacris Martyrum memorialibus inderentur etc.* Ex quo intelligitur, jam inde ab eo tempore acta Martyrum *sacris memorialibus* rite *indi* non potuisse, nisi, *ut moris erat*, ad Pontificem transmissa, ab eoque iisdem *memorialibus* indita fuissent. Videndus ipse Mabillonius *loc. cit. num.* 101 *pag.* 52 *seqq.*, qui plures refert a Romanis Pontificibus inter sanctos relatos. Confer etiam Benedictum XIV *de beatific. et canonizat. lib.* 1 *cap.* 10 *et* 11, et Mamachium *in Auctor. opusc. Quid est Papa? epist.* 3 §. 13 *pag.* 264 *et seq.*

(4) Sexcenta hujus generis tum antiqua, tum recentia momumenta afferre possem, sed operis brevitas impedimento est. Unum afferam ex Joanne P. I, qui initio sæculi VI die Do-

minico Resurrectionis in ecclesia Constantinopolitana latino ritu pontificalia exercuit. Confer pagium *in Baronium ad an.* 525 *num.* 4 *pag.* 340 *tom.* 9, *edit. Lucæ cit.*, et Card. Orsium *Istor. ecclesiast. lib.* 39 *num.* 23.

§. XX. Atque ea, quæ diximus, jura sunt Romani Pontificis in tota ecclesia, quoniam in totam diffunditur primatus, quem ipse habet tamquam Petri successor, quique a Romana sede disjungi non potest. Cum enim Christus primatum attribuerit Petro, atque iis, qui Petro in episcopatu succederent, cumque ipse sedem posuerit Romæ, ubi mortuus est, sequitur, ut tantum Romani Pontifices Petri successores sint. Quare primatus adimi Romanis episcopis, atque in alium episcopum transferri non potest, quoniam si transferretur, hic non esset Petri successor; at vero nonnisi Petri successores, voluntate institutioneque Dei, ecclesiæ principatum habere debent (1).

(1) Cum Petrus, ut inquit Benedictus XIV *Synod. diœces. lib.* 2 *cap.* 1 *num.* 1, Romæ sedem constituerit, eamque usque ad mortem retinuerit, *sive id evenerit ex divino præcepto, seu expressa revelatione ipsi Petro specialiter a Deo facta, sive ex sola voluntate Petri, licet divinitus inspirata; inde factum est, ut supremi Pontificatus prærogativa ita insita remanserit Romanæ sedi, ut qui in hac Petro succedit, necessario succedat in totius ecclesiæ primatu, Petro ejusque legitimis successoribus a Christo collato.* Confer, præter eumdem Benedictum, Ballerinium *Vindic. auctor. Pontific. etc. cap.* 8 §. 2 *pag.* 225 *et seq. Augustæ Vindelic.* 1770; Mamachium *ad auctor. opusc. Quid est Papa? epist.* 6 *num.* 2 *pag.* 63 *et seq.*; Dissertationem Augustoduni editam an. 1782 cui titulus: *epistola Sillasipi a lapide in causa, an summus Pontificatus a Romana ecclesia avelli et alio transferri possit?* Bolgenium *L'episcopato, ossio della potestà di governare la Chiesa par.* 1 *cap.* 3 *num.* 29 *ad* 40 *pag.* 59 *et seq.*, et doctissimum Card. Gerdilium *Confutazione di due libelli etc., tom.* 1 *pag.* 175 *et tom.* 2 *pag.* 73, 80, 82, *et* 190. Primus autem Photius vir schismaticus, uti animadvertit ipse Cardinalis Gerdilius *loc. cit. tom.* 2 *pag.* 81, totius ecclesiæ primatum ex cathedra antiquæ Romæ ad sedem novæ Romæ transferri posse

putavit, quem errorem, antea conclusum in regione schismaticorum, integravit Wicleffus propositione illa, quam synodus Constantiensis damnavit: *Non est de necessitate salutis credere Romanam ecclesiam esse supremam inter alias ecclesias.*

§. XXI. Sed summus Pontifex est etiam episcopus urbis Romæ, archiepiscopus, et metropolita Romanæ provinciæ (1), primas Italiæ, patriarcha Occidentis. Nec prætereunda potestas *temporalis*, sive *politica*, quam habet in tota ditione ecclesiastica, more principum ceterorum, qui summo potiuntur imperio. Potestas hæc sive repetatur ex consensu populorum, sive ex principum donationibus, sive ex diuturna præscriptione, sive etiam ex onerosis contractibus, tam justum porro est, tamque legitimum pontificium imperium, ut nemini potiora jura esse possint (2).

(1) Jus metropoliticum summi Pontificis ultra centesimum ab urbe lapidem producendum negant Jacobus Gothofredus et Claudius Salmasius, quoniam hoc locorum intervallo contineri putant *suburbicarias ecclesias, quarum solicitudinem gerere* Pontificem, ex *can.* 6 *Nicæno* inquit Rufinus *histor. lib.* 10 *cap.* 6, *int. auctor. Histor. eccles. pagina* 221 *Basileæ* 1528. Sed longe ampliores hujus metropolitici juris fines esse, demonstrat Sirmondus tribus, quos adversus Gothofredum et Salmasium evulgavit, libris, quorum primus inscribitur *Censura conjecturæ anonymi scriptoris de suburbicariis regionibus et ecclesiis;* alter *adventoria causidico Divionensi adversus amici ad amicum epistolam, de suburbicariis regionibus et ecclesiis, cum censura conjecturæ alterius anonymi;* tertius *Propemptikum.* Confer Bianchium *della potestà e della Polizia della Chiesa lib.* 2 *cap.* 1 §. 16 et Benedictum XIV *de Synod. diæces. lib.* 2 *cap.* 2, qui jus metropoliticum summi Pontificis explicat copiose et diligenter. Non tamen iisdem terminis Romana provincia omni ætate definita est, cum eam lapsu temporum ipsi Romani Pontifices, novis constitutis sedibus Metropolitanis, imminuerint. Innocentius III *in can.* 5 *de Offic. vicar.* Romanam provinciam inter Capuanam et Pisanam sitam dixit. Sed aliæ deinceps a summis Pontificibus factæ sunt ejus provinciæ distractiones et ideo quamquam ea nunc etiam posita dicatur inter Capuanam Pisanamque provinciam, secundum

Innocentii decretalem, tamen revera conficitur ex illis tantum episcopis, qui inter utramque illam provinciam sedent, ac nulli archiepiscopo subjecti sunt.

(2) Vide Card. Orsium *del dominio temporale dei Papi* et *monumenta dominationis Pontificiæ, sive codicem Carolinum* editum a Cennio Romæ 1760.

SECTIO II.

De Cardinalibus et Legatis.

XXII ad XXIV. Cardinalium nomen, origo, dignitates.
XXV. Cardinales episcopi, presbyteri, diaconi.
XXVI. Eorum insignia et numerus.
XXVII. Officium.
XXVIII. Jura et privilegia.
XXIX. Legati apostolici.
XXX. Legati a *latere*.
XXXI. Legati *missi*.
XXXII. Legati *nati*.

§. XXII.

Explicandæ exercendæque potestatis causa Pontifex habet curiam et senatum. Curiam conficiunt ministri, quorum alii suo funguntur munere in dataria, alii in cancellaria, alii in foro judiciario (1). Senatum autem constituunt cardinales, quo nomine appellantur *coadjutores et collaterales* (2) summi Pontificis, quorum est eum consilio juvare in ecclesiæ regimine et administratione (3). Hoc nimirum munus est semperque fuit Romanorum cardinalium; quo probe stabilito et fixo, de vera hujus amplissimæ dignitatis origine non obscurum, neque incertum judicium est (4).

(1) Vide Card. de Luca *Relatio Romanæ curiæ.*

(2) Ita cardinales vocat S. Bernardus ad Eugenium III *de consider. lib. 4 cap. 4 col. 444 vol. 1, edit. Paris.* 1719 *et epist.* 237 *col.* 233 inquit, cardinalium esse opem ferre Pontifici in regimine ecclesiæ universæ.

(3) *C.* 17 *de elect. in* 6*; concil. Trident. sess.* 25 *de reform. cap.* 1 *in fin.*

(4) Confer Cennium apud Catalanum *in præfat. ad annal. Muratorii tom.* 5 *par.* 1 *pag.* 33, *edit. Romæ et præfat. ad ejusdem dissertationes tom.* 3 *part.* 1 *pag.* 14 *et in not. ad disser.* 61 *pag.* 3 *et* 15, *tom.* 3 *pag.* 2*;* Santinellium *in disser. della dignità del cardinalato inter opuscula Angeli Calogerà. tom.* 26 *pag.* 397*;* Cardin. Bromatum *dissert. dell' antica preeminenza del cardinalato;* Cohellium *Notit. cardinal.;* Platum *de cardin. dignit. et offic., cap.* 2 §. 1 *ad* 3 *pag.* 23 *Romæ* 1758 et Josephum Tamagnam *origine e prerogative dei cardinali.*

§. XXIII. Omnes ecclesiæ suum semper habuere senatum, et presbyterium conflatum ex presbyteris et diaconis (1), quorum consilio episcopus in regenda diœcesi utebatur. Itaque et ecclesia Romana semper habuit senatum suum (2), quique cum conficiunt semper præstare debuerunt senatibus ceterarum ecclesiarum, uti his ecclesiis præstat Romana, cujus illi *nobilissimæ partes et præcipua membra sunt* (3). Non igitur quod cardinalium nomen reliquis quoque ecclesiis esset commune (4), consequens est, ut idem esset gradus eademque dignitas cardinalium, qui Romanæ et qui aliarum ecclesiarum senatum constituebant.

(1) S. Ignatius Martyr, qui I ecclesiæ sæculo florebat, in omnibus fere epistolis, quæ exstant apud Cotelerium *PP. Apostol. tom.* 2, *edit. Amstelodami* 1724, commendat obsequium et reverentiam erga senatum presbyterorum, cum quo diaconos etiam memorat et qui una cum episcopo suæ ecclesiæ regimini præerat. *Episcopo*, inquit *epist. ad Philadelp. num.* 7 *pag.* 146, *intendite, et presbyteris et diaconis. Et epist. ad Smyrn. num.* 8 *pag.* 148 *Episcopum*, ait, *sequimini, sicut Jesus Christus Patrem; presbyteros sicut apostolos, diaconos autem veneramini sicut mandato Dei ministrantes.* Vide etiam ejusdem Ignatii *epist. ad Magnesianos num.* 6 *pag.* 55 *et ad Trallianos num.* 7 *pag.* 63 dicit hæc: *Qui vero foris est, hic is est, qui sine episcopo, presbyteris et diaconis, quidpiam agit.* Hinc sæpe occurrunt litteræ datæ *ad presbyteros et diaconos*, hoc est ad senatum ecclesiæ. Confer *epist. Cypriani ad Cornelium* apud

Coustantium *c.* 131 et confer can. 24 concilii Antiocheni *an.* 341, apud Labbeum *tom.* 2 *col.* 595, *edit. Venet.*, ubi statuitur quod *manifesta sint, quæ ad ecclesiam pertinent cum cognitione presbyterorum et diaconorum, qui sunt circa eum,* hoc est episcopum.

(2) *Omni igitur actu ad me perlato,* inquit Cornelius P. *epist.* 6 *ad Cypr. num.* 2. *c.* 136, *placuit contrahi presbyterium.*

(3) Vide Sixti V *Const.* 76 *tom.* 4 *par.* 4 *pag.* 279 *Bullar.*

(4) Cardinales appellati videntur a *cardinibus,* quia nimirum fixi et immobiles essent tamquam cardines, et circa eos ecclesiæ, veluti valvæ circa cardines, volverentur. Omnes igitur, qui certæ ecclesiæ erant addicti, sive *incardinati,* ut ei semper vel præessent, vel servirent, cardinales dicebantur; iis oppositi, qui certo tantum tempore ecclesiam regebant, vel ei tamquam auxiliares addicebantur. Ita Gelasius P. *can.* 3 *dist.* 24, Episcopum *cardinalem* opponit episcopo *visitatori,* qui scilicet tamquam visitator ad tempus ecclesiam curare, non ei perpetuo addictus esse debebat. Gregorius M. pluries memorat episcopos et presbyteros cardinales, quos describit tamquam addictos certæ ecclesiæ, in qua officium suum explicare debebant. Romani correctores in *can.* 5 *dist.* 71 censent eum, qui de una ad alteram ecclesiam transferebatur, sive episcopum, sive presbyterum, sive diaconum, in priori ecclesia *ordinatum,* in altera *incardinatum* a Gregorio dici consuevisse. Quo sensu idem Pontifex *can.* 5 *c.* 21 *q.* 1. Agnellum Fundorum episcopum, ab hostibus vastata ejus civitate, cardinalem episcopum Terracinæ constituit, Petro hujus civitatis episcopo vita functo. *lib.* 1 *epist.* 83 *ad Januarium episcopum Calaritanum opp. tom.* 11 *col.* 556, *edit. Paris.* 1705 scribens, *Liberatus,* inquit, *qui diaconi fungi perhibetur officio, si a decessore tuo non est factus Cardinalis, ordinatis a te diaconibus nulla debet ratione præponi.* A Romanis correctoribus dissentire videtur Jo. Diaconus *in vit. S. Gregorii M. lib.* 3 *cap.* 6, *opp. S. Gregor. tom.* 4 *col.* 88 *edit. cit.*, cum inquit *cardinales violenter in parochiis* ordinatos *forensibus, in pristinum* cardinem *Gregorius revocabat.* Cum cardinis nomen primæ etiam ecclesiæ tribuat Joannes, manifestum est, tam in altera, quam in prima ecclesia cardinalem ordinari consuevisse, atque ætate Gregorii latius, quam correctores putarint, *cardinandi* vocabulum patuisse. Certe et clerici, qui semper serviebant ecclesiæ, cui primum in ordinatione adscripti fuerant, cardinales dicebantur. Sed canonici præsertim ecclesiæ cathedralis, qui inter ceteros clericos præcipuum et nobiliorem tenebant locum, medio ævo *cardinales* appella-

bantur, quod multis datis monumentis ostendit Tamagna *origine, e prerogative de' cardinali par. 1 cap. 3.* Atque hiquidem eo vocabantur nomine præsertim, quod addicti essent *cardini*, hoc est episcopo et ecclesiæ cathedrali, quæ proprie *cardo* dicebatur. *Vincentius archipresbyter cardinis* occurrit in vetusto codice ecclesiæ Lucencis an. 904, apud Muratorium *antiquit. med. ævi tom. 6. col. 407*; apud Campium *Histor. eccles. Placent. pag. 450, Andreas diaconus cardinis S. Placentinæ ecclesiæ.* Mitto cetera, ne sim prolixitate molestior. Ex quibus intelligitur, ecclesias omnes suos habuisse cardinales, quo nomine comprehendebantur, qui propius episcopo adhærebant, erantque addicti ecclesiæ cathedrali, ac principem inter ceteros clericos locum obtinebant. At quod non Romanæ solum, sed aliis etiam ecclesiis commune fuerit cardinalium nomen, non inde effici potest, quod Romanorum ceterorumque cardinalium idem munus, eademque dignitas fuerit; quemadmodum nemo summum Pontificem ceteris episcopis parem faciat, quod olim cuncti Papæ dicebantur. Illi enim erant sacerdotes, aut diaconi et canonici particularium ecclesiarum, et erant consiliarii episcopi in gubernio ecclesiæ suæ; sed Romani cardinales semper opem tulerunt summo Pontifici in regimine ecclesiæ universæ. Decet diligenter attendere ad officium et dignitatem Romanorum cardinalium, ne quis nominis similitudine in errorem raptus, eos cum cardinalibus aliarum ecclesiarum comparandos putet, quod multi faciunt, atque eorum exemplo facit Dominicus Cavallarius *Inst. Jur. canon. par. 1 cap. 12.* De nomine cardinalis videndus Muratorius *dissertazioni sopra le antichità Italiane dissert. 61 tom. 3 par. 2 pag. 3, edit. Romæ 1755*, qui tamen errat vehementer, sicuti *in notis* animadvertit Cennius, cum inter Romanos ceterosque cardinales nullum olim discrimen fuisse contendit; et videndus in primis Tamagna *loc. cit.* Illud mihi certum exploratumque est, veram haberi non posse opinionem illorum, qui cardinales eosdem omnino ac parochos fuisse sentiunt. Nam Parochi certe non erant canonici, qui cardinales dicebantur; præterea cardinales in civitate fuisse constat, verum nullos in ea parochos (si Romanam et Alexandrinam urbem excipimus, ubi peculiaris consuetudo obtinuit) ante annum millesimum extitisse, cum episcopus una cum suo clero omnia tunc parochialia munera gereret, perspicue demonstrat Marius Lupus Bergomensis *de parochiis ante annum Christi millesimum.*

§. XXIV. Erat quidem Romanorum cardinalium

officium, ut præessent locis sacris, hoc est titulis, quos S. Evaristus Pontifex in variis urbis regionibus constituerat (1), quoniam nimia populi multitudo per unum regi et curari difficile poterat, ideoque et aliis opus erat ecclesiis, in quibus christiani convenirent, ut sacros agerent conventus, atque a sacerdotibus sacramenta perciperent (2). Sed quod ii, præter hoc ipsum officium, etiam Pontifici opem ferebant in regimine ecclesiæ universæ, dum contra reliqui cardinales tantum curam cum episcopo gerebant peculiaris ecclesiæ suæ, certe presbyteris reliquarum ecclesiarum quam maxime præstare debuerunt. Hinc dignitate sunt antelati ipsis episcopis (3), in quos, vacua sede Apostolica, auctoritatem exercuerunt (4); hinc non tantum, ut ceteri, nomen acceperunt ab ecclesiis, quibus erant *incardinati*, sed etiam, idque potissimum, ab ecclesia Romana, cui erant addicti, quæque *cardo* est, centrumque et caput omnium ecclesiarum (5); hinc demum nunc ceteræ fere ecclesiæ deseruerunt hoc nomen, quo designatur amplissima dignitas eorum, ex quibus summi Pontificis senatus efficitur.

(1) Confer, qui ea de re graviter copioseque disputat, cardinalem Nicolaum Antonellium *in dissert. de Titulis, quos S. Evaristus Romanis presbyteris distribuit;* et vide etiam Jo. Laurentii Bertii de eodem argumento dissertationem *de' titoli distributi da S. Evaristo Papa ai Petri di Roma*, quæ prima est inter dissertationes italicas collectas a Francisco Antonio Zaccaria, *tom.* 6 *pag.* 1 *seqq., edit. Rom.* 1794.

(2) Romani cardinales in suis titulis non tantum sacerdotalem potestatem exercebant, verum etiam quædam gerebant munera, quæ tunc ab episcopis gerebantur, uti rectissime animadvertit cardinalis Antonellius *loco mox indicato.*

(3) Vide indicatam dissertationem Caroli Bromati, et vide canonem concilii Romani *can.* 5 *dist.* 79, ex quo patet, plures fuisse episcopos, qui Romanæ ecclesiæ cardinales fieri cupiebant, adeo ut contra ipsos pœnam etiam indicere oportuerit.

(4) Vacua sede Apostolica propter obitum Fabiani Pontificis,

presbyteri et diaconi ecclesiæ Romanæ, qui unius anni spatio toti ecclesiæ præfuerunt, gravissimas dederunt litteras ad S. Cyprianum atque ad clerum Carthaginensem, et Cyprianus *epist.* 15 *et* 22 *pag.* 22 *et* 24, *edit. Rigaltii Paris.* 1666, eorum quæ gesserat ratione reddita, diligenter ipsorum agnovit probavitque potestatem. *Quæ litteræ* presbyterorum et diaconorum, hoc est cardinalium ecclesiæ Romanæ, ut testatur Cornelius P. *ep.* 10 *num.* 5 apud Coustantium, *epist. Rom. Pontific. col.* 161, *per totum mundum missæ sunt, et in notitiam ecclesiis omnibus et fratribus perlatæ sunt.* Audiendus de his cleri Romani litteris ipse Coustantius *loc. cit. Et sapientiam quidem,* inquit, *spirant primo ecclesiæ clero dignam. Is nempe nimio potestatis suæ studio minime percitus, episcopos vicinos ac remotos, qui Romæ aderant, secum vocare, eorumque concilio uti non dedignatur.*

(5) Leo IV in oratione habita ad synodum Romanam *an.* 855 *tom.* 9 *col.* 1135 *collect. Labbei, edit. Venet.: Anastasius,* inquit, *presbyter cardinis nostri, quem nos in titulo B. Marcelli Martyris atque Pontificis ordinavimus.* Hic porro Anastasius incardinatus erat *titulo B. Marcelli,* et tamen dicitur *presbyter cardinis nostri,* quia nimirum non tantum præerat *titulo S. Marcelli,* sed etiam erat cardinalis scilicet propius adhærens Romano Pontifici, cardini et capiti ecclesiæ universæ. Eodem modo Hadrianus II, cum legatos in Gallias mitteret, eorum alterum *epist.* 23 *et* 24 apud Labbeum *tom.* 10 *concil. col.* 429 *et* 430, appellat *religiosum presbyterum cardinis nostri;* et Joannes VIII ad Angelbergam Augustam scribens *epist.* 83, apud Labbeum *tom.* 1 *col.* 66 ad eam mittit litteras *per latorem Petrum cardinis nostri presbyterum.* Merito igitur Leo IX *epist.* 1 *cap.* 22, apud Labbeum *tom.* 11 *col.* 1337.: *Sicut cardine,* inquit, *totum regitur ostium, ita Petro et successoribus ejus totius ecclesiæ disponitur emolumentum..... Unde clerici ejus cardinales dicuntur; cardini utique illi, quo cetera moventur, vicinius adhærentes.* Et concilium Basileense *sess.* 23 *cap.* 4 *tom.* 17 *collect. ejusd. col.* 329, eos vult institui cardinales, *qui sicut nomine, ita re ipsa cardines sint, super quos ostia universalis versentur et sustententur ecclesiæ.* Ex his autem omnibus, quæ diximus, facile intelligitur, quantum a vero aberraverint, qui serius ortam putant Rom. cardinalium dignitatem, quorum e numero sunt etiam eruditi monachi congregationis S. Mauri *in S. Gregor. M. lib.* 1 *epist.* 15 *ad Balbinum tom.* 2 *col.* 501, *ed. Paris.* 1705.

§. XXV. Initio non alii erant Romæ, quam presbyteri et diaconi cardinales. Accesserunt postea vici-

niores episcopi, qui cardinales dicti sunt, posteaquam Lateranensi Basilicæ adscripti fuerunt, quique suo non desunt muneri episcopatus, licet Romæ commorentur, ut summo Pontifici opem præbeant in regimine ecclesiæ universæ. Hi olim erant septem numero; nempe Ostiensis Veliterno conjunctus, Portuensis, Albanus, Prænestinus, Sabinus, Tusculanus et Sanctæ Rufinæ, seu Silvæ Candidæ; sed episcopatu sanctæ Rufinæ cum Portuensi conjuncto, sex hodie recensentur (1).

(1) De episcopis cardinalibus suburbicariis videndus Andreuccius *hierarch. eccles. tract.* 3, et videndi sunt etiam Panvinius, qui late agit *de episcopatibus, titulis, diaconiis cardinalium*, et Tamagna *loc. cit. cap.* 4 *art.* 3.

§. XXVI. Ornarunt plurimum cardinales Innocentius IV et Paulus II (1), quorum alter dedit rubrum galerum, alter rubrum pannum, quo equitantes sternerent equos, aliaque honoris insignia, quæ primum cardinalibus ex clero sæculari data sunt, deinceps Gregorius XIV (2) etiam regularibus rubrum pileum attribuit. Denique Urbanus VIII eos titulo *eminentissimi* honestavit. Incertus olim et varius eorum numerus fuit (3); nunc septuaginta esse debent, quem numerum definivit Sixtus V, exemplo septuaginta Seniorum, quos secum assumpsit Moyses (4), atque ex iis quinquaginta oportet esse presbyteros, diaconos quatuordecim, episcopos sex, ex vicinioribus, uti diximus, episcopatibus.

(1) Confer Thomassinum *Vet. et nov. eccl. disciplin., par.* 1 *lib.* 2 *c.* 115 *num.* 7, et Michaëlem Canensium *in vita Pauli II* editam a cardinali Quirino.

(2) *Constit. Sanctissimus* 22 *pag.* 276 *tom.* 5 *par.* 1 *Bullar.*

(3) Vide ea de re Thomassinum *loc. cit. cap.* 114 *num.* 15, et Platum *de Cardinalis dignit. et offic. cap.* 2 §. 5 *pag.* 38 *et seq.*, ibique Triam *in notis, edit. Romæ* 1758.

(4) *Constit. Postquam verus* 76 *tom.* 4 *par.* 4 *pag.* 279 *Bullar.*

§. XXVII. Solus Pontifex creat cardinales. Eorum munus est, uti diximus, consilio juvare Pontificem pro bono christianæ reipublicæ, ecclesiam regere, donec ipsa illo caret, suffragium ferre in electione, quæ ab ipsis tantum perficitur, summi Pontificis (1), quod jus non habent cardinales, nisi diaconatus ordinem acceperint, aut eam facultatem nominatim a Pontifice impetraverint. Suum vero munus explent cardinales aut in consistorio (2) coram summo Pontifice, aut in congregationibus, qui cœtus sunt cardinalium a Pontificibus instituti ad certa negotia curanda, discutienda ac definienda. Harum singulis singuli præficiuntur cardinales, excepta congregatione inquisitionis, cujus summus Pontifex sibi servat præfecturam. Earum aliæ sunt ordinariæ, quæ scilicet perpetuo sunt addictæ certis negotiis expediendis, aliæ extraordinariæ, quæ pro certis rebus præter consuetudinem indici solent, quibus absolutis dissolvuntur.

(1) Videsis Mamachium *ad Auctor. opus. Quid est Papa? epist. 7 num. 4 tom. 2 pag. 112 et seq.*

(2) Consistorii nomen in re civili significat principum senatum; sed hodie eo nomine comprehenditur consessus cardinalium, qui in urbe sunt, coram summo Pontifice. Consistorium vel secretum est, vel publicum; secreto cardinales cum Pontifice intersunt, ad publicum aliis etiam aditus patet.

§. XXVIII. Habent autem cardinales in suis titulis amplam jurisdictionem in iis, quæ ad earum ecclesiarum servitium pertinent (1); et *incompatibilia* retinent beneficia, quæ decent eorum dignitatem (2), et testamentum condunt per privatam syngraphan, missis testibus, quos Jus civile desiderat (3): denique eorum *familiarium*, ut vocant, beneficia quis impetrare non potest, nisi ipsorum consensus accedat (4).

(1) Innocentius XII *Constit. Romanus Pontifex* 32 §. 9 *pag.* 275 *tom.* 9 *Bullar.*, per quam constitutionem, uti monet Pitonius *de Controv. patron. alleg.* 41 *num.* 31, nunc certum est, cardinales in suis titulis non habere jurisdictionem quasi episcopalem. Vide Giraldum *expos. jur. Pontif.* 1 *tit.* 33 *sect.* 197, *pag.* 115 *et* 126 *tom.* 1, ubi etiam explicatur jurisdictio, quam cardinales titulares habent in ecclesiis regularibus.

(2) Sixtus V *Const.* 123 *pag.* 417 *tom.* 4 *p.* 4 *Bullar.*

(3) Card. de Luca *de Testam. disc.* 1 *num.* 2.

(4) Vide *Regulam* 32 *Cancellar.*, ibique Rigantium.

§. XXIX. Serviunt etiam Romano Pontifici legati, quorum est in provinciis et regnis illius vices sustinere. Scilicet cum summo Pontifici cura sit a Christo commissa, gubernatioque ecclesiæ universæ, ipse vero adesse ubique non possit, in locis, a quibus abest, partes suas per legatos implere debet (1). Itaque jus mittendi legatos in Pontificio primatu penitus affixum atque insitum est, et ideo Romani Pontifices semper apud Christianos principes suos legatos (2), et eos quidem jurisdictione præditos (3) habuerunt.

(1) Constat, inter omnes catholicos jus mittendi legatos ad principes annexum esse Primatui, quem ubique habet summus Pontifex, et cujus gratia curam ac sollicitudinem habere debet ecclesiæ universæ. Id fatentur, atque ex ipsa primatus ratione, et natura repetunt scriptores sedi Apostolicæ infensi Febronius *de Stat. ecclesiast. par.* 1 §. 268 *et* 269, Dalham *in Dis. præv. ad concil. Salisburgen.* §. 12 *pag.* 17 *col.* 1. Ceterum totum hoc argumentum ita graviter, accurate, solide, copiose tractavit SANCTISSIMUS D. N. P. PIUS VI, in opere Romæ edito, cui titulus: *Responsio ad metropolitanos Moguntinum, Trevirensem, Coloniensem et Salisburgensem super nunciaturis apostolicis*, ut nihil amplius prorsusque nihil sit, quod in hoc argumenti genere desiderari possit.

(2) Primus S. Leo M. fuisse videtur, a quo apud imperatorem stabilis ac perpetuus constitutus est, sedis Apostolicæ legatus, qui totius ecclesiæ negotia procuraret, uti patet ex ejus *epist.* 111 *ad Marcian. epist.* 112 *ad Pulcher. Aug. et epist.* 113 *ad Julian. epist. Coens. opp., tom.* 1 *col.* 1187, 1189, 1190,

edit. Ballerin. Venet. 1755. Atque hi quidem *responsales*, sive *apocrisiarii* dicebantur, quibus antiquiores sunt vicarii apostolici, qui similiter legati erant, quos summi Pontifices in regnis atque provinciis constituebant, et quibus graviora committebant negotia, quæ ad judicium sedis Apostolicæ pertinebant. S. Innocentius I *prædecessores* suos, ut ipse inquit, *apostolicos imitatus*, Anysium Thessalonicensem episcopum vicarium, seu legatum suum constituit; eique causas omnes commisit, quæ per totum Illyricum orirentur, uti patet ex ejus *epist.* 1 *ad ipsum Anysium* apud Coustantium *col.* 756. Quod idem munus ipse Innocentius ac Bonifacius contulerunt in Rufum similiter Thessalonicensem episcopum, Innocentius *epist.* 13 *ad Rufum col.* 815 et Bonifacius *epist.* 4 *ad eumdem col.* 1019 *loc. cit.*; Sixtus III in Anastasium *ep.* 8 *ad Synod. Thessalon. col.* 1263 *loc. indic.*; Zosimus pro causis Galliarum in episcopum Arelatensem *epist.* 5 *et* 6 *ad Hilarium episcopum col.* 959 *et* 960 *eod. loc.*; Gregorius M. pro causis Siciliæ in episcopum Syracusanum *lib.* 2 *epist.* 7 *ad Maximian. episc. Syracusan. tom.* 2 *col.* 573, *edit. Maurin. Paris.* 1705; Simplicius et Hormisdas in Zenonem atque in Sallustinum pro causis Bœticæ et Lusitaniæ; in alios denique ceteri Pontifices, de quibus omnibus copiosissime gravissimeque agit PIUS VI, *cit. oper. cap.* 8 *sect.* 2 *et seq. pag.* 183 *et seq.*

(3) Qua de causa S. Leo M. Julianum Coensem episcopum suum apud Marcianum imperatorem legatum constituerit, et qua eum potestate præditum esse voluerit, ostendit ipse Leo *cit. epist.* 111. *Vicem ipsi meam*, inquit, *contra temporis nostri hæreticos delegavi, atque propter ecclesiarum pacisque custodiam, ut a comitatu vestro non abesset, exegi, et cit. epist.* 113 *ad Julian. Studeat ergo*, ait, *dilectio tua, frater carissime, piam et necessariam curam sollicitudini Apostolicæ sedis impendere..... ut divino fultus auxilio speculari de Constantinopolitanæ urbis opportunitate non desinas.* Sed clarius et luculentius Leone antiquior S. Innocentius I se Rufum Thessalonicensem episcopum vicarium apostolicum constituere declarat, exemplo Pauli qui *Tito, quæ curet apud Cretam, Timotheo quæ per Asiam disponat*, commisit *loc. cit. col.* 816. Hoc exemplo fretus Innocentius explicat jurisdictionem quam apostolico vicario committit: *Ut cum aliqua ecclesiastica ratio vel in tua, vel in memoratis provinciis agitanda cognoscendaque fuerit, quos velis episcoporum socios quibuscumque de ecclesiis assumas tecum, quorum et fide et moderatione quidquid necessitas, causave flagitaverit, optimus dirigas arbiter et præcipuus quippe a nobis electus, definias*

intercessor. Tum addit: *Nam voluntatem hanc nostram per unamquamque provinciam satis, ut decebat, manifestavimus. Ib. c.* 817. Innocentii vestigiis insistens S. Gregorius M. *epist.* 54 *Univers. episc. Galliar. qui sub regno Childeberti sunt, lib.* 5 *opp. tom.* 11 *col.* 785, *edit. Paris.* 1705, Apostolico vicario Virgilio episcopo Arelatensi amplam tribuit auctoritatem, ejusque officia discribit, quæ sunt, ut sedulo de fidei integritate servanda laboret; ut *si inter fratres consacerdotesque nostros aliqua evenerit forte contentio, auctoritatis suæ vigore, vicibus nempe sedis Apostolicæ functus, discreta moderatione compescat;* ut si qua oriatur controversia, quæ aliorum etiam præsentiam ac judicium postulet, *congregatis sibi in numero competenti fratribus et coepiscopis nostris salubriter hoc, servata æquitate, discutiat et canonica integritate definiat;* ut denique si qua sit causa gravior, quæ sedis Apostolicæ judicium requirat, vicarius rem totam cognoscere debeat, ac *relatione sua ad nostram studeat perducere notionem, quatenus a nobis valeat congrua sine dubio sententia terminari.* An jurisdictio apostolico vicario concessa clarius explicari potuisset? Hujus quoque juris sedis Apostolicæ præclarum exhibet testimonium Joannes VIII *epist.* 73. *Nobili viro Lamberto* apud Labbeum *Concil. tom.* 2 *col.* 60*: Porro quia dixistis, quod sine consensu tuo legationes nusquam mittere deberemus, ususque hic non fuerit, nec litteris legitur, nec a quoquam superstite umquam fuisse reminiscitur factum: et ideo sedes Apostolica libera semper existens liberam ubique suam mittit legationem, habens Domini auctoritatem dicentis: Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Paucis hæc attigi, quæ multo uberius, gravius, accuratius pertractantur *in laud. opere* PII VI *cap.* 8 *sect.* 3 *et seq., num.* 46 *et seq., pag.* 205 *et seq.*

§. XXX. Sunt autem legati vel *a latere,* vel *missi* vel *nati.* Legati *a latere* sunt cardinales, quos summus Pontifex quasi ex suo dimissos latere, cui semper adhærere censentur, aut ad supremos principes, aut in ditionis ecclesiasticæ provincias mittit. Hi supra ceteros legatos eminent, et eorum in provinciam adventu silet aliorum legatorum potestas (1). Utuntur apostolicis insignibus (2), absolvunt excommunicatos propter violationem clericorum (3), et amplissima

fruuntur potestate, quam describunt litteræ apostolicæ, per quas legationis munus accipiunt (4).

(1) *Cap.* 8 *de Offic. legati.*
(2) *Cap.* 23 *de Privileg.*
(3) *Cap.* 9 *de Offic. legat.*
(4) Vide Platum *de Cardin. dignit. et Offic.* c. 22 *et* Giraldum *exposit. Jur. Pontific. pa.* 1 *tit.* 20 *sect.* 170 *pag.* 101 *et seq.*, legatorum potestas late explicatur.

§. XXXI. Sunt etiam legati *missi* non ex cardinalium collegio et *nuntii* vocantur, quos sedes Apostolica mittit ad supremos principes, quique in provinciis et regnis, ubi legationis munere funguntur, explicant Pontificiam jurisdictionem. Eorum potestas definitur litteris, quibus ipsis a summo Pontifice officium commissum est, neque legato misso adhibetur fides, nisi is primum litteras ipsas protulerit (1).

(1) *Can. ult. dist.* 97.

§. XXXII. Sunt denique legati *nati*, quorum dignitati conjunctum est legationis officium, ita ut legati fiant, statim ac dignitatem consequuntur. Eo jure fruuntur episcopi Cantuariensis et Eboracensis in Angila, Remensis, Bituricensis et Lugdunensis in Gallia, in Hispania Toletanus et Bracarensis, in Germania Salisburgensis, in Italia Pisanus.

SECTIO III.

De Patriarchis, Primatibus, Metropolitis.

XXXIII. Origo et nomen Patriarcharum.
XXXIV. Divisio Orientis et Occidentis inter majores patriarchas.
XXXV. Nunc patriarchæ Orientales tantum titulares sunt.
XXXVI. Patriarcharum jus et potestas.
XXXVII. Patriarchæ minores.
XXXVIII. Primates.
XXXIX. Metropolitæ et eorum origo.
XL et XLI. Eorum jurisdictio.
XLII. Pallium.
XLIII ad XLV. Ejus usus et auctoritas.

§. XXXIII.

Episcopis ordine pares, jurisdictione tamen et imperio superiores sunt etiam patriarchæ, primates, metropolitæ. Patriarchas quasi *Patrum principes* interpretatur Isidorus (1) et jus quidem patriarchicum Nicæno concilio antiquius est (2). Sed ejus nominis prima mentio occurrit in concilio Chalcedonensi (3), illudque primum singulari quadam ratione summo Pontifici, deinceps etiam Alexandrino, Antiocheno, postque Hierosolymitano, aliisque nonnullis Exarchis imitatione quadam tributum est (4).

(1) *Can.* 1 *dist.* 21. Videndus Svicerus ad verb. πατριαρχης, ubi ea de re disputatur.

(2) Concilium Nicænum *can.* 6 *tom.* 2 *col.* 1733 *collect. Labbei*, cujus hæc verba sunt : *Antiqui mores serventur, qui sunt in Ægypto, Lybia et Pentapoli, ut Alexandrinus episcopus horum omnium habeat potestatem, quandoquidem et episcopo Romano hoc est consuetum. Similiter et in Antiochia et in aliis provinciis sua privilegia, ac suæ dignitates et auctoritates ecclesiis serventur.* Verba *antiqui mores serventur,* satis clare os-

tendunt, jus patriarchicum, quod habebant episcopi Romanus, Alexandrinus, Anthiochenus, ante concilium Nicænum fuisse institutum. Nimirum tres hasce sedes, non tantum quod essent locatæ in principibus Romani imperii civitatibus, sed etiam, idque potissimum, quod a D. Petro originem repeterent, semper ecclesiæ patres præcipuo quodam honore sunt prosequutæ. Quæ cum ratio sit patriarchici juris tribus illis sedibus affixi, haud sane a vero aberrare videntur, qui in summa primam ejus originem ab ipsis apostolis repetunt. Vide Thomassinum *Vet. et nov. eccles. discipl. par.* 1 *lib.* 1 *cap.* 7 *et* 8 *tom.* 1, et Jo. Antonium Bianchium *della Postestà et della polizia della Chiesa lib.* 2 *cap.* 1 *pag.* 4 *et seq. tom.* 4. Scio equidem quanta et quam gravis sit de sexto illo canone concilii Nicæni inter eruditos disputatio. Sunt enim, qui eo tantum de jure metropolitico, non vero de jure patriarchico ecclesiarum Romanæ, Alexandrinæ, Antiochenæ actum fuisse defendunt, atque hanc sententiam novissime sequitur Dominicus Cavallarius *Instit. Jur. Canon. par.* 1 *cap.* 10 §. 1 *in not.*, ut exinde efficere quis possit, Nicæno concilio recentiorem esse patriarchatum ecclesiæ Romanæ in Occidentem universum. Sed, uti post Sirmondum animadvertit Petrus de Marca *concord. sacerdot. et imper. lib.* 1 *cap.* 3 §. 7, Alexandrini et Antiocheni episcoporum jura in concilio Nicæno patriarchica certe fuerunt, non metropolitica. Nam Alexandrino episcopo potestas concedditur non solum in Ægyptum, sed etiam in Pentapolim et Lydiam; et Antiocheno episcopo ab eadem synodo non unius, alteriusve provinciæ, sed totius diœceseos Orientalis, hoc est provinciarum quindecim, quæ Oriente continebantur, administrationem fuisse commissam diserte tradunt Hieronymus *lib. contr. Joan. Hierosolymitan. cap.* 37 *tom.* 2 *col.* 447, *edit. Vallarsii Veronæ*, et Innocentius I *epist.* 24 *ad Alexandrum Antiochen.* apud Coustantium *col.* 851. Ergo patriarchica etiam esse debuerunt jura ecclesiæ Romanæ, ad quorum exemplum illa componuntur patriarchica jura episcoporum Alexandrini et Antiocheni, uti ostendunt canonis verba : *Quandoquidem et episcopo Romano hoc est consuetum.* Difficile est autem sano homini suadere, quod Cavallarius putet Hieronymum et Innocentium, qui non procul ætate aberant a concilio Nicæno, quique vim ejus canonum ignorare non poterant, errasse tam graviter, ut aliam, quam quæ esset revera, Nicæno canoni sententiam adscriberent. Quid? Cum actum de patriarchatu Constantinopolitano est, quid aliud adversus eum opposuerunt Romani Pontifices, quam canonem Nicænum, qui tantum ecclesiarum Romanæ, Alexandrinæ,

Antiochenæ jus patriarchicum agnovit? Ergo jus hoc patriarchicum revera agnitum probatumque est Nicæna synodo, uti late demonstrat Petrus de Marca *loc. cit.*

(3) Concilium Chalcedonense *act.* 1 *tom.* 4 *col.* 1167, *collect. Labbei* de Leone summo Pontifice hæc habet : *Leoni multos annos.* Et *act.* 3 *col.* 1268, 1273, Theodorus et Ischiron diaconi Alexandrini : *Sanctissimo et universali archiepiscopo et patriarchæ magnæ Romæ.* Et *collect.* 1289, Sophronius presbyter Alexandrinus : *Sanctissimo et beatissimo universali magnæ Romæ patriarchæ Leoni.* Patriarcham etiam S. Leonem appellavit Theodosius junior *epist.* 62 *et* 63 *inter epist. S. Leonis M. tom.* 1 *col.* 985 *et* 989, *edit. Ballerin. Venet.* Ante synodum Chalcedonensem patriarchas memorat Socrates *lib.* 5 *cap.* 8 *pag.* 270, *edit. Valesii Cantabrigiæ an.* 1720; at eos non veros et ordinarios patriarchas, sed extraordinarios fuisse legatos, ad stabiliendam fidem in singulis diœcesibus a concilio constitutos, observat Valesius *in not. ad eumdem locum.* Quem autem patriarcham vocat Hadrianus apud Vobiscum in Saturnino, *inter Script. Histor. Aug. tom.* 2 *pag.* 723 *Lugdun. Batav.* 1671, eum non christianum, sed Judæum fuisse ostendit Binghamus *orig. Eccletiast. lib.* 2 *cap.* 17 §. 8 *pag.* 239 *tom.* 1, *edit. cit.* Diligenter atque erudite ea de re disputat Mamachius *orig. et antiquit. christian. lib.* 4 *cap.* 4 §. 5 *num.* 2 *tom.* 4 *pag.* 550. Ceterum patriarchæ vocabantur etiam *archiepiscopi,* atque huc spectat concilium Chalcedonense *act.* 16 *col.* 1755 *cit. collect. Labbei ibidem,* et Liberatus *Breviar. cap.* 17 *in reg. concil. collect. tom.* 12 *pag.* 476 *Paris.* 1644; itemque *exarchi diœcesis,* qui cum *exarchis provinciæ* confundi non debent. Hi enim erant metropolitæ, uni scilicet provinciæ præpositi, atque ad hos pertinet *can.* 6 concilii Sardicensis *pag.* 662 *tom.* 2 *concil. Labbei, edit. Venet. Coleti;* illi autem præerant diœcesi, quæ plures provincias complectebatur.

(4) Proprie ad præcipuos exarchos patriarchæ appellatio pertinet, sed interdum etiam ad exarchos minorum gentium, qualis ex. gr. erat episcopus Cæsarëensis, traducta est.

§. XXXIV. Post Romanum, qui summus Pontifex est, atque ecclesiæ præest universæ, multoque ceteris auctoritate ac dignitate præstat (1), duos agnovit Nicæna synodus præcipuos episcopos, qui recentiori ætate patriarchæ dicti sunt, Alexandrinum et antiochenum. Accessit postea Constantinopolitanus, ac demum etiam

patriarcha Hierosolymitanus (2). Itaque quatuor hodie sunt patriarchæ Orientales, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus (3); regiones vero, quæ sunt in Europa, atque in Africæ parte Occidentali, America, summo Pontifici, tamquam Occidentis patriarchæ subjiciuntur (4).

(1) De potestate, quam semper summi Pontifices in quatuor majores patriarchas exercuerunt, videndus Carolus a S. Paulo *Geographia sacra lib.* 1 *num.* 1 *et seq., pag.* 11 *et seq. Paris.* 1641.

(2) Constantinopolitani concilii Patres *can.* 3 *tom.* 2 *concil. col.* 1125 *collect. Labbei, edit. Venet.* ejus urbis episcopum dignitate patriarchatus ornarunt, quod deinceps probavit etiam concilium Chalcedonense *can.* 28. *tom.* 4 *concil. col.* 1691 *ejusd. collect.* Noluerunt id initio ratum habere summi Pontifices, quod esset contra Nicænum canonem 6; sed postea moti precibus imperatorum ratum habuerunt. Denique honos etiam patriarchatus, probante sede Apostolica, a Theodosio Juniore datus est ecclesiæ Hierosolymitanæ, qua de re cum orta essent dissidia inter Antiochenum et Hierosolymitanum episcopum, ea lege composita sunt in concilio Chalcedonensi, ut tres Palestinæ Hierosolymitano episcopo, utraque autem Phœnicia et Arabia Antiocheno subjicerentur.

(3) Ordinem hunc dignitatis inter quatuor patriarchas Orientales constituit Innocentius III in concilio Lateranensi IV *cap.* 23 *de privil.* De quatuor patriarchis Orientalibus late agit Michaël Lequien in opere, cui titulus: *Oriens christianus in quatuor patriarchatus digestus.*

(4) De Occidentali patriarchatu summi Pontificis pauca dicenda sunt, quoniam non desunt qui patriarchatum ipsum non totum initio occidentem comprehendisse contendunt, eaque est etiam opinio Dominici Cavallarii in *Instit. Jur. Canon. par.* 1 *cap.* 10 §. 4. Sed quisquis id sentit, ignorat profecto celeberrimam, et jam IV sæculo receptam totius christiani orbis divisionem in Orientales et Occidentales ecclesias, quam divisionem *a veteri consuetudine* repetit pseudo-synodus Sardicensis a semi-Arianis habita *in epist. synodic. apud Labbeum tom.* 2 *Concil. col.* 740. Sed ut hoc mittam schismaticorum hominum testimonium, ipsam hanc divisionem compertissimam faciunt S. Ambrosius in gestis concilii Aquilejensis, cui ipse præfuit, *col.* 1165 *et* 1166 *tom.* 2 *collect. concil. Labbei edit. Venet.,*

S. Hieronymus *epist.* 97 *num.* 4 *col.* 577 *tom.* 1 *edit. Vallarsii,* summique Pontifices apud Coustantium, nimirum Cœlestinus I *epist.* 13 *ad Nestor col.* 1115; Liberius *epist.* 11 *col.* 444; Bonifacius I *epist.* 15 *col.* 1039; præterea Constantinopolitani concilii Patres *in epist. ad Damas. et Occident. episc.* apud eumdem Coustantium *col.* 558. Quibus autem terminis Orientales ecclesiæ continerentur, diserte explicat concilium Constantinopolitanum *can.* 2 apud Labbeum *tom.* 2 *col.* 1125, *edit. Venet.* Nimirum ejus concilii patres ecclesias illas intra diœceses Thracicam, Ponticam, Asianam, Orientem et Ægyptum coercuerunt; ceteras vero diœceses omnes, scilicet integrum Illyricum, Italiam, Gallias, Britannias, Hispanias et Africam Occidenti reliquerunt. Omnes hasce diœceses Occidentis patriarchatus complectebatur, atque in toto Occidente non alius umquam patriarcha, quam Romanus fuit. Itaque patriarchatus Romanus (hic tantum loquimur de jure patriarchico summi Pontificis, non de primatu, quem habet in universa ecclesia, quique totum Orientem atque Occidentem complectitur) multo latius patebat, quam singuli paterent Orientales patriarchatus; nam hi suam singuli in Oriente diœcesim habebant, illi autem omnes Occidentis diœceses commissæ erant, duæ nimirum in Italia, integrum Illyricum, quod postea sectum est in diœceses duas, Galliæ, Britanniæ, Hispaniæ, Africæ. Atque hæc certe causa est, propter quam Arelatensis concilii Patres *in epist. ad Silvestrum tom.* 1 *collect. Concil. Labbei col.* 1449 eum *Majores diœceses,* tenere dixerint; et vero *diœcesis* nomine ea tempestate plures provincias comprehensas fuisse constat, uti ostendit Emmanuel Schelstratius *antiquit. eccl. tom.* 1 *dissert.* 6 *cap.* 3, *num.* 2 *pag.* 424 *Romæ* 1697. Ad hunc totius Occidentis patriarchatum, quem summus Pontifex obtinebat, spectant S. Basilius *epist.* 259 *pag.* 368 *tom.* 3 *opp., edit. Maurin. Paris.* 1730, cum eum *Occidentalium Coryphœum* appellat; S. Augustinus *contra Julian. lib.* 1 *cap.* 4 *tom.* 10 *col.* 503, *edit. Maurin. Venet.* 1733, cum S. Innocentium Pontificem Occidentali ecclesiæ præpositum describit; S. Hieronymus *epist. ad Marcum* 17 *col.* 43 *tom* 1 *edit. Vallarsii,* qui uti Petro Alexandrino patriarchæ totum Ægyptum, ita S. Damaso Pontifici totum Occidentem adscribit, et rursus *contr. vigilant. num.* 2 *col.* 389 *tom. edit. cit.,* ubi in toto christiano orbe non alias agnoscit ecclesias, quam *Orientis, Ægypti et sedis Apostolicæ,* hoc est totius Occidentis. Innocentius ipse, quem toti Occidenti præpositum laudabat Augustinus, non solum earum, quas supra memoravi, Occidentalium diœcesecon princi-

patum, excepto Illyrico (de quo tamen agit *epist.* 15 *ad Rufum Thessalonic.* apud Coustantium *col.* 815, *et in decret. cap.* 35 apud Pithœum *cod. can. vet. eccles. Rom. pag.* 202 *Paris.* 1687) Romanæ sedi vindicat *epist.* 25 *ad Decent. episc. Eugubin. num.* 2 *col.* 856 apud Coustantium, sed etiam hujus institutionis originem ex eo repetit, quod Occidentis ecclesiæ a Petro, ejusve in sede Romana successoribus fuerunt constitutæ. Mitto loca alia sexcenta patrum et conciliorum, ex quibus patet, summum Pontificem Occidentis patriarcham ab omnibus semper habitum atque appellatum fuisse. Quid autem Occidentis nomine intelligunt patres, concilia, scriptores omnes, nisi illas octo diœceses, quarum supra est facta mentio, quæque totum Occidentem conficiebant? Itaque si summus Pontifex Occidentis patriarcha est, omnium certe illarum diœcesecon patriarcha esse debet. Vide Leonem Allatium *de eccles. Occident. et Orient. perpet. consens. lib.* 1 *cap.* 12 *pag.* 188 *Colon. Agrippin.* 1648; Christianum Lupum *ad can.* 6 *Conc. Nicæn. tom.* 1 *pag.* 244, *edit. Venet. an.* 1724; Natalem Alexandrum *Histor. eccles. ad sæc.* 4 *dissert.* 20 *prop.* 1 *tom.* 4 *pag.* 406 *et seq., edit. Venet.* 1776, qui de Nicæni canonis 6 interpretatione late agunt; et vide Petrum de Marca *concord. sacerd. et imper. lib.* 1 *cap.* 5; Emmanuëlem Schelstrate *antiquit. eccles. tom.* 2 *diss.* 6 *per tot. pag.* 409; Carolum a S. Paulo *Geographia sacra lib.* 1 *num.* 8 *et seq. pag.* 15 *et seq. Paris.* 1641; Hallier *de Sacr. ordinat. par.* 2 *cap.* 4 *sect.* 5 *art.* 5; Morinum *Exercit. eccles. lib.* 1 *exerc.* 6 *pag.* 17 *Paris.* 1669, qui omnes de jure patriarchico summi Pontificis in totum Occidentem late ac nervose disputant.

§. XXXV. Nunc Orientalium patriarcharum sedibus barbarorum tyrannide oppressis, tamen sedes Apostolica patriarchas creat, qui Romæ commorantur solo insigniti titulo et nulla prærditi jurisdictione, ne insignium ecclesiarum memoria oblivione deleatur. Quæ eadem causa est, propter quam creantur etiam episcopi *titulares*, quos episcopos *in partibus* appellamus (1), et quorum est episcopis opem ferre in iis, quæ sunt ordinis episcopalis, præsertim cum diœcesis tam late patet, ut unus episcopus omnibus ubique muneribus obeundis idoneus non sit (2).

(1) De episcopis titularibus videnda in primis est homilia plena eloquentiæ, elegantiæ et doctrinæ, quam habuit sanctissimus D. N. PIUS SEXTUS in Basilica S. Pauli, die 4 octobris anni 1778, in consecratione Hieronymi Crivelli episcopi Nepesini et Sutrini ac Petri Aloysii Galletti episcopi Cyrenensis, et videndus etiam Andreuccius *Hierarch. eccles. tract.* 1.

(2) Erant olim et *episcopi gentium,* ex quibus horum titularium episcoporum origo repetenda videtur. Eos ordinabat sedes Apostolica, ut mitteret ad gentes, quæ ad Christianam religionem essent instituendæ. Vide Petrum Coustantium *epist. Roman. Pontific. pag.* 3 *et* 6, et Franciscum Bianchinum *tom.* 2 *Anastasii in not. ad vit. S. Eleutherii pag.* 142.

§. XXXVI. Potestatem, quam metropolitæ habent in Suffraganeos, eamdem fere a sacris canonibus habent patriarchæ in metropolitas. Præcipua eorum jura et privilegia sunt, ut post summum Pontificem et cardinales sedeant ordine dignitatis; ut metropolitis pallium concedant, posteaquam ipsi a Pontifice acceperunt; ut crucem præ se ferant per universum tractum sui patriarchatus, nisi occurrat summus Pontifex, aut ejus a latere legatus (1); ut a suis metropolitis ad eos appelletur (2).

(1) Concilium Lateranense IV *cap.* 5 *concil. Labbei tom.* 15 *col.* 937.

(2) *Cap.* 23 *de privileg.*

§. XXXVII. Reliqui patriarchæ minores dicuntur, uti sunt patriarcha Venetus, Indiarum, Ulisiponensis. Hi non procul distant a primatibus, ac medium tenent locum inter majores patriarchas ac metropolitas. Eorum potestas trahitur in omnes certi regni ac nationis metropolitas et episcopos; ipsi vero majori patriarchæ subjiciuntur, cujus intra fines episcopatum tenent.

§. XXXVIII. Proximus post eos locus est primatum et metropolitarum, sed illi his antecellunt. Nam Primates omnibus præsunt metropolitis, atque pro-

vinciis regni aut nationis, ubi primatum habent. Hujusmodi sunt antistites Bituricencis, Lugdunensis, Toletanus, Salisburgensis, Pisanus, aliique, quibus a metropolitis concessæ appellationes, et jus anteferendæ crucis datum. Sed hodie tantum primati Lugdunensi reliquum est jus appellationum, ceteri solam honoris prærogativam retinent (1).

(1) De antiqua primatum dignitate ac potestate, magna inter eruditos disputatio est. Sunt enim qui eos patriarchas, sunt qui metropolitas fuisse putant, et sunt qui ab utrisque distinguunt. Sane apud Afros, uti patet ex concilio Africano *cap.* 65 apud Pithœum *codex canon. vet. eccles. Roman. pag.* 160, *Paris.* 1787 Primates metropolitæ erant, atque hinc Numidiæ metropolitanum *primatem* Augustinus vocat *epist.* 219 *num.* 6 *col.* 1015 *tom.* 2, et Antistes Carthaginensis a Possidio *in vita August. c.* 8 *col.* 262 *tom.* 10 *opp. August. Primas*, in concilio Ephesino *act.* 1 *tom.* 1 *col.* 1419 *coll. Harduini Metropolita* appellatur. Ex quo confici videtur posse, nullum inter primatem et metropolitam discrimen intercedere. Accedit quod *cap.* 3 *de For. competen.* cautum est, ut orta lite inter episcopos diversarum provinciarum dentur judices a primate, cujus in provincia sedet locus, de quo disputatur. Cum autem proprius episcoporum Judex metropolita sit, certe primas metropolita videtur. At vero Innocentius III apud Bossuetum *in ejus gestis pag.* 60 inquit : *Apud nos hæc duo nomina primas et patriarcha pene penitus idem sonant, cum patriarchæ et primates teneant unam formam, licet eorum nomina sint diversa.* Eadem occurrunt in apocryphis litteris Clementis, Aniceti, Anacleti, Lucii PP., quæ apud Gratianum exstant *can.* 1 *et* 2 *dist.* 80, *et can.* 1 *et* 2 *dist.* 99. Denique qui alium a patriarcha et metropolita primatem faciunt, nituntur canone 9 concilii Chalcedonensis, apud Labbeum *tom.* 4 *col.* 1686, *edit. Venet.*, quo habentur hæc: *Si autem cum ipsius provinciæ metropolitano episcopus, vel clericus controversiam habeat, diœcesis Exarchum adeat, vel imperialis urbis Constantinopolis thronum.* Primas igitur alius est a metropolita, et alius a Constantinopolitano episcopo, hoc est patriarcha. Pauca de hac controversia dicam. Cum primum ecclesia primatis vocabulum usurpare cœpit, eo significavit metropolitam. Episcopis Arelatensi et Viennensi de primatus honore contendentibus, Taurinense concilium *an.* 397 *can.* 2, apud eumdem Labbeum *tom.* 2 *col.* 1585 ita respondit : *Qui*

ex iis approbaverit suam civitatem esse metropolim, is totius provinciæ honorem primatus obtineat. Ita Africani primates metropolitæ erant, et ita primas metropolita est *in cap.* 3 *de For. competen.*, quod ex Africano concilio desumptum est. Sed postea primatis vox traducta est ad patriarchas, et novo hoc sensu vox hæc usurpari primum cœpit in falsis decretalibus Clementis, Aniceti, Anacleti, Lucii, quæ sunt *in can.* 1 *et* 2 *dist.* 80, *et can.* 1 *et* 2 *dist.* 99; forte quod auctor earum decretalium nullum discrimen fecit inter *exarchum aut primatem diœcesis*, qui patriarcha est, interque *primatem provinciæ*, qui est metropolita. Mirum autem videri non debet, quod aliquis a metropolitæ judicio provocare posset vel ad primatem diœcesis, hoc est patriarcham, vel ad Constantinopolitanum antistitem, uti sancitum est canone 9 concilii Chalcedonensis. Nam id peculiari jure et extra ordinem datum erat episcopo Constantinopolitano, ut in causis non suorum metropolitarum per Orientem primo judicio decerneret; quod patet exemplo Flaviani patriarchæ Constantinopolitani, qui judices dedit in causa Ibæ metropolitæ Edesseni, qui suberat patriarchæ Antiocheno, uti constat ex concilio Chalcedonensi *act.* 10 *col.* 1545 *et seq. tom.* 4 *collect. Labbei.*

§. XXXIX. Metropolita uni præest provinciæ et episcopis, qui ea comprehenduntur. Dignitatem hanc ante concilium Nicænum viguisse compertum est (1), multique sunt viri docti et graves, qui ejus originem repetunt ab apostolis, a quibus hujusce dignitatis et juris non obscura relicta sunt monumenta, ut recte status ecclesiasticæ hierarchiæ constitueretur (2). Metropolitæ nomen a metropoli procedit, quæ est urbs provinciæ caput. Qui in ea civitate episcopatum gerebant, dicti sunt metropolitæ, ac deinceps etiam archiepiscopi, quod postremum vocabulum etsi olim latius pateret, tamen lapsu temporum translatum est ad eos, qui provinciæ uni essent præpositi, quales metropolitæ sunt. Itaque ratio et mos hominum fecit, ut metropolitica dignitas hæreret civitati, quæ in provincia habebat principatum et ad quam omnes confluebant, postea a sacris canonibus jura et privilegia dignitati consentanea fuere attributa (3).

(1) Fuisse metropolitas ante concilium Nicænum, perspicuum est ex ipsius concilii *can.* 6 *et* 7 *tom.* 2 *col.* 35 *collect. Labbei.* Idem colligitur ex Epiphanio *advers. hæres. lib.* 2 *tom.* 2 *hær.* 48 *num.* 1, *edit. Petavii Paris.* 1622, Athanasio, *de senten. Dionysii num.* 5 *tom.* 1 *pag.* 194, *edit. Petav. ann.* 1777, atque ex concilio Illiberitano *can.* 58 apud Labbeum *tom.* 1 *col.* 999, *edit. Venet.*, ubi memoratur *prima cathedra*, quæ metropolitæ est.

(2) Specimen satis clarum et expressum metropoliticæ dignitatis apostoli dederunt in Tito et Timotheo, quorum alteri omnes in Creta Insula ecclesias, alteri totam Asiam provinciam commissam fuisse constat. Vide Chrysostomum *hom.* 2 *in Tit. et hom.* 1 *in* 1 *Timoth. pag.* 547 *et* 737 *tom.* 11 *opp., editione Montfauconii Paris.*, atque Eusebium *Hist. eccles. lib. cap.* 4 *pag.* 90, *edit. Valesii Cantabrigiæ* 1720. Idem de successoribus Timothei et Titi testatur ipse Eusebius *lib.* 5 *cap.* 4 *pag.* 168, de Polycrate, qui Asiæ episcopis; de Philippo, qui omnibus Cretæ Insulæ ecclesiis; de Irenæo, qui Galliæ; de Palma, qui Ponto; de Theophilo Cæsarëensi et Narcisso Hierosolymitano, qui Palestinæ episcopis præfuit, *lib.* 4 *cap.* 23 *et lib.* 5 *c.* 23 *pag.* 143 *et* 190. Ac meo quidem judicio ita componi videtur posse vetus illa quæstio, num metropolitica dignitas ab apostolis, an post eorum ætatem ab ecclesia fuerit instituta. Ejus certe specimen ab apostolis est relictum; sed res demum omnis consecutis temporibus absoluta et perfecta est. Videndus Usserius *de Orig. episcop. et metropolit.;* Beveregius *cod. canon. vindicat. lib.* 2 *cap.* 5 *num.* 12; de Marca *Concord. Sacerd. et imper. lib.* 6 *cap.* 1 *num.* 3; Thomassinus *vet. et nov. eccles. discipl. lib.* 1 *par.* 1 *cap.* 2 *tom.* 1 *pag.* 4 *edit. Venet.* 1773; Mamachius *orig. et antiq. christian. lib.* 4 *cap.* 4 §. 5 *num.* 4 *pag.* 555 *tom.* 4. Ceterum metropolitæ vocabulum recentius est, et qui deinceps eo nomine appellati sunt, canone 37 apostolorum apud Cotelerium *PP. Apostol. tom.* 1 *pag.* 446 *Amstelodami* 1724, dicuntur πρωτοι et κεφαλαι, concilio Sardicensi *can.* 9 apud Labbeum *tom.* 2 *col.* 676 *episcopi metropolis*, Augustino *Brevic. collat.* 3 *cap.* 16 *tom.* 9 *col.* 570, *edit. Venet.* 1733 *principes*, atque in concilio Carthaginensi III *can.* 26 apud citatum Labbeum *tom.* 2 *col.* 1403 statutum est, ne primus antistes alio nomine, quam *primæ sedis episcopus* vocaretur. Cumque apud Afros hæc dignitas, excepta ecclesia Carthaginensi, quæ in tota Africa primatum habebat, non hæreret certæ sedi, sed is provinciam regeret, qui senior ordinatione erat, factum hinc est, ut qui provinciæ præerant *Senes* appellarentur. Ita

Xantippus Numidiæ primas semel atque iterum *Senex* appellatur in concilio Africano *cap.* 67, apud Pithœum *codex canon. vet. eccles. Roman. pag.* 161 *Paris.* 1687, et pluries etiam eodem vocabulo utitur Augustinus *epist.* 64, 65 *et* 141, *col.* 153, 154 *et* 456 *tom.* 2, *edit. Maurin. Venet.* 1729.

(3) Concilium Antiochenum *canon.* 9 apud Labbeum *tom.* 2 *col.* 590 *Episcopos*, inquit, *qui sunt in unaquaque provincia, scire oportet, episcopum, qui præest metropoli, etiam curam suscipere totius provinciæ, eo quod in metropolim undequaque concurrunt omnes, qui habent negotia.* Et huc etiam spectat concilium Taurinense *can.* 2, apud eumdem Labbeum *tom.* 2 *col.* 1385, concilium Chalcedonense *can.* 12 *et* 17 *tom.* 4 *col.* 1687 *ejusd. collect.*, concilium Trullanum *can.* 38 *col.* 1366 *tom.* 7.

§. XL. Metropolita jurisdictionem habet in omnes suæ provinciæ episcopos, quos suffraganeos vocat. Quare supplet eorum negligentiam (1), eosque vocat ad synodum provincialem (2), inquirit in absentaim atque ad residendum compellit (3), negligentes ad officium cogit, jus dicit inter eos, qui a suffraganeorum judicio ad se provocant (4), denique in tota provincia Crucem præ se fert, insigne jurisdictionis suæ (5).

(1) Synodus VII *in can. Cum simus cap.* 9 *quæst.* 3, concilium Lateranense III *can.* 8 apud Labbeum *tom.* 13 *col.* 421, *Cap. licet de supplen. neglig. prælat. cap.* 7 *de Offic. ordin.*, concil. Trident. *sess.* 24 *cap.* 20 *de reform.*

(2) *Can.* 6 *dist.* 18, conc. Trid. *sess.* 24 *cap.* 2 *de reform.*

(3) Concil. Trident. *sess.* 23 *cap.* 1 *de reform.*, Pius IV *in bulla De salute gregis* 12, *pag.* 36 *tom.* 4 *par.* 2 *bullarii.* Hodie tamen episcopi sine venia summi Pontificis a suis ecclesiis abesse non possunt. Benedictus XIV *in const. Ad universæ* 18 *de Residen. episc. tom.* 2 *ejus bullar. pag.* 78, *edit. Rom.* 1754.

(4) *Cap.* 11 *de Offic. judic. ordin.*, *cap.* 3 *de Appellat. in* 6. Videnda tamen ea de re est *constitutio Ad militantis* 48, itemque *constitutio Romanæ curiæ* 115 Benedicti XIV *in ejus bullar. tom.* 1 *pag.* 81 *et* 285, ubi certus est definitus appellationum modus, ne quid ex iis damni oriatur.

(5) *Clement. archiepiscopo de privil.*

§. XLI. Majores tamen causæ criminales episcoporum, in quibus de eorum depositione agitur, ad judicium pertinent Romani Pontificis (1), minores ad concilium provinciale (2). Olim metropolitæ lustrare etiam poterant diœceses suffraganeorum suorum (3), nunc non possunt, nisi causa in provinciali synodo cognita et probata sit (4). Atque hæc quidem omnia pertinent ad præfecturam et eminentiora jura, quæ supra episcopos insunt in patriarchis et metropolitis. Nam ipse habent etiam in diœcesi sua jura episcopalia, quæ sibi cum reliquis episcopis communia sunt.

(1) Vetus est, sed jam a multis explosa atque ejecta calumnia, quod falsæ decretales Isidori majores criminales episcoporum causas Romani Pontificis judicio servaverint. Hæc cantilena est hæreticorum, atque eorum omnium, quorum in sedem Apostolicam insigne odium est, hoc nobis præter ceteros objiciunt Febronius et Eybelius, et hoc item Institutionibus non multis ab hinc annis editis Cavallarius *par.* 1 *cap.* 8 §. 4. Sed quæ magis frigida et jejuna calumnia excogitari potest: cum exploratissimum sit, idque etiam fateatur Blondellus, homo videlicet e numero hæreticorum, Isidorianas decretales nullum novum jus induxisse, sed omnes esse excerptas ex sententiis sanctorum Patrum, ex veris summorum Pontificum post Siricium constitutionibus, canonibus conciliorum, Romanis legibus, et disciplinam comprehendere, quæ jam obtinebat? Revera majores causæ, quæ ad episcoporum accusationes pertinent, jam ante Isidorum servatæ erant judicio sedis Apostolicæ, sine cujus consensu definiri non poterant, uti constat in primis ex S. Leone *epist.* 6 *c.* 5 *col.* 622, *epist.* 15 *col.* 678, *et ep.* 14 *col.* 682 *tom.* 1 *opp. edit. Ballerin.*, atque ex S. Gregorio *epist.* 7 *et* 36 *lib.* 3 *col.* 630 *et* 650, *epist.* 3 24 *et* 65 *lib.* 6 *col.* 974, 809, 858 *tom.* 2, *edit. Maurin. Paris.* 1705, et jam ante Zosimus *epist.* 1 *ad episc. Gall.* apud Coustantium *col.* 938, graviores episcoporum causas summi Pontificis judicio servatas declaraverat, cum scriberet: *Ad cujus* (Patrocli Arelatensis vicarii apostolici) *notitiam, si quid illic negotiorum emerserit, referri censemus, nisi magnitudo causæ etiam nostrum requirat examen.* Quo etiam spectat ejusdem Zosimi *commonitorium* apud eumdem Coustantium *col.* 981, ubi describitur Sardicensis canon de appellationibus ad sedem Apos-

tolicam. Vide *Notam 4 ad §. 16 et Notam 4 ad §. 18 Tit. IX*, et vide Cl. Blascum *de Collect. canon. Isidor. Mercator. cap. 9 pag. 93 et seq.*, ubi tota hæc materia solide et erudite pertractatur.

(2) Concil. Trident. *sess. 24 cap. 5 de reform.*

(3) *Cap. 1 de Censib. in 6.*

(4) Concil. Trident. *sess. 24 cap. 3 de reform.;* Urbanus VIII *Const. Exponi nobis 370 tom. 6 par. 1 pag. 277 bullar.*

§. XLII. Omnes patriarchæ et metropolitæ, præter cetera pontificalia ornamenta, habent pallium, cujus origo a divisione ecclesiasticarum provinciarum videtur repetenda, eo præsertim tempore, quo sacerdotes a diaconis, a sacerdotibus episcopi, atque inter eos qui principem obtinebant locum, vestibus distingui cœperunt. Neque enim aliud, præter pallium, videtur occurrere ornamenti genus, quo episcopi inter se discernantur (1). Est autem pallium fascia lanea candida (2), tres circiter digitos lata, in modum circuli contexta, quæ humeros cingit, habetque ab utraque parte lineas in pectus et humeros impendentes cum sex sericis nigrisque crucibus intextis, tribusque aciculis aureis constituitur et alligatur (3). Sumitur ex altari, ubi conditum est B. Petri corpus, idcirco ex eodem Petri corpore sumptum dicitur, ac per ipsum plenior patriarcharum et metropolitarum potestas designatur (4). Olim a sede Apostolica suis vicariis, ut plurimum, tribuebatur (5); nunc ab ea datur omnibus patriarchis et metropolitis (6).

(1) In tanta originis pallii obscuritate hæc ceteris probabilior conjectura videtur, quam tradit Carolus Gagliardus *Instit. Jur. canon. lib. 1 tit. 17 num. 3.* Cardinalis Baronius *ad an. 336 num. 65 pag. 291 tom. 4 edit. Lucæ*, pallium ab ecclesia inductum putat exemplo Rationalis et Superhumeralis, cujus mentio est in Exodo *cap. 8 vers. 4*, et quo tantum summus sacerdos, alius præterea nemo, utebatur. *Ita*, inquit, *in christianæ religionis sacerdotio genus illud indumenti, quod pallium dicimus, summi tantum Pontificis cessit usui, ab eo tamen com-*

pluribus episcopis magna ex causa communicatum. Certe, ut est a Mamachio animadversum *ad auctor. opusc. Quid est Papa? epist.* 3 *num.* 10 *tom.* 1 *pag.* 228, jam usque a primis nominis christiani temporibus Romani Pontifices metropolitarum dignitatem indiciis quibusdam firmare ac roborare consueverunt, atque inter hæc indicia pallium esse, nemo inficiabitur. Præclare S. Gregorius M. *lib.* 2 *epist.* 22 *ad Univers. Illyric. episc. pag.* 117 *tom.* 7, *edit. Venet.* 1770 de Joanne electo cunctis suffragiis episcopo Justinianæ primæ loquens : *Juxta postulationis vestræ desiderium*, inquit, *prædictum fratrem et coepiscopum nostrum in eo, in quo est, sacerdotis ordine constitutus, nostri assensus auctoritate, firmamus, ratamque nos ejus consecrationem habere, dirigentes pallium indicamus.* En pallium firmati a sede Apostolica archiepiscopatus indicium. Qui pallium patriarcharum et metropolitarum imperatorium, atque ab Imperatoribus ecclesiæ concessum putant, ii nituntur fundamentis, quæ eruditorum omnium judicio falsa sunt. Hujus generis est Constantini donatio, quam apocrypham omnes norunt; itemque rescriptum Valentiniani III, quod habet Agnellus *lib. Pont, invit.* S. *Maxim. pag.* 84 *edit. Mutin.* 1708, et de quo late disputant Baronius *ad an.* 432 *num.* 94 *seqq. pag.* 446 *seq. tom.* 7 *edit. Lucæ;* Schelstratius *antiq. eccles. dissert.* 4 *cap.* 5 *num.* 7; Norisius *dissert. histor. de synod. V. cap.* 10; Christianus Lupus *dissert.* 2 *de Africanæ ecclesiæ Roman. appellat. cap.* 8 *pag.* 176 *et seq. opp. tom.* 8, *edit. Venet.* 1727; Bacchinius *in præfat.* ad laudatum Agnelli *Librum pag.* 20 *numer.* 12 *et seq.*, *ac de eccles. hierarch. origin. par.* 3 *pag.* 378 *et seq.*, *edit. Mutinæ an.* 1705. Multos in errorem induxit pallii vocabulum, quod erat generale nomen indumenti, quo omnes utebantur et quo totum corpus tegebatur. Sed quis ex eo conficiat omnino simile fuisse pallium, quod ornamenti loco conceditur patriarchis et metropolitis, ut ab episcopis distinguantur? Hoc quoque pallium initio usque ad talos fuisse productum multi tradiderunt ex eo, quod *lib.* 15 *Annal. numer.* 5 *tom.* 2 *pag.* 108, *edit. Paris.* 1687 narrat Zonaras, Anastasium Germani patriarchæ vestigiis insistentem ejus omophorion calcasse, ut ita eum moneret, ne properaret; sed, ut recte est a Christiano Lupo *in cit. dissertat. de African. eccles. appell. cap.* 7 *pag.* 174 animadversum, eo loco Zonaras loquitur de stola, hoc est de manicata veste talari, non autem de pallio, quod tantum intra ecclesiam gerebatur. Contra vero Anastasius S. Germani vestem extra ecclesiam calcavit.

(2) Die S. Agnetis Virginis, qui est dies 21 januarii, in ejus-

dem Agnetis templo in via Nomentana singulis annis duo candidi agni offerri ac benedici solent, cum in Missa imploratur Agnus Dei, deincepsque apostolicis subdiaconis traduntur, atque in aliquo sanctimonialium monasterio nutriuntur, donec suo tempore tondeantur. Ex ea vero lana permixta reliquæ lanæ, cum in filum deducta fuerit, pallia conficiuntur.

(3) Antiquam pallii formam describit Innocentius III *lib.* 1 *Myst. miss. cap.* 63 *tom.* 1 *pag.* 334 *Colon.* 1575; his verbis : « Fit enim pallium de candida lana contextum, habens desuper circulum humeros constringentem et duas lineas ab utraque parte dependentes; quatuor autem cruces purpureas ante et retro, a dextris et a sinistris, sed a sinistris est duplex, et simplex a dextris. » Similia occurrunt apud Durandum *lib.* 3 *rational. cap.* 17 *num.* 3. Nunc sex cruces sunt, eæque nigri coloris. Vide Card. Bona *rer. liturgic. lib.* 1 *cap.* 24 §. 16 *tom* 2 *pag.* 272, et Sala *in not.* 1 *pag.* 175 *Taurin.* 1749.

(4) *Cap.* 4 *de Elect.*

(5) Temporis injuria perierunt antiquiora monumenta, quorum ope statui certe possit, quo primum tempore Romani Pontifices metropolitis Pallium attribuere cœperint. Hoc certum est, Symmachum, qui initio VI sæculi Pontificatum gessit, illud concessisse Theodoro Laureacensi, uti patet ex ejus *epist.* 11 apud Labbeum *tom.* 5 *concil. col.* 440, cumque illud Pontifex se *indulgere* dicat *more majorum*, facile intelligitur, pallii a sede Apostolica obtinendi jam tunc fuisse morem plane veterem. Virgilius Auxanio Arelatensi episcopo *epist.* 7 apud eumdem Labbeum *tom.* 5 *col.* 1301 pallium dedit, *sicut decessori tuo*, inquit, *prædecessor noster sanctæ recordationis Symmachus legitur contulisse.* Unde intelligimus et Cæsario, qui fuit decessor Auxanii, pallium a Symmacho fuisse concessum. Eodem VI sæculo Pelagius I cum vicarium apostolicum creasset Sapaudum, episcopum item Arelatensem, litteris ad eumdatis an. 557 apud eumdem Labbeum *tom.* 6 *col.* 477, pallium etiam ei se attribuere dixit, ut *in tanto loci fastigio constitutus præclaro quoque habitu* decoraretur. Huc etiam referendus est Rabanus de *Instit. cleric. lib.* 1 *cap.* 23 *tom.* 6 *opp. pag.* 8, *edit. Colon. Agrip.* 1626, cum ait : *Super hæc autem omnia summo Pontifici propter apostolicam vicem pallii honor decernitur.* Petrus de Marca *concord. Sacerdot. et Imper. lib.* 6 *cap.* 7 *num.* 1, ut suam de Gallicano pallio a Romano distincto sententiam confirmet, statuit, ætate Gregorii M. solum Arelatensem episcopum illud in Gallia gestasse. Sed ex vita Desiderii Viennensis archiepiscopi apud Henschenium et Papebrochium, ad diem 23 maii *tom.* 5 *act. SS. p.* 252 *Antver.*

an. 1685 manifestum est, eum quoque, *cum archiepiscopus factus est, ex more Romam misisse pro adipiscendo sedis Apostolicæ pallio.* Quibus ex verbis intelligimus, Desiderium non primum fuisse Viennensem episcopum, qui a sede Apostolica pallium postulavit. Ex eodem loco deprehenditur, quam falsa sit sententia Petri de Marca *de concord. Sacerd. et Imper. lib.* 6 *cap.* 6, qui ait, Romanos Pontifices summam in mittendis palliis ad episcopos Gallicanos curam adhibuisse, ut jus metropoliticum a vicariatu sedis Apostolicæ oriri videretur, atque ut iis novum jugum novaque servitus imponeretur. Non enim pallium sua sponte offert Gregorius, ut jugum aliquod imponat, sed ipse Desiderius a Gregorio postulat *de more*, quod indicat antiquam consuetudinem; cujus mentio est etiam apud ipsum Gregorium *lib.* 4 *epist.* 1 *col.* 682 et clarius *epist.* 11 *lib.* 9 *col.* 937 *tom.* 2, *edit. Maurin. Paris.* 1705. Revera tantum abest, quod rectissime est a Gravesonio *Histor. eccles. sæc. IX colloq.* 6 *tom.* 3 *pag.* 202 *edit. Venet.* observatum, « ut summi Pontifices curam in mittendis ad Gallicanos Præsules palliis adhibuerint, ut potius ferventibus Regum precibus et ardentibus episcoporum votis inducerentur ad usum pallii episcopis concedendum. Quod si Romani Pontifices, per usum Pallii novam servitutem episcopis imponere intendissent, omni procul dubio nec Reges in gratiam metropolitanorum suorum umquam istud pallium a Romanis Pontificibus postulassent; nec metropolitani novam et insolitam hanc servitutem sibi imponi passi fuissent, nedum ambiissent. » Par est sententia eorum, qui olim sine imperatoris auctoritate pallium a Romano Pontifice concedi potuisse negant, ex eoque numero est etiam Dominicus Cavallarius *Instit. Jur. canon. par.* 1 *cap.* 9 §. 2. Nam hæc sententia nititur rescripto Valentiniani III et nititur errore, quod ecclesiasticum pallium imperatorium ornamentum fuerit. Vide Christianum Lupum *cit. dissert. de African. eccles. Roman. appellat. cap.* 8 *pag.* 176; Bianchium *della Potestà e della Polizia della Chiesa lib.* 3 *cap.* 2 §. 2, 3, 4, *tom.* 3 *par.* 1 *pag.* 178 *et seq.*; Bonam *rer. liturgic. lib.* 1 *cap.* 24 §. 16 et Salam *in not. pag.* 272 *et seq. tom.* 2, *edit. Taurin.* 1749.

(6) Græcis episcopis nunc commune pallium est, quod quidem *sibi sæculis ultimis Græciæ cunctos episcopos arrogasse* tradit Goarius *eucholog. Græc. tit. episc. Ordinat. pag.* 512, *edit. Paris.* 1647. Quomodo autem id evenerit, ut nunc omnes Græci episcopi pallio utantur, narrat Luitprandus *in Legatione* 11 *Constantinopolitana ad Nicephorum Phocam nomine Othonis* apud Muratorium *Scriptor. Rer. Italic. tom.* 2 *pag.* 488, ubi

inquit: « Romanus Imperator filium suum Theophylactum eunuchum patriarcham constituit: cumque eum Alberici cupiditas non lateret, missis ei muneribus satis magnis, effecit, ut ex Papæ nomine Theophylacto patriarchæ litteræ mitterentur; qua auctoritate cum ipse tum successores ejus absque Paparum permissu palliis uterentur. Ex quo turpi commercio vituperandus mos inolevit, ut non solum patriarchæ, sed etiam episcopi totius Græciæ palliis utantur. Quod quam absurdum sit, censore opus non est. » Consule eumdem Luitprandum, qui hoc Alberici facinus narrat, *de reb. Europ. lib.* 3 *cap.* 12 apud Duchesne *tom.* 3 *Hist. Franc. p.* 598; Christianum Lupum *in d. can.* 27 *conc.* 8 *p.* 315 *seq.*; Laurentium Bertium *loc. cit.* Ceterum VIII dumtaxat sæculo obtinere cœpit consuetudo, ut omnibus indiscriminatim archiepiscopis pallium concederetur, ut colligi potest ex *t.* 2 *oper. posthum.* Mabillonii, ubi occurrit dissertatio Theoderici Ruinart *de pallio archiepiscopali cap.* 11 *pag.* 457. Multa autem, præter auctores, quos modo indicavimus, de pallio scripserunt de Marca *concord. Sacerd. et Imper. lib.* 6 *cap.* 6 *et* 7, Nicolaus de Bralion *dissert. de Pallio*, patres Maurini *in S. Gregorium M. lib.* 3 *epist.* 28 *col.* 518 *tom.* 2 *edit. Paris.* 1705, locisque aliis earumdem epistolarum, Dominicus Georgeus *de liturg. Rom. Poutific.*, *tom.* 1 *pag.* 210 *et seq.*, aliique complures. Ac videnda in primis est constitutio *Rerum ecclesiasticarum* 60 Benedicti XIV *tom.* 2 *ejus Bullar. pag.* 294 *laud. edit.*, ubi multa habentur de pallio, quæ ad recentiorem pertinent disciplinam.

§. XLIII. Solus Romanus Pontifex, cujus potestas nullam habet definitam regionem, cujus terminis septa teneatur, pallio ubique utitur et semper; ceteri nonnisi intra fines suæ jurisdictionis, et statis certisque diebus, cum pontificalia conficiunt; scilicet die natali Christi servatoris, S. Stephani, S. Joannis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Palmarum, feria V in cœna Domini, in Sabbato sancto, in Paschate, et feria secunda ac tertia post Pascha, Dominica in albis, in Ascensione Domini, in Dominica Pentecostes, in festo Corporis Christi, in nativitate sancti Joannis Baptistæ, in festis omnium apostolorum, ac quatuor diebus festis B. Mariæ virginis, nimirum Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis

et Nativitatis, in commemoratione omnium Sanctorum, in dedicatione ecclesiarum, in præcipuis festis diebus ecclesiæ archiepiscopalis, in ordinatione clericorum, in consecratione episcoporum et virginum, et in die anniversaria, quam archiepiscopus celebrat suæ consecrationis, dieque item anniversaria dedicationis ecclesiæ (1).

(1) *Cap. 4 et 6 de Auctor. et usu pallii*, ibiq. Gloss. et Pontificale Romanum *par. 1 tit. de pallio.*

§. XLIV. Pallio ita est adjunctum munus archiepiscopale, ut eo nondum accepto ne archiepiscopi quidem nomen quis mereatur (1), neque synodum provincialem indicere possit, neque chrisma conficere, neque episcopos consecrare, neque alia obire munera sive metropolitica, sive episcopalia (2). Petendum est intra tres menses ab exacta consecratione et quidem enixis precibus, sive, ut in more est, *instanter, instantius, instantissime* (3), a summo Pontifice in consistorio cardinalium; petit per se ipsum, si in urbe sit, archiepiscopus, si absit, per procuratorem. Antequam detur, exigitur juramentum fidei et obedientiæ erga summum Pontificem (4); præsenti in urbe datur a primo diacono cardinali, absenti ab aliquo archiepiscopo, cui summus Pontifex rem commisit.

(1) *Cap. 3 de auctor. et usu pallii.*
(2) *Cap. 28 §. super eo de elect.*
(3) *Can. 1 et 2 dist.* 100. Vide Nicolaum de Bralion *cit. dissert. de pallio cap.* 12.
(4) Formulam juramenti, quod absentis archiepiscopi procurator præstare debet, habet *in cit. constit. Rerum ecclesiasticarum* Benedictus XIV.

§. XLV. Ita autem pallium adhæret personæ archiepiscopi, ut neque alteri commodari possit, et secundum ac tertium petendum sit, si quis iterum ac tertio ecclesiam mutet (1). Denique ubi archiepiscopus sepelitur, cum eo simul pallium vel pallia, si plura accepit, humanda sunt (2). Singulari privilegio cardinalis episcopus Ostiensis, cum Romanum Pontificem consecrat, pallio utitur (3), et beneficio etiam sedis Apostolicæ quibusdam episcopis pallii usus concessus est (4).

(1) *Cap. 4 de Postulat. prælat.*, ibique Glossa *in fin.*

(2) *Cap. 2 de Auctor. et usu pallii.*

(3) Vide card. Petra *tom. 3 ad const. 3 Pii II sect. unic.* . et Catalanum *in comment. ad Pontific. Roman. par. 1 tit. 14* §. 3 *num. 5 pag. 239.*

(4) Ita Aretino episcopo pallium dedit Clemens XII. *Const. Insignes 14 tom. 13 pag. 105 Bullar.*, et ita quibusdam aliis episcopis ab aliis summis Pontificibus similiter pallii ipsius usus concessus est.

SECTIO IV.

De Coadjutoribus.

XLVI. Coadjutorum officium et origo.

XLVII et XLVIII. Eorum species; et quis eos constituat?

§. XLVI.

De episcopis nunc pro eorum jurisdictione rediret oratio, sed quoniam uno loco comprehendimus universam eorum potestatem tum ordinis, tum jurisdictionis, pergimus ad reliquos magistratus atque ad

ministros, quorum est episcopis in diœceseos regimine opitulari. Sit initium a coadjutoribus. Senio, aut mala valetudine confectos episcopos, aliosque ecclesiæ ministros de gradu dimovere injustum atque inhumanum visum est. Ergo ab antiquis temporibus instituti sunt coadjutores, qui impedito antistiti subsidium compararent ejusque vicem sustinerent. Primum coadjutorum episcoporum exemplum præbere videtur ecclesia Hierosolymitana, ubi coadjutor datus fuit Alexander Narcisso Hierosolymitano episcopo, qui annos natus erat centum et viginti (1). Sed illustre præ ceteris est exemplum Augustini, qui Valerio episcopo Hipponensi, malæ valetudinis seniique causa, coadjutor accessit (2).

(1) Primum hoc alicujus coadjutoris exemplum esse judicat Henricus Valesius *in Euseb. lib.* 6 *cap.* 11 *pag.* 268, *edit. Cantabrigiæ an.* 1720. Sed multa deinceps exempla coadjutorum occurrunt. Theotecnus episcopus Cæsarcensis sibi Anatolium coadjutorem adscivit ac successorem designavit, et ambo communi studio ecclesiæ præfuerunt, uti testatur Eusebius *Histor. lib.* 7 *cap.* 32 *pag.* 370, *edit. Valesii Cantabrig.* 1720. Maximum simul cum Macario episcopum Hierosolymitanum fuisse scribit Sozomenus *Hist. lib.* 2 *cap.* 20 *pag.* 70 *cit. edit. Valesii*, et Orionem episcopum Palæbiscensem sibi coadjutorem et successorem Siderium elegisse tradit Synesius *epist.* 67 *pag.* 209, *edit. Petav. Paris.* 1633. Theodoritus *lib.* 5 *cap.* 4 *pag.* 197 *cit. edit. Valesii*, memorat Joannem episcopum Apameæ, qui coadjutorem habuit Stephanum, et Ambrosius, sive potius auctor epistolæ *de Causa Bonosi, tom.* 3 *opp. S. Ambrosii col.* 1093, *edit. Maurin. Venet.* 1751, Senecionem, qui Basso episcopo coadjutor fuit.

(2) Possidius *in Vit. Augustin. cap.* 8 *col.* 262 *tom.* 10 *opp. S. Augustin. edit. Venet. an.* 1733. Et Augustinus quidem, vivo adhuc Valerio, episcopus ordinatus est; quamobrem ei scrupulus animo insedit, ut ipse ait *epist.* 213 *col.* 709 *tom.* 2 *edit. cit.* « Adhuc in corpore posito beatæ memoriæ Patre et episcopo meo sene Valerio, episcopus ordinatus sum et sedi cum illo: quod concilio Nicæno prohibitum fuisse nesciebam, nec ipse sciebat. » Hinc Eraclium collegam eligit, at episcopum non

ordinavit: *Quod reprehensum est,* inquit *loc. cit., in me, nolo reprehendi in filio meo. Erit presbyter ut est, quando Deus voluerit, futurus episcopus.* Spectat Augustinus ad Nicænum canonem 8, quo cautum erat, ne duo in una urbe essent episcopi; verum hic canon non obtinebat, cum justa erat causa, propter quam duo in una civitate episcopi constituerentur, uti ostendunt exempla, quæ paulo ante indicavimus.

§. XLVII. Dantur coadjutores vel ad tempus, quamdiu scilicet vitæ usura fruitur prælatus, quem vis adversa morbi aut senectutis suum munus exercere vetat; vel perpetuo, qui nimirum mortuo succedunt. Uterque coadjutor episcopis nonnisi a summo Pontifice dandus est (1); ceteris beneficiorum rectoribus etiam episcopus coadjutores ad tempus constituit (2).

(1) *Cap. unic. de Cleric. ægrotan. in* 6, Concil. Trident. *sess.* 25 *cap.* 7 *de reform.*

(2) Concil. Trident. *loc. cit. cap.* 3 *et ult. de Cleric. ægrotan.*

§. XLVIII. Nunc, qui episcopis dantur coadjutores sine jure futuræ successionis, dicuntur *suffraganei,* quales habent cardinalis episcopus Ostiensis, atque episcopus Sabinus aliique præsertim in Germania episcopi, quorum diœceses tam late patent, ut his adjutoribus opus habeant ad episcopale munus recte exercendum. Hi sunt episcopi insigniti titulo *in partibus infidelium,* uti sunt etiam episcopi coadjutores, qui jus habent succedendi. Utrique enim decorantur ordine episcopali, ut ea peragant, quæ hujus ordinis propria sunt (1).

(1) Vide Andreuccium *Hierarch. eccles. tract. de episc. titular.,* et Benedictum XIV *de synod. diœc. lib.* 13 *cap.* 14.

SECTIO V.

De Chorepiscopis.

XLIX. Chorepiscoporum officium et ordo. | L. Eorum potestas.

§. XLIX.

Quemadmodum episcopi, cum, propter morbum aut ingravescentem ætatem, suo recte munere fungi non poterant, in civitate coadjutores habebant; ita cum nimis late patebat diœcesis, in pagis atque oppidis longe dissitis habebant chorepiscopos adjutores et administros laborum suorum. Dicuntur chorepiscopi, quasi τῆς χώρας hoc est *ruris* episcopi. De his quæri solet, num episcopi, an tantum presbyteri fuerint; sed longe probabilior est sententia illorum, qui eos meros presbyteros fuisse arbitrantur (1).

(1) Episcopos chorepiscopos fuisse putant Henricus Hammondus *diss.* 3 *contr. Blondell. c.* 8 *per. tot.* præsertim §. 41, 42 *et* 43, *pag.* 164 *Londini* 1651; Guillelmus Beveregius *not. in concil. Ancyran. can.* 13 *in Pandect. canon. tom.* 2 *pag.* 175 *Oxonii* 1672; Josephus Bingham, *orig. eccles. lib.* 2 *cap.* 14 §. 4 *tom.* 1 *pag.* 195; atque hi quidem præsertim nituntur Athanasii loco *Apolog. contr. Arian. tom.* 1 *opp. pag.* 158, *editione Patavii anno.* 1777 cujus hæc verba sunt: « Mareotes regio est Alexandrina, in qua numquam episcopus fuit, aut chorepiscopus; sed universæ illius regionis ecclesiæ Alexandrino parent episcopo. Presbyteri autem singuli suos vicos habent maximos, qui decem circiter sunt, imo plures numero. » Apertum hic quidem discrimen inter chorepiscopos et presbyteros constituitur; sed nullam equidem video causam, propter quam hoc discrimen potius ad ordinem, quam ad officium et jurisdictionem referendum videatur. Atqui Athanasius minime adversarius est nobis,

si dicamus, unum et eumdem fuisse ordinem chorepiscoporum et presbyterorum, dissimile tamen officium et dissimilem jurisdictionem. Rectius igitur Franciscus Turrianus *not. in cap.* 54 *conc. Nic. Arab.* apud Labbeum *tom.* 2 *concil. col.* 517; Antonius Augustinus *epist. Jur. canon. par.* 1 *lib.* 6 *tit.* 1 *cap.* 3 *et seq. pag.* 259 *tom.* 3 *opp. edit.* 1770; Ludovicus Thomassinus *vet ac. nov. eccles. discipl. par.* 1 *lib.* 2 *cap.* 1; Natalis Alexand. *Histor. eccles. sæc.* 4, *append. ad dissert.* 44 *quæst. un. tom.*4 *pag.* 649; ibique Mansius *in not. pag.* 655, *edit. Venet.* 1776, chorepiscopos presbyteros fuisse contendunt, nixi præsertim canone 8 concilii Nicæni *tom.* 2 *col.* 38 *collect. Labbei* et canone 10 concilii Antiocheni *tom.* 2 *col.* 590 *ejusd. collect. Labbei;* ex quibus manifestum est, chorepiscopos episcopos non fuisse. Quod etiam, re diligenter cognita et expensa, definitum est, uti patet ex capitularibus regum Francorum apud Baluzium t. 1 *col.* 255, *edit. Venet. anno* 1772. Cum enim Carolus M. ea de re legatos misisset ad Leonem III Pontificem, responsum est, chorepiscopos meros esse presbyteros, ideoque irritum esse quidquid ipsi gesserant proprium ordinis episcopalis. Quod probarunt Ratisbonensis concilii Patres apud Sirmondum *conc. Gall. tom.* 2 *pag.* 259 *et seq. Paris.* 1629; ac deinceps etiam synodus Parisiensis an. 829 *lib.* 1 *cap.* 27 *loc. cit. pag.* 502 *tom.* 2 respondit: nihil eorum, quæ ad episcopalem ordinem pertinent, fieri a chorepiscopis posse. Interdum vero chorepiscopi etiam erant episcopi; quod recte observant Cabassutius *notit. concil. cap.* 8; Petrus de Marca *concord. sacerdot. et Imper. lib.* 2 *cap.* 15; Bellarminus *de Cleric. lib.* 1 *cap.* 17 *pag.* 159 *opp. tom.* 2, *edit. Venet. ann.* 1721; atque ad hos pertinent canones omnes conciliorum, quibus chorepiscopis, cum venia episcopi, diaconos et presbyteros ordinare permittitur.

§. L. Chorepiscopi non unam ut parochi, sed plures singuli curabant ecclesias easque lustrabant (1); dabant litteras *pacificas*, quæ erant ex genere *formatarum* (2), clericis ruralibus in aliam diœcesim abeuntibus; minores ordines conferebant (3). Sed cum intra suæ potestatis fines non se continerent, et jura invaderent episcoporum, satius visum est eam dignitatem extinguere ac delere, quod in occidente primum factum est, Leone III Pontifice (4); sed tamen etiam post Leonis ætatem mentio chorepiscoporum occurrit (5).

(1) Quod chorepiscopi diœcesim lustrarent, dicti sunt etiam *Periodeutæ*, hoc est *circuitores* et *visitatores*, quod memorat Laodicena synodus *can.* 57 *tom.* 1 *concil. collect. Labbei, col.* 1555, *edit. Venet. Coleti.* Sed non inde effici potest, chorepiscopos et periodeutas unum adque idem fuisse, quod aliquibus visum est. Vide Fabrotum *ad Cujacium in tit.* 3 *Cod. de episc. et cleric. col.* 28 *tom.* 2 *par.* 1, *edit. Venet.* 1758. Omnis quidem chorepiscopus erat periodeuta, sed non omnis periodeuta erat chorepiscopus, uti rectissime observat de Roye *institut. jur. canon. lib.* 1 *tit.* 15. Verum quod contendit Binghamus *origin. eccles. lib.* 2 *cap.* 14 §. 12 *tom.* 1 *pag.* 201, *edit. Halæ Magdeburg. an.* 1751, a Laodicena synodo *cit. can.* 57 in locum chorepiscoporum constitutos fuisse periodeutas, id nullum habet idoneum fundamentum, quo niti posse videatur.

(2) Formatarum litterarum multæ erant species. Nam aliæ erant *epistolæ commendatoriæ*, aliæ *communicatoriæ*, aliæ *dimissoriæ*. Postremæ hæ tantum ad clericos pertinebant, quibus dabantur, cum se in aliam diœcesim conferebant, ut ibi domicilium constituerent; atque hæ litteræ *dimissoriæ* et interdum etiam *pacificæ* dicebantur, quoniam testabantur, clericum, cum pace episcopi sui, ex antiqua ecclesia fuisse dimissum. *Commendatoriæ* et *communicatoriæ* dabantur omnibus, tum clericis, tum laicis, qui per alienam diœcesim iter faciebant, eæque testimonium erant orthodoxiæ et ecclesiasticæ communionis illius, qui epistolas ipsas deferebat. Nam tanta erat concordia atque inter omnes episcopos consensio animorum, ut nemo ecclesiasticæ communionis in aliena diœcesi particeps fieret, nisi ea dignus proprii episcopi testimonio deprehenderetur. Ita per eas litteras ecclesiarum unio ostendebatur, sive, ut verbis utar Tertulliani, *de præscript. cap.* 20 *pag.* 206, *edit. Rigaltii Paris.* 1675, *communicatio pacis. . . . et contesseratio hospitalitatis* demonstrabatur; hinc Optatus Milevitanus *lib.* 2 *pag.* 52, *edit. Antverpiæ* 1702, *totus*, inquit, *orbis commercio formatarum in una communionis societate concordat. Commendatoriæ* litteræ dabantur vel hominibus, quorum illustrior erat conditio, vel etiam ejusmodi hominibus, quorum existimatio in discrimen vocata fuerat, vel clericis, qui in exteras regiones concedebant; *communicatorias* obtinebant omnes, qui in ecclesiæ erant communione, eumque ea pacem colebant, ideoque *pacificæ* et *ecclesiasticæ*, atque interdum etiam *canonicæ* dicebantur. Omnes generali nomine *formatæ* dicebantur, quod peculiari forma ac singularibus signis et characteribus scriptæ erant, ne quis falsas obtruderet, et omnes ab episcopo concedebantur. Ad has autem litteras per-

tinet Canon Apostolorum 34 apud Cotelerium *PP. Apostol. tom.* 1 *pag.* 446, *edit. Amstelodami* 1724; itemque concilium Carthaginense I *can.* 7 apud Labbeum *tom.* 2 *col.* 749, *edit. Venet.;* Laodicenum *Can.* 41 *col.* 1538 *tom.* 1 *ejusd. collect.;* Antiochenum *Can.* 7 *an.* 341 apud eumdem Labbeum *tom.* 2 *col.* 590; Agathense *c.* 38 *tom.* 5 *col.* 527; Chalcedonense *c.* 11 *col.* 1682 *tom.* 4, Carthaginense III *Can.* 28 *col.* 1403 *tom.* 2 *ejusd. collect.* Quas litteras cum in illo persequutionum discrimine dedissent confessores quidam, quorum magna erat in ecclesia existimatio, id ab iis fieri vetuit, atque alias a proprio episcopo communicatorias litteras unicuique dari jussit concilium Eliberitanum *can.* 25 *col.* 996 *tom.* 1 et Arelatense I *c.* 9 *col.* 1452 *tom.* 1 *loc. cit.* Non enim duo hi canones, uti putat Baronius ad an. 142 *num.* 9 *pag.* 157 *tom.* 2 *edit. Lucæ,* intelligendi sunt de martyrum libellis, quos *lapsi* impetrare solebant, ut in ecclesiæ communionem reciperentur; quod recte animadvertit Albaspinæus *in not. ad. cit. can.* 25 *conc. Eliberit. pag.* 167 *edit. Neapol.* 1770. Chorepiscopos autem dedisse litteras *pacificas,* seu *formatas,* manifestum est ex concilio Antiocheno *can.* 8 *loc. cit. col.* 1538, cujus hæc verba sunt: *Nec presbyteri qui sunt in pagis, dent canonicas epistolas, vel ad solos vicinos episcopos epistolas emittant. Chorepiscopi autem nulli reprehensioni affines dent pacificas.*

(3) Concilium Antiochenum *Can.* 10 *col.* 600 *loc. citat.*

(4) Vide *capitular. Caroli M. lib.* 6 *cap.* 121 apud Baluzium *capitul. reg. Francor. col.* 253 *tom.* 1, *edit. Venet. an.* 1772.

(5) Concil. Parisiense *an.* 829 *lib.* 1 *can.* 27 *tom.* 9 *collect. Labbei col.* 729 *edit. indic.,* Meldense *an.* 845 *c.* 44 *col.* 975 *loc. cit.,* Metense *an* 888 *c.* 8 *col.* 594 *tom.* 11 *collect. ejusd.* Vide Thomassinum *par.* 1 *lib.* 2 *cap.* 1 *et* 2 et Morinum *exerc. sac. cap.* 11 *et de sac. ordinat. par.* 3 *exerc.* 4. Sua jam ætate chorepiscopos exolevisse testatur Balsamon *in canon.* 13 Concilii Ancyrani apud Beveregium *pandect. canon. tom.* 1 *pag.* 386 *Oxonii* 1672.

SECTIO VI.

De Prælatis inferioribus.

LI. Prælati inferiores, eorumque divisio. | LII ad LIV. Singulorum potestas.

§. LI.

Medium inter episcopos atque presbyteros locum tenent prælati inferiores, nimirum antistites, qui expertes ordinis episcopalis, in sibi subjectas ecclesias atque personas jurisdictionem exercent. Non idem omnium eorum prælatorum gradus, neque eadem ratio est. Nam alii sunt ab episcopi potestate subtracti, qui certo præsunt generi personarum, intra septa alicujus ecclesiæ aut monasterii vel conventus existentium, quales sunt superiores regulares et nonnulli prælati sæculares, qui immediate subsunt sedi Apostolicæ una cum ecclesia ejusque clericis atque ministris, quibus præfecti sunt. Alii præsident clero et populo alicujus regionis, quæ tametsi ab episcopi potestate subtracta sit, tamen sedet in illius diœcesi, a qua undique circumscribitur. Aliique denique propriam habent quasi diœcesim a cujusvis episcopi diœcesi avulsam et separatam, in qua jurisdictionem obtinent quasi episcopalem (1).

(1) Vide card. Petra *ad Constit. 4 Callisti III. sect. 1 pag.* 90 *tom.* 5, et Benedictum XIV *de synod. diœces. lib.* 2 *cap.* 11.

§. LII Omnium nobilissimi sunt prælati, qui separatam quasi diœcesim habent; nam hi proprie et

vere *prælati nullius* dicuntur, atque inter ordinarios recensentur. Ceteri exempti quidem sunt ab episcopi jurisdictione, sed nullam habent quasi diœcesim ab illius diœcesi distinctam, in qua ordinariam jurisdictionem exerceant (1). Itaque prælati *nullius* minus proprie vocari possunt, cum revera in episcopi diœcesi sint.

(1) Vide Benedictum XIV *in constit. Apostolicæ* 76 *tom.* 1 *ejus Bullar. pag.* 149, *et constit. Inter multa* 33 *pag.* 166 *tom.* 2, *edit. Romæ* 1754.

§. LIII. Prælati inferiores vel sæculares sunt, vel regulares; alii beneficio sedis Apostolicæ habent usum Pontificalium, alii vero non habent (1). Omnium potestas oritur vel ex privilegiis summorum Pontificum, vel ex præscriptione, quæ hominum memoriam superat (2). Quare et amplior et angustior est, uti ferunt leges privilegii vel consuetudinis unde procedit. Generatim abbates regulares, qui in sacerdotio sunt et solemnem ab episcopo benedictionem acceperunt, suis subditis regularibus pro jure suo primam tonsuram et minores ordines conferunt; reliqui vero expresso privilegio opus habent (3).

(1) Vide Giraldum *exposit. Jur. Pontific. part.* 1 *tit.* 33 *tom.* 2 *pag.* 725 *et seq.*, ubi multa sunt de usu Pontificalium, quem habent prælati episcopo inferiores.

(2) Confer Benedictum XIV *in laudata constit. Apostolicæ* §. 2 *pag.* 150, *et in constit. Inter multa* §. *et sane*, *pag.* 168.

(3) Concil. Tridentin. *sess.* 23 *cap.* 10 *de reformat.* De subdiaconatu, cujus conferendi potestas interdum a sede Apostolica quibusdam abbatibus facta est, agit inter ceteros Juenin *de sacrament. dissertat.* 9 *quæstion.* 6 *cap.* 3.

§. LIV. Quod vero attinet ad jurisdictionem quasi episcopalem multa sunt, quæ prælati inferiores, etiam cum discretam et separatam quasi diœcesim habent,

exercere non possunt quamquam in ipsa jurisdictione insita et infixa videantur. Principio vetantur indicere et habere synodum diœcesanam, nisi expressam ea de re facultatem a summo pontifice impetraverint, eaque semper usi fuerint; et simili modo vetantur etiam eligere examinatores, ad parochiales ecclesias per solemne examen conferendas (1). Hinc vicinior episcopus in quasi diœcesi, quæ nullius revera est, et episcopus diœcesanus in ecclesia exempta, quæ sedet intra fines suæ diœceseos, parochias confert, servata lege concursus, quæ a concilio Tridentino constituta est. Par est ratio litterarum dimissorialium, quas illi dare nequeunt sæcularibus sibi subditis pro ordinibus snscipiendis; cum horum omnium ordinationes pertineant vel ad viciniorem episcopum, si prælatus quasi diœcesim separatam habeat, vel si ecclesia exempta sit, ad episcopum, cujus diœcesi continetur (2). De causis vero criminalibus et matrimonialibus recte judicant prælati, quibus sua quasi diœcesis separata est; non item prælati exempti, nisi hoc privilegium obtinuerint vel a summo Pontifice, vel per præscriptionem quæ ultra hominum memoriam est (3).

(1) Vide Benedictum XIV *de synod. diœces., lib.* 2 *cap.* 11 *num.* 6 *et* 7.

(2) Concilium Tridentinum *sess.* 25 *cap.* 10 *de reform.* Consule Benedictum XIV *loco mox indicato num.* 15 *et* 16; cardin. Petram *ad constitut. apostol. in constitut.* 4 *Callixti III sect.* 2 *num* 67 *et seq. pag.* 166 *et sequent. tom.* 3, et Giraldum *exposit. Jur. Pontific. par.* 2 *tom.* 3 *pag.* 961.

(3) Confer cardin. Petram *loc. cit., num.* 57 *et seq. pag.* 169 *et sequent.*

SECTIO VII.

De Capitulis Canonicorum.

LV. Collegia canonicorum.
LVI. Unde ortum canonicorum nomen.
LVII. Canonici sæculares et regulares.
LVIII. Capitula vel cathedralia, vel collegiata.
LIX. Canonicorum officium.
LX. Dignitas in capitulis inest.
LXI. Potestas capituli cathedralis sede vacante.
LXII et LXIII. Vicarius capitularis. A quibus et intra quod tempus ejus electio facienda sit?
LXIV. Quis eligi debeat et quam jurisdictionem habeat?
LXV. Capitulum ejusve vicarius nihil sede vacante innovare potest et nihil agere, quod sit ordinis episcopalis.
LXVI. Quæ beneficia conferri possint, quæ contra non possint et quibus recte dentur litteræ dimissoriæ.

§. LV.

Ecclesiasticam dignitatem hodie etiam inesse constat in collegiis canonicorum tum cathedralium tum collegiatarum ecclesiarum. Cathedrale templum dicitur, in quo episcopus suam habet cathedram et quod princeps est ceterorum, quæ in civitate aut in diœcesi sunt. Cetera templa, quæ post cathedrale collegium habent canonicorum, collegiata appellantur.

§. LVI. Omnibus olim clericis commune fuit canonicorum nomen, quia scilicet adscripti erant *canoni* seu *matriculæ* ecclesiæ, cujus sumptu alebantur (1). Mediis autem sæculis canonici dicti sunt clerici, qui communem et secundum propriam regulam vitam traducebant. Hoc sensu Crodogangus Metensis episcopus primus, ut videtur, ætate Pipini regis canonicos instituit, clericos videlicet, quos, nullis emissis votis, in unam societatem coegit, quibusque regulam

dedit (2). Quod vitæ institutum omnes pene ecclesiæ acceperunt; synodus vero Aquisgranensis regulam edidit pleniorem, quæ ad canonicæ vitæ institutionem pertinebat.

(1) Canonis nomine hoc sensu utitur concilium Nicænum *can.* 19 *tom.* 2 *col.* 41 *collect. Labbei,* et Antiochenum *can.* 1 *col.* 585 *tom.* 2. Quod idem est atque illud, quod canon apostolorum 14 apud Cotelerium *PP. Apostol. tom.* 1 *pag.* 444, *edit. Amstelodami* 1724, καταλογον *catalogum,* concilium Agathense *canon* 2 *ejusd. Collect. tom.* 5 *col.* 521, Augustinus *serm.* 356 *num.* 14 *col.* 1590 *tom.* 5, *edit. Venet. an.* 1751, *tabulam clericorum* appellant. Quare cum omnium clericorum nomina in canone, sive matricula ecclesiæ essent descripta, canonici dicebantur, et hinc Cyrillus Hierosolymitanus *præfat. catech. num.* 4 *pag.* 4, *edit. Maurin. Paris.* 1720, κανονικων καρουσιαν significat *clericorum præsentiam,* concilium Laodicenum *canon.* 15 *tom.* 1 *col.* 1554 *collect. Labbei* κανονικουσ ψαλτασ vocat *clericos cantores,* et generatim in concilio Nicæno *can.* 16 *col.* 40, et Antiocheno *can.* 2 *col.* 588 *loc. cit.,* per τουσ εν τω κανονι ecclesiæ clerici significantur.

(2) Primus Crodogangus certam videtur dedisse regulam clericis communem vitam traducentibus, quæ quidem regula exstat apud Holstenium *cod. Regular. tom.* 2 *pag.* 96. *edit. August. Vindelic.* 1759. Verum ante ejus ætatem jam ipsa communis vita clericorum obtinebat. Nam initium habuit in Oriente, ubi eam viguisse testantur S. Basilius *epist.* 207 *tom.* 3 *opp. pag.* 340, *edit. Maurin. Paris.* 1730, et Sozomenus *lib.* 6 *cap.* 31 *pag.* 264, *edit. Valesii Cantabrig.* 1720. Ex oriente in Occidentem opera S. Eusebii Vercellensis, cum ipse ab Athanasio ex Oriente rediit, illam migrasse tradit Ambrosius *epist.* 63 *num.* 66 *tom.* 3 *col.* 1128, *edit. Maurin. Venet.* 1751. Eam vero sequuti sunt Ambrosius, Martinus Turonensis, Paulinus Nolanus, ac præsertim Augustinus, cujus exemplum, uti narrat Possidius *in ejus vit. pag.* 5 *col.* 260 *tom.* 10 *opp. Augustini, edit. Maurin. Venet.* 1730, complures ecclesiæ sequutæ sunt. Certum porro est, Augustinum una cum suis clericis communem egisse vitam; sed iis non alia fuisse videtur regula, quam Evangelium. Consule Thomassinum *vet. et nov. eccles. disciplin. par.* 1 *lib.* 3 *c.* 3; Holstenium *loc. cit. addit.* 7 *pag.* 93; Mabillonium *Annal. Benedict. tom.* 2 *lib.* 23 *num.* 31 *pag.* 170, *edit. Lucæ* 1739, et Cl. Card. Garampium, quem nuper vita

defecit magno damno rei litterariæ *dissert.* 9 *in vit. B. Claræ Ariminensis.*

§. LVII. Ita nati et brevi propagati canonici, qui sub certa regula communem vitam traducebant. Sed cum hæc regula, atque hæc communis vita consequentibus annis pene ubique desiisset, eam instaurare conati sunt viri insignes pietate et doctrina (1), qui monasticis etiam votis suos canonicos obstringi voluerunt; qua in re novi ab antiquis canonicis differebant, quibus suo se patrimonio non abdicare licebat. Cum vero non omnes clerici communem illam ac pene monasticam amplecterentur vitam, hinc aditus patefactus est canonicis, qui sæculares appellantur. Nam regulares sunt, qui sub præposito communem vitam et votis adstrictam agunt, sæculares vero, qui seorsim vivunt, ac perpetuis ecclesiasticis præbendis donati, suaque bona retinentes, servant canonicum institutum, quatenus patitur vita singularis.

(1) Quod in Italia præstiterunt Petrus Damiani, in Gallia Ivo Carnotensis, in Anglia Egbertus Eboracensis, atque alii, qui canonicum institutum monasticis etiam votis obligarunt. Atque hi quidem canonici sub Augustini regula inclaruerunt, quod scilicet ejus clerum pari rerum suarum abdicatione æmulabantur; quoniam Augustinum nullam specialem suis clericis regulam dedisse constat. Confer Thomassinum *loc. cit. cap.* 7 *et seq.*, ac Muratorium *dissertazioni sopra le attichità Italiane dissertat.* 62 *tom.* 3 *par.* 2 *pag.* 20, *edit. Romæ* 1755, atque eruditas Cajetani Cenni in hanc dissertationem notas, ubi late agitur de canonicorum origine et instituto.

§. LVIII. Sensim autem canonici sæculares in omnibus cathedralibus, atque in pluribus etiam inferioribus ecclesiis locum habere cœperunt; eorumque cœtus capitula appellantur; quæ vel *cathedralia*, vel *collegiata* dicuntur, cum nimirum cathedrali, aut aliis inferioribus ecclesiis inserviunt.

§. LIX. Præcipuæ canonicorum partes sunt altari ac divino cultui inservire, et in ecclesia alternis choris divinum officium canere, quod, ut inquit synodus Tridentina (1), facere per se ipsos debent, non *per substitutos*. Cui muneri ut satisfaciant, debent canonici in suis ecclesiis immorari; sed tamen iis quoque anno datur spatium trium mensium, quo abesse possunt ab ecclesiis suis (2). Ultra tres menses abesse nequeunt, nisi qua justa causa eos procul esse cogat, veluti si absint curaturi res ecclesiæ, aut episcopi (3), aut daturi operam in aliquo probato gymnasio sacræ theologiæ, sacrisve canonibus (4). Ex justis causis absentes præbendæ (5) fructus percipiunt, non item quotidianas distributiones, quæ tantum in choro præsentibus accrescunt (6).

(1) Concil. Tridentin. *sess.* 24 *cap.* 12 *de reformat.* Satis autem non est, quod canonici choro intersint, sed etiam debent elata voce officium canere, Benedictus XIV *in constitut.* 103 §. 24 *pag.* 226 *tom.* 1 *ejus Bullar. et constit. Præclara decora* §. 6 *in supplem. num.* 4 *tom.* 3 *pag.* 335.

(2) Concilium Tridentinum *loc. cit.* Sed hoc beneficio frui nequeunt canonici, qui alternis tantum hebdomadibus choro intersunt. Vide Giraldum *exposit. Jur. Pontific. par.* 2 *tom.* 3 *pag.* 1013.

(3) *Cap.* 7 *et* 15 *de Cleric. non resid.* Quod tamen intra duos tantum canonicos cohibendum esse constat ex *cit. cap.* 15, et ex *Constit. Exponi nobis* 286. Urbani VIII *pag.* 149 *tom.* 6 *par.* 1 *Bullar.*

(4) *Cap.* 12 *de Cleric. non resid., cap. ult. de Magistris, concil. Tridentin. sess.* 5 *cap.* 1 *de reform.* In *c.* 22 *de Præben.* nullum definitur tempus, quo canonici abesse possunt ab ecclesiis suis in aliquo probato gymnasio, ut dent operam sacræ theologiæ, sacrisve canonibus; verum in *cap.* 5 *de Magistris*, spatium quinque annorum ejus rei gratia conceditur. Illud monendum est, quod cum integri canonicatus fructus distributionibus constant, vel tertiam earum partem non attingunt, tunc absentes, sive ut doceant, sive ut addiscant sacram theologiam, sacrosve canones, duas tertias consequuntur partes confectas ex

fructibus præbendæ, atque ex distributionibus, reliqua vero tertia pars præsentibus accressit.

(5) Vestimenta, alimenta et cetera, quæ militibus *præbebantur, præbenda,* neutro genere, (ut est a Cujacio animadversum *observat. lib.* 2 *cap.* 23 *opp. tom.* 3 *col.* 37, *edit. Venet.* 1758) appellata sunt *L.* 19 *ff. de testib.* Eadem voce apud ecclesiasticos illa redituum pars designata, quæ datur canonicis, ut ex ea percipiant, quæ sunt ad vitam traducendam necessaria.

(6) *Cap. un. de Cleric. non resid. in* 6. Excipiuntur tamen illi, *quos infirmitas, seu justa et rationabilis corporis necessitas, aut evidens ecclesiæ utilitas excusaret,* qui absentes etiam quotidianas distributiones accipiunt. Sed de his agam copiose Libro II.

LX. Honorantur autem canonici supra ceteros clericos, maxime si sunt canonici cathedralis templi, qui præcipua quædam habent supra canonicos collegiatarum. Singuli canonici dignitatem non habent, quamquam ad eam proxime accedant canonici ecclesiæ cathedralis, ideoque interdum a sede Apostolica judices delegati constituantur (1), sed dignitas est penes corpus universum.

(1) Consule Benedictum XIV *constitut. Quamvis* 28 §. 6 *pag.* 41 *tom.* 1 *ejus Bullarii edit. indic.*

§. LXI. Potestas et jurisdictio capituli ecclesiæ cathedralis sese in primis exserit, vacua sede episcopali; nam tunc ad ipsum omnis transfertur episcopi jurisdictio (1). Quod non alieno mandato, aut delegatione efficitur, sed potius nativo quodam et proprio jure, quod mortuo episcopo in presbyterio reviviscit (2). Ergo omnis ad Capitulum venit ordinaria episcopi jurisdictio : atque ejus est judicare, condemnare, pœnas imponere, cetera demum agere, quæ ordinariæ jurisdictionis sunt.

(1) *Cap.* 11 *et* 4 *de majorit. et obedien.*

(2) « Episcopali sede vacante (inquit card. de Luca *ad concil.*

Tridentin. disc. 31 *num.* 1) de Jure episcopalis jurisdictio atque ecclesiæ administratio devolvitur ad capitulum, non quidem ex aliquo privilegio, vel delegatione, sed ex ratione juris non decrescendi; quia ecclesia cathedralis efformatur conjunctim ab episcopo et capitulo. »

§. LXII. Quam potestatem capitulum exercet per vicarium capitularem, quem intra octo dies post obitum episcopi eligere debet, ne pluribus commissa negotia, segnius et difficilius expediantur. Elapso hoc tempore, jus eligendi transfertur ad metropolitam, et si ecclesia ipsa metropolitana fuerit vel exempta, tunc antiquior episcopus ex suffraganeis in metropolitana, et propinquior episcopus in exempta vicarium constituit (1).

(1) Concilium Tridentinum *sess.* 24 *cap.* 16 *de reformat.*

§. LXIII. Tamen ubi ecclesiam suffraganeam, carentem capitulo, una cum metropolitana vacare contigerit, electio vicarii suffraganei non ad antiquiorem suffraganeum, sed ad capitulum metropolitanum pertinebit (1). Quod si omnes vicarium eligere neglexerint, eum constituit Romanus Pontifex, aut sacra congregatio episcoporum et regularium, ejusque facultates modo angustioribus continentur finibus, modo amplioribus explicantur. Quinimo cum episcopo datus est ab Apostolica sede vicarius, is, etiam illo mortuo, officium retinet, neque tunc ob reverentiam supremæ sedi debitam locus est vicarii capitularis electioni (2).

(1) Consule Benedictum XIV *de synod. diœces. lib.* 2 *cap.* 9 *numero* 2.

(2) Vide Gaudentium *de visit. et jurisd. prælat. t.* 1 *cap.* 5 *dub.* 15 *sect.* 2 *num.* 18, et card. Petram *constit. apostol. ad constit.* 2 *Leonis IX sect.* 5 *num.* 42 *tom.* 1 *pag.* 157, *editione Venet.* 1741.

§. LXIV. Eligendus est vicarius capitularis ex canonicis, si qui inter eos doctores, licentiati jurisque consulti reperiuntur (1). Recte etiam eligitur postremus defuncti episcopi vicarius, vel extraneus, cum nemo est ex canonicis, qui ad hoc munus gerendum aptus et idoneus habeatur. Rite constitutus ex officio dimoveri non potest, nisi justa et sac. congregationi episcoporum ac regularium probata causa sit (2); totamque accipit jurisdictionem, cujus nullam omnino partem sibi capitulum reservare potest (3).

(1) Vicarius capitularis, inquit synodus Tridentina *sess.* 24 *cap.* 16 *de reform.*, eligi debet, *qui saltem in jure canonico sit doctor, vel alias, quantum fieri poterit, idoneus.* Cum autem aliquis inter canonicos aptus et idoneus est ad vicarii officium exercendum, hunc, non extraneum, eligendum esse, respondit sac. congregatio concilii, uti testatur Gaudentius *loc. cit. num.* 16.

(2) Confer Benedictum XIV *de synod. diœces. lib.* 2 *cap.* 9 *num.* 4.

(3) Fuit olim multorum opinio, quod liceret capitulo arctare et constringere vicarii jurisdictionem, ejusque partem sibi reservare; sed nunc communis omnium sententia est, quam etiam probat Benedictus XIV *de synod. diœces. lib.* 4 *c.* 8 *num.* 10, et Giraldus *exposit. Jur. Pontific. par.* 2 *tom.* 3 *pag.* 962, id fieri non posse. Quin etiam multi sentiunt, vicarium capitularem, propter affixam suo officio potestatem, ea quoque recte expedire, pro quibus vicarius generalis episcopo speciali mandato opus habet. Vide Benedictum XIV *loc. cit. lib.* 2 *cap.* 9 *num.* 4.

§. LXV. Multa tamen sunt, quæ, dum vacua est ecclesia, capitulum ejusque vicarius non facit, vel quod non habet potestatem, vel quod ei sacri canones modum constituerunt. Non facit, quæ sunt ordinis episcopalis, quamquam ad ea gerenda recte exteros episcopos advocet; nec porro facit, quæ ex delegatione, aut beneficio summi Pontificis uni episcopo concessa sunt (1). Nihil quoque capitulum, sede vacante, potest innovare ac de juribus episcopalibus diminuere (2); quod proprium est omnium, qui rem gubernant, quæ ad inter-

regnum venit, ut nihil innovent et nihil de juribus detrahant. Itaque, sede vacante, capitulum conjungere, aut dividere beneficia, atque aliquid alienare prohibetur.

(1) Ad cetera, quæ capitulum ejusque vicarius, sede vacante, facere non potest, referendæ sunt etiam Indulgentiæ quæ ab ipsis concedi nequeunt, quamquam earum concedendarum potestas non ad ordinem, sed ad jurisdictionem pertineat. Sane episcopus quadraginta dierum Indulgentias tribuere potest, capitulum vero, ejusve vicarius non potest. Tres hujus rei causas affert Benedictus XIV *de synod. diœces. lib.* 2 *cap.* 9 *num.* 7; *prima*, quod facultas concedendi indulgentias non ita necessaria est pro regimine diœceseos, ut aliquid inde oriatur detrimenti, si ea careat qui ad tempus diœcesim administrat; *altera*, quod hæc facultas extraordinariæ cujusdam jurisdictionis est, quæ tantum pertinet ad dignitatem episcopalem; *postrema*, quod universus indulgentiarum thesaurus penes summum Pontificem est, a quo illius juris pars in solos episcopos conferri potuit, non autem in illos, qui veri non sunt ecclesiarum sponsi verique pastores, sed qui tantum ad tempus diœcesim administrant.

(2) Vide titulum *Ne sed. vacant. aliq. innovit.*

§. LXVI. Ad beneficia quod attinet capitulum, sede vacante, oblatum a patrono clericum recte instituit (1), et recte etiam confert beneficia, quæ conjunctim cum episcopo conferre deberet (2), non item beneficia, quorum libera collatio ad solum episcopum pertinet (3). Denique litteras dimissorias primo anno vacantis ecclesiæ capitulum (4) recte concedit iis, quos beneficium vel acceptum vel accipiendum ordines suscipere cogit, non item reliquis; post annum vero omnibus indiscriminatim (5).

(1) *Cap.* 1 *de Instit. in* 6.

(2) *Cap. unic. Ne sed. vacan. in* 6.

(3) *Cap.* 2 *Ne sed. vacan. aliq. innovet.*

(4) Concilium Tridentinum *sess.* 7 *cap.* 10 *de reform.*

(5) Haud tamen capitulum per se ipsum concedit litteras dimissorias, sed per vicarium capitularem, ad quem tota, uti diximus, capituli jurisdictio defertur. Vide Giraldum *Exposit. Jur. Pontific. par.* 2 *tom.* 3 *pag.* 962.

SECTIO VIII.

De Dignitatibus, Personatibus, Officiis.

LXVII et LXVIII. Quid dignitas, quid personatus, quid officium sit?
LXIX. Canonicus theologus.
LXX. Canonicus pœnitentiarius.
LXXI ad LXXIII. Archidiaconi munus et potestas.
LXXIV et LXXV. Munus et potestas archipresbyteri

§. LXVII.

Sunt e canonicis, qui dignitate, personatu, officio a ceteris distinguuntur. Hujusmodi sunt archidiaconus, archipresbyter, decanus, præpositus, thesaurarius, aliique, qui non solum habent canonicatum, sed etiam quæ ceteris canonicis communia non sunt, aut certum munus, aut honoris prærogativam, aut cum honore jurisdictionem; et officia, personatus, dignitates appellantur. Non idem est in omnibus ecclesiis cathedralibus et collegatis eorum numerus et ratio; ac longum esset de omnibus singillatim dicere.

§. LXVIII. Totum in his rebus conficit usus et consuetudo ecclesiarum. Quare videndum est, quid cuique in singulis datum sit muneris, quid honoris, quid jurisdictionis; et unusquisque, quæ sibi sunt commissæ, partes implere debet. In Italia primam dignitatem plerumque obtinent archidiaconi, in Hispania et Lusitania decani, in Germania præpositi (1). Nos de duobus nominatim agemus officiis, quæ omnes habent ecclesiæ cathedrales, ac de duabus dignitatibus, quibus summam post episcopum auctoritatem decretales attribuunt.

(1) Vide Rigantium *ad regul. cancellar. IV* §. 1 *num.* 20 *et seq.*

§. LXIX. Officia sunt canonici Theologi et Pœnitentiarii. Utrumque instituit concilium Lateranense IV, quod habitum est Innocentio III Pontifice (1), utrumque probavit synodus Tridentina (2), et utrumque omnes ecclesiæ cathedrales et collegiatæ in aliquo insigni oppido existentes habere debent. Est autem canonici Theologi, quem theologiæ laurea donatum esse oportet (3), Sacras Scripturas explicare, aut clericos res theologicas edocere (4); quo munere cum fungitur, præbendæ fructus et quotidianas distributiones percipit, perinde ac choro interesset (5).

(1) *Cap. 4 de Magistris.*

(2) Concilium Tridentinum *sess. 5 cap. 1 de reform.* non modo theologi officium retineri voluit in iis ecclesiis, in quibus jam erat institutum, sed etiam addidit, quod « In ecclesiis metropolitanis, vel cathedralibus, si civitas insignis vel populosa, ac etiam collegiatis existentibus in aliquo insigni oppido, etiam nullius diœcesis, si ibi clerus numerosus fuerit, ubi nulla præbenda, aut præstimonium, seu stipendium hujusmodi deputatum reperitur, præbenda quomodocumque, præterquam ex causa resignationis, primo vacatura, cui aliud onus incompatibile injunctum non sit, ad eum usum ipso facto perpetuo constituta et deputata intelligatur. » Similiter pœnitentiarium *in omnibus cathedralibus ecclesiis, ubi id commode fieri poterit, cum unione præbendæ, proxime vacaturæ, ab episcopo institui* jussit synodus Tridentina *sess. 24 cap. 8 de reform.* Testatur autem Van Espen *part. 1 tit. 12 cap. 5* §. 13, quod in locis quibusdam pœnitentiarius non merum officium, sed dignitas habeatur, ita tamen ut novissimum inter dignitates locum obtineat. Similiter theologum inter dignitates recenset ipse Van Espen *loc. cit. tit. 11 cap. 6.* Verum id vel fundationis lege, vel peculiari locorum consuetudine factum est; nam theologum et pœnitentiarium merum esse officium respondit sac. congregatio concilii *in Murana 12 aprilis 1699*, et in *Senen. pœnitentiariæ 16 april. 1691.*

(3) Consule Benedictum XIV *instit. eccles. 57 num. 5.*

(4) Benedict. XIV *de synod. diœces. lib. 13 cap. 9 num. 17* canonicum Theologum suo muneri satisfacere animadvertit, sive

in Sacra Scriptura, sive in theologia scholastica explicanda versetur. Quibus autem diebus lectio theologalis habenda sit, expresse non edixit synodus Tridentina; verum qua hora quibusve diebus, tum super quo Sacr. Scripturæ libro conficienda sit lectio, episcopi arbitrio relictum voluit sacr. congregatio concilii apud Garziam *de Benefic. par.* 3 *cap.* 7 *num.* 155. Multa etiam de theologi officio habet Giraldus *exposit. Jur. Pontific. par.* 1 *lib.* 5 *tit.* 5 *tom.* 2 *pag.* 595 *et seq.*

(5) Vide Benedictum XIV *instit. ecclesiast.* 107 §. 9 *num.* 55, et Giraldum *loc. cit. par.* 1 *tom.* 1 *lib.* 3 *sect.* 358 *p.* 244 *et seq.*

§. LXX. Suppar est institutione theologo pœnitentiarius, cujus est audire confessiones, atque is similiter, dum hoc agit, tamquam præsens in choro habetur. Sit autem oportet sacræ theologiæ, aut Juris canonici laurea insignitus, et annos saltem quadraginta natus, nisi aliud loci ratio et necessitas, aut utilitas ecclesiæ postulet (1). Neuter eorum habet dignitatem aut personatum, sed unusquisque sedet in choro, servato ordine collationis possessionisque antiquioris, nisi quid aliud consuetudo velit; et utrumque officium, concursu adhibito, conferendum est (2).

(1) Concilium Tridentinum *dict. sess.* 24 *cap.* 8 *de reformat.*
(2) Benedictus XIII in constitut. *Pastoralis officii* 69 *tom.* 11 *pag.* 414 *bullarii*, quæ constitutio pro Italia insulisque adjacentibus edita est.

§. LXXI. Decretales recensent potissimum inter dignitates archidiaconatum et archipresbyteratum, quibus post episcopum summam auctoritatem tribuunt. Archidiaconi ex ordine diaconorum erant, sed eorum principes, et ratione habita meritorum (1), ab episcopo, ut plurimum, eligebantur (2). Ordine inferiores erant archipresbyteris, jurisdictione tamen superiores (3). Sed cum absurdum videretur, non presbyteros presbyteris præstare, iis demum est imposita necessitas presbyteratus (4).

(1) Male Salmasius archidiaconum dictum putat, qui ordinatione esset antiquior; nam ille eligebatur, quem diaconi *industrium noverant*, uti loquitur Hieronymus *epist.* 146 *num.* 1 *col.* 1076 *tom.* 1, *edit. Vallarsii*, et vero Theodoritus *lib.* 1 *cap.* 26 *pag.* 59, *edit. Valerii Cantabrigiæ* 1720, Athanasium diaconum, etsi junior esset, principem ordinis diaconorum appellat.

(2) A diaconis archidiaconum electum videtur tradere Hieronymus *loc. cit.*; sed complurima sunt exempla eorum, qui ab episcopis archidiaconi sunt constituti. Ita Laurentium Sixtus et Serapionem Chrysostomus archidiaconum elegerunt, Ambrosius *lib.* 1 *de Off. cap.* 41 *tom.* 3 *pag.* 64 *edit. Maurin. Venet.* 1751; Sozomenus *lib.* 8 *cap.* 9 *pag.* 557 *cit. edit. Valesii.* Vide Selvaggium *Antiquit. christian. lib.* 1 *par.* 2 *cap.* 2 §. 4.

(3) Isidorus apud Gratianum *can.* 1 *dist.* 25 *archipresbyter vero*, inquit, *se esse sub archidiacono ejusque præceptis, sicut episcopi sui, sciat obedire.* Observant Romani correctores verba hæc non exstare in ipsa Isidori epistola, neque apud Burchardum *lib.* 3 *Decret. cap.* 50, neque apud Ivonem *in Pannormia lib.* 3 *cap.* 41, ubi hæc epistola refertur. Extant tamen in decreto Ivonis *par.* 6 *cap.* 20, ex quo forte Gratianus ea desumpsit, atque in decretum transtulit. Atque ex hoc Gratiani loco desumptum fortasse est *cap.* 1 *de Offic. archipresbyt.*, quod tribuitur concilio Toletano, et tamen nullum est Toletanum concilium, in quo illa occurrant verba de archidiaconi supra archipresbyterum potestate.

(4) Celebres sunt litteræ Hincmari Rhemensis ad archidiaconos presbyteros.

§. LXXII. Amplissima olim erat potestas archidiaconi (1), qui episcopi vicarius erat a jure constitutus et ejus etiam *oculus* dicebatur (2), propter latam administrationem et in rebus gerendis potestatem, quæ omnia fere, exceptis sacramentalibus muneribus, comprehendebat. Is enim collector olim oblationum, redituum, atque universæ pecuniæ ecclesiasticæ præbendas, partesque suas tribuebat clericis, pauperibus, ecclesiæ fabricæ; mittebat in possessionem eos, qui beneficia acceperant; quos nosset idoneos ad ordines et beneficia, episcopo offerebat: atque omnes fere noscebat definiebatque causas fori episcopalis (3). Et

licet initio archidiaconi hæc fere omnia gererent mandato arbitrioque episcopi, tamen deinceps eo usque progressi sunt, ut propriam atque ordinariam obtinerent jurisdictionem, quæ pridem erat delegata, ac jura etiam invaderent, quæ propria erant episcoporum (4).

(1) Isidorus Hispalensis in *can.* 1 *dist.* 23 *et can.* 20 *dist.* 55 late discribit archidiaconi jura, quæ sua ætate obtinebant. Ea vero diu perseverasse lapsuque temporum aucta etiam fuisse, ostendit decretalium titulus de *Offic. archidiac.*

(2) *Can. diaconi* 6 *edist.* 93. Conc. Trident. *cap.* 12 *sess.* 24 *de reform. archidiaconus post episcopum sciat, se vicarium ejus esse in omnibus,* scriptum est *in cap.* 1 *de Offic. archid.*

(3) Confer Thomassinum *par.* 1 *lib.* 2 *cap.* 17 *et seq.*

(4) Synodaticum, procurationes, aliaque id genus archidiaconi capiebant, Petrus Blesensis *epist.* 51 *pag.* 257 *edit. Paris.* 1667, Concil. Lateranense *in cap.* 6 *et* 25 *de Censib.*

§. LXXIII. Tantum hanc archidiaconorum potestatem episcopi tollendam, aut minuendam curarunt; et nunc vix ejus umbra et imago superest. Synodus Tridentina archidiaconis, aliisque inferioribus prælatis judicium ademit causarum matrimonialium et criminalium, quas episcopo reservavit (1); ipsis vero reliquit jus visitandi ecclesias, quas antea visitare consueverant, modo id faciant per semetipsos, et cum consensu episcopi, cui debent intra mensem rationem reddere peractæ visitationis atque integra acta exhibere (2).

(1) Tridentinum *cap.* 20 *sess.* 24 *de reform.*, quo decreto etiam beneficiales majoresque causas comprehendi, omnes fere arbitrantur. Eadem synodus *c.* 14 *sess.* 25 *de reform.* speciatim vetuit archidiaconos clericorum de impudicitia causas cognoscere.

(2) Tridentinum *cap.* 3 *sess.* 24 *de reform.*

§. LXXIV. Nunc omne archidiaconi munus eo re-

dactum est, ut adsistat episcopo, cum generales ordinationes conficit vocetque eos, qui ordines suscepturi sunt (1). Cumque archidiaconi nunc amplius non sint vicarii nati episcopi, tanta hodie in singulis inest auctoritas, quanta vel episcopi mandato vel ecclesiæ statuto, vel diuturna consuetudine data est (2). Diaconatus autem ordine insignitos esse oportet archidiaconos (3), eosque synodus Tridentina (4) in omnibus ecclesiis, in quibus fieri potest, magistros in theologia, seu *doctores*, aut *licentiatos* in jure canonico esse jubet.

(1) Benedictus XIV *in constit. Ex quo dilectis* 25 *pag.* 107 *tom.* 2 *ejus bullar. indicat. edit.*
(2) *Cap.* 4 *et* 5 *de Off. archid.*, Conc. Trident. *cap.* 3 *sess.* 24 *de reform.*
(3) *Can.* 1 *dist.* 60.
(4) Concil. Trident. *cap.* 12 *sess.* 24 *de reform.*

§. LXXV. Archipresbyter est princeps presbyterorum, eaque dignitate donabantur interdum qui ætate, interdum qui sapientia præstarent (1). Si suo fungatur munere archipresbyter in cathedrali, sive in civitate, urbanus dicitur, si in minoribus oppidis, ruralis appellatur. Urbani archipresbyteri officium respicit sacramentorum administrationem, forique interni jurisdictionem; atque ejus præsertim est præsentis episcopi curam levare et vices agere absentis in iis omnibus, quæ sacerdotalis officii sunt (2).

(1) Antiquiores ordinatione apud latinos archipresbyteros constitutos fuisse constat ex S. Leone M. *epist.* 19 *col.* 733 *et seq. tom.* 1, *edit. Ballerin. Venet.* 1755, apud græcos eos, qui virtute præstabant, ostendit Thomassinus *par.* 1 *lib.* 2 *cap.* 3 *num.* 3. Sed idem interdum etiam a latinis factum est. Unaquæque ecclesia suum habebat archidiaconum et archipresbyterum, uti docet S. Hieronymus *epist. ad Rusticum Monach.* 125 *col.* 956 *tom.* 1 *opp. edit. Vallarsii Veronæ* 1734. *Singuli ecclesiarum episcopi, singuli archipresbyteri, singuli archidiaconi.*
(2) *Cap.* 1, 2, 3, *de Offic. archipresbyt.*

§. LXXVI. Ruralis est *imperiti vulgi sollicitudinem gerere et presbyterorum, qui per minores titulos,* hoc est ecclesias *habitant,* puta parochorum, *vitam jugi circumspectione custodire, et qua unusquisque industria divinum opus exerceat, episcopo renunciare* (1). Nunc omnis archipresbyteri auctoritas pendet ex mandato episcopi, ex statuto ecclesiarum, ex consuetudine. Et cum plerumque archipresbyter adjunctam habeat curam animarum, hinc hujusmodi beneficia, in quibus hoc onus inest, nemo consequi potest, nisi saltem vigesimum quintum ætatis annum attigerit, atque idonea scientia et morum integritate commendetur (2).

(1) *Cap. 4 de offic. archipresbyt.* Synodus Regiaticina *an.* 850 *c.* 15 apud Labbeum *tom. 9 col.* 1070 *edit. Venet.*

(2) *Cap. 7 de Elect.*

SECTIO IX.

De Vicariis.

LXXVII. Vicarius generalis, ejusque origo.
LXXVIII. Quomodo ab episcopo constituatur?
LXXIX. In Italia unus constitui solet vicarius, alibi vicarius et officialis.
LXXX. Quæ jurisdictio sit vicarii generalis?
LXXXI. Qui vicarii munere fungi possint?
LXXXII. Quomodo exspiret vicarii jurisdictio?
LXXXIII. Vicarii foranei.
LXXXIV. Vicarii parochorum.
LXXXV. Vicarii nati.
LXXXVI. Vicarii apostolici.

§. LXXVII.

Cum archidiaconis adempta est ampla illa potestas, quam pridem a jure habebant, episcopi elegerunt vicarios, quorum auctoritas a suo arbitrio et voluntate penderet. Id vero factum est medio illo tempore, quod inter Gregorianam et Bonifacianam collectionem excurrit (1). Est autem vicarius, qui vices gerit episcopi, et *generalis* dicitur, quoniam ejus potestas fertur in diœcesim universam.

(1) Vicarios tantum constitui cœpisse sæculo XIII ex eo conficit Thomassinus *par.* 1 *lib.* 2 *cap.* 8 *tom.* 1 *pag.* 152 *ed. cit.*, quod nulla sit eorum mentio in Gratiani decreto et nulla in decretalibus Gregorii IX. Itaque eorum originem repetit a concilio Lateranensi IV, ubi Innocentius III et ceteri Patres hortantur episcopos, ut si expedire nequeant per se negotia universa, eligant presbyteros, quorum in iis vicariam supponant fidem. Tandem addit, exeunte sæculo XIII ubique receptos vicarios generales, et hinc in VI decretalium libro titulus est *de Officio vicarii,* in quo totum ejus munus explicatur.

§. LXXVIII. Vicarius non habet beneficium, sed habet munus, et muneri adjunctum honorem cum jurisdictione, cujus fines episcopi arbitrio constituuntur. Nam ut vicarius ab episcopo eligitur, ita omnem ab eo accipit jurisdictionem (1). Itaque episcopus suo lubitu potest aut electum vicarium removere, aut unum, vel plures, vel etiam nullum eligere, cum ipse sine aliena ope suo per se munere fungi potest (2). Ubi plures constituti sunt, iique *in solidum*, antefertur potestas ejus, qui primus negotium aliquod occupavit; ubi inter singulos divisa sunt officia, intra eorum fines continere se unusquisque debet.

(1) Num ordinaria, an delegata sit Vicarii generalis jurisdictio, vetus quæstio est, quæ ingenia canonistarum exercet. Qui eam ordinariam esse arbitrantur, his fere argumentis nituntur: quod vicarius numquam delegatus in decretalibus appellatur; quod potest causas nonnullas alteri delegare, cum id delegato non liceat; quod denique semel constitutus suo jure exercet ea, quæ sunt episcopalis jurisdictionis. Sed multa tamen argumenta sunt, ex quibus confici videtur posse, Vicarii jurisdictionem delegatam esse, non ordinariam. Tota enim pendet ab arbitrio nutuque episcopi, qui suo lubitu vicarium constituit et removet, in eumque vel minorem vel majorem confert potestatem. Rursus vicarii tribunal unum idemque est cum tribunali episcopi; eoque mortuo, aut dignitate moto, omnem vicarius amittit jurisdictionem, quæ proinde alia non est, quam ipsa episcopi mandata, vel delegata jurisdictio. Verum si vicarii jurisdictionem ordinariam dicimus, quod ipse eam exercet propter officium, quod jure probatum est, et ideo jurisdictionem ipsam non tam ab homine, quam a jure habere videatur, hoc quidem sensu eam ordinariam appellari posse, non inficiabor.

(2) Si episcopus suum recte munus per se ipsum obire potest, nullam habet necessitatem eligendi vicarium, quod et res ipsa declarat et ostendit historia eorum temporum, quibus episcopi ipsi per se solos episcopatum gesserunt; habet omnino, ut suo satisfaciat muneri, si ei solus impar sit. Ita paucis expedire videtur posse vetus controversia, in qua plerique canonistarum et theologorum otio ac tempore abusi sunt.

§. LXXIX. In Italia unus constitui solet vicarius, cui committitur administratio rerum spiritualium et simul etiam contentiosa jurisdictio (1). Sed in Gallia aliisque ultramontanis regionibus officialis a vicario distinguitur. Vicarii potestas ea complecitur, quæ voluntariæ jurisdictionis sunt, officialis autem, quæ sunt jurisdictionis contentiosæ.

(1) Sequitur hanc Italiæ consuetudinem synodus Tridentina *sess.* 24 *cap.* 16 *de reform.*, ubi officialem cum vicario confundit.

§. LXXX. Igitur Italiæ more transit in constitutum vicarium ordinaria episcopi jurisdictio, sed non transit potestas gerendi ea, quæ peculiare mandatum postulant et quæ uni episcopo servantur. Propterea sine speciali mandato non cognoscit causas criminales, in quibus in reum criminis gravius est animadvertendum (1), non item, ut plerique sentiunt (2), causas matrimoniales; non confert beneficia (3), neque iis permutandis, uniendis, erigendis consensum impertitur (4), sed instituit præsentatos a patronis, et judicat causas beneficiarias de jure patronatus, deque ejus quasi possessione (5); non visitat diœcesim, neque synodum cogit (6), excepto vicario Romani Pontificis, cui licet habere synodum diœcesanam cleri Romani (7); non indicere collegium canonicorum, eique interesse, ac ferre suffragium potest (8); non absolvit a casibus episcopo reservatis (9), neque tollit irregularitates, quæ ex occulto crimine procedunt (10), non denique concedit litteras dimissorias, nisi episcopus in longinquis regionibus diu commoretur (11). Eoque minus vicarius generalis aliquid attingere potest eorum, quæ sunt ordinis episcopalis.

(1) *Cap.* 2 *de offic. vicar. in* 6.
(2) Confer Barbosam *ad concil. Trident. sess.* 24 *c.* 20 *de*

reform. num. 57, ubi plures, qui utramque tuentur sententiam, afferuntur.

(3) *Cap.* 3 *de Offic. vicar. in* 6.

(4) *Cap.* 5 *de Rer. permut.*

(5) *Cap.* 3 *de Instit.*

(6) Ita respondit sac. congregatio concilii die 4 decembr. 1655, uti patet *ex lib.* 19 *Decretor. pag.* 543 *a tergo.* Confer Altaserram *in vindic. eccles. jurisdict. lib.* 7 *cap.* 5; Fagnanum *in cap. sicut olim. num.* 11 *de accusat.;* Leurenium *tract.* 1 *de potest. vicar. episc. cap.* 3 *quæst.* 168 §. 9.

(7) Benedictus XIV *de synod. diœces. lib.* 2 *c.* 3 *num.* 3 *et* 4.

(8) Concil. Trident. *sess.* 25 *cap.* 6 *de reform.*

(9) *Cap.* 2 *de Pœnit. et Remission. in* 6.

(10) Concil. Trident. *sess.* 24 *cap.* 6 *de reform.*

(11) *Cap.* 3 *de Tempor. ordinat. in* 6.

§. LXXXI. Vicarii munus recte obeunt omnes clerici tonsura initiati; sed ab eodem arcentur clerici conjugati, minores annis vigintiquinque (1), parochi, canonici pœnitentiarii et ceteri, qui curam habent animarum, demum imperiti; et ideo necesse est, quod vicarius generalis vel sacræ theologiæ, vel juris canonici lauream obtinuerit (2), nisi aliunde viri peritia manifesto constet (3).

(1) Vide Barbos. *de jur. eccles. lib.* 1 *cap.* 15 *et seq.*

(2) Plura ea de re sunt decreta sacr. congregationis episcoporum et regularium apud Pellegrin. *par.* 1 *cap.* 1 *num.* 9.

(3) Concil. Trident. *sess.* 24 *cap.* 16 *de reform.*, ubi cautum est, ut vicarius tam episcopi, quam Capituli *saltem in jure canonico sit doctor, vel licentiatus, vel alias, quantum fieri poterit, idoneus.* Vide card. de Luca *disc.* 31 *ad concil. Tridentin.*, ubi decretum laudatur sacr. congregationis episcoporum et regularium.

§. LXXXII. A vicario generali ad episcopum provocare non licet, cum utriusque tribunal unum idemque sit. Expirat autem vicarii jurisdictio, vel si ipse eo munere sese abdicet, vel si ab episcopo removeatur, vel si ipsa episcopi jurisdictio aut obitu, aut pœna, aut alio quovis modo extinguatur.

§. LXXXIII. Solent episcopi *foraneos* etiam habere vicarios in oppidis diœcesis suæ, qui mandata ab episcopo potestate fruuntur, quæ loco circumscribitur et plerumque pertinet ad res peculiares. Hi propter locorum distantiam tribunal habent ab episcopo discretum et separatum, ideoque ab iis ad episcopum recte provocatur. Eo munere fungebantur olim chorepiscopi (1), archidiaconi (2), archipresbyteri et decani rurales (3); sed translata archidiaconi potestate ad vicarium generalem, instituti videntur vicarii foranei, quos memorat Innocentius IV in concilio Lugdunensi (4), et Clemens V in Viennensi (5).

(1) Vide Juenin *de Sacramen. dissert.* 9 *quæst.* 2 *cap.* 4.

(2) Sigebertus *in Chronico* de Damaso II, qui Pontificatum tenuit sæculo XI, scribens: « Damasus, inquit, Papa decrevit, ne quid contra episcopos præsumant archidiaconi, qui dicuntur chorepiscopi, id est, villarum et regionum episcopi. » Concilium Londinense an. 1237 *can.* 2 *tom.* 13 *col.* 1401 *collect. Labbei* decrevit, ut archidiaconi. « In suorum decanatuum conventibus sacerdotes maxime in his studeant erudire, docentes eos, qualiter circa baptismum, pœnitentiam, eucharistiam et matrimonium debeant se habere. » Vide Thomassinum *par.* 1 *lib.* 2 *cap.* 7 *num.* 1 *et* 2 *tom.* 1 *pag.* 130, *edit. cit.*

(3) Innocentius III *in cap.* 7 *de Offic. archidiac.* memorat *decanos rurales* vices gerentes vel episcopi, vel archidiaconi urbani, vel utriusque, quos vel alteruter, vel uterque suo lubitu constitueret atque amoveret. Emmanuel Gonzalez in notis ad hunc locum, verbo *rurales*, interpretatur eos esse archipresbyteros.

(4) *Cap.* 1 *de Offic. ordin. in* 6.

(5) *Clem.* 1 *de Rescript.*

§. LXXXIV. Sunt et vicarii, qui vel perpetuo, vel ad tempus constituti animarum curam administrant, quæ *habitu*, uti vocant, penes alios est propter ecclesiam parochialem, quæ ipsorum ecclesiis, monasteriis, collegiis, locisque piis conjuncta est (1). His certa fructuum portio ex ipsius ecclesiæ reditibus detrahenda episcopi arbitrio tribuitur (2). Sæpe etiam episcopus,

cum simili fructuum portione, constituit vicarios vel ad tempus, vel perpetuo, qui parochi absentis, impediti imperitive vices gerant (3). Vicarii perpetui propriam interdum habent ecclesiam, quæ *filialis* dicitur, respectu habito ad matrem ecclesiam, quæ est titulus parochi, cui subjiciuntur.

(1) A capitulis et monasteriis, uti monet Benedictus XIV *de synod. diœces. lib.* 12 *cap.* 1 *num.* 2 constitui solent vicarii *temporarii, ad nutum amovibiles,* qui animarum curam exerceant in parochiis, quæ iisdem capitulis, sive monasteriis unitæ sunt, a quibus tamen secundum jus commune etiam sine causa removeri possunt, modo procul sit dolus et omnis odii causa.

(2) Concilium Tridentinum *sess.* 7 *cap.* 7 *de reformat.* Arbitrium hoc episcopi arctavit S. Pius V *in Constitut. Ad exequendum* 68 *pag.* 401 *tom.* 4 *par.* 2 *bullarii;* sed illud postea pro ratione locorum et temporum restituit Benedictus XIV *constitut. Cum semper* 103 §. 10 *pag.* 224 *tom.* 1 *ejus bullarii, edit. Romæ* 1754.

(3) Concilium Tridentinum *sess.* 21 *cap.* 6 *et sess.* 25 *cap.* 16 *de reform.*

§. LXXXV. Nec prætereundi vicarii nati, quorum potestas non ab arbitrio pendet episcopi, sed a lege, quæ illorum beneficiis illam perpetuo conjunxit. Archipresbyter et archidiaconus sunt vicarii nati episcoporum, et vicarios perpetuos, quorum nunc facta mentio est, vicarios natos parochorum possumus appellare.

§. LXXXVI. Sunt denique vicarii apostolici, quos constituit sedes Apostolica (1), sive cum metus est, ne diutius ecclesia pastore careat, sive cum turbas et dissidia fore prospicitur in vicarii capitularis electione, vel cum episcopus senio, aut alia de causa suum recte munus gerere non potest, vel demum cum episcopus ab administratione suspenditur, aut etiam removetur. Eliguntur autem hi vicarii interdum cum charactere episcopali, atque hi creantur episcopi

in partibus infidelium, interdum sine hoc charactere; eorum vero potestas noscenda est ex litteris apostolicis, quibus suum officium acceperunt.

(1) Sixtus V *in Constit.* 117 *tom.* 4 *par.* 4 *pag.* 399 *bullarii*, sacræ Congregationi episcoporum et regularium facultatem dedit eligendi vicarios apostolicos, quando eos ecclesiarum necessitas postularet.

SECTIO X.

De Parochis et reliquo Clero.

LXXXVII ad LXXXIX. Parœciarum institutio.
XC. Parochorum officia. Missa pro populo.
XCI. Divini verbi prædicatio.
XCII. Sacramentorum administratio.
XCIII. Officium reliquorum clericorum.

§. LXXXVII.

Inter eos, qui episcopo opem ferunt in procuratione diœceseos, nobile in primis est officium parochorum, qui semel ab episcopo constituti jure proprio concrediti sibi populi curam exercent (1). Per tria fere priora ecclesiæ sæcula nulla in ecclesiasticis monumentis eorum mentio est (2). Una in principe diœceseos civitate erat ecclesia, ad quam christiani omnes non modo urbis, sed etiam vicinorum oppidorum die solis, hoc est dominico, confluebant; et præsentibus quidem distribuebatur Eucharistia, ad absentes per diaconos mittebatur (3). Huic ecclesiæ, quæ cathedralis erat, ipse præerat episcopus, qui suum habebat senatum et presbyterium (4), hoc est illi addictos presbyteros, quorum erat epis-

copo dare operam in ecclesiæ regimine et administratione.

(1) Parochos a Christo ipso fuisse institutos, ut una cum episcopis, subjecta tamen ipsis potestate, ecclesiam regerent, quorumdam opinio est; et id quidam demonstrari vellet libro, qui ex Gallico in Italicum sermonem conversus Florentiæ prodiit an. 1783 cum titulo: *L'instituzione divina de' Parochi, e loro diritto al governo generale della Chiesa.* Eadem est sententia Petri Tamburini in libro, cujus titulus: *Vera idea della S. Sede.* Verum quam falsa hæc opinio sit, satis ostendit ipsa parochorum origo, quæ certe III sæculo antiquior non est. Imo in civitatibus ante annum Christi millesimum nullos fuisse parochos, ostendit Marius Lupus Bergomensis *de parochiis ante annum Christi millesimum.* Certe antiquiori ætate nulli erant hujusmodi presbyteri, qui proprium haberent officium regendi populum, sed episcopus unum aut alterum eligebat sacerdotem, cui modo unam, modo alteram populi partem committebat et cui adimebat officium eodem arbitrio, quo dederat. Nemo enim, uti nunc parochi sunt, certo erat addictus populo, quem perpetuo regeret jure officii sui; dabat episcopus subditos cuivis presbytero, dabat quamdiu et quos vellet, neque ulla erat injuria presbytero, a quo episcopus repetebat subditos suos, quos vel ipse per se regeret, vel alteri presbytero regendos committeret. Lapsu temporum maluerunt episcopi parochos eligere, hoc est presbyteris quibusdam certam populi partem perpetuo regendam committere; atque ita parochorum potestas ab episcopali ordine, tamquam a fonte, procedens instituta est; sed ita tamen instituta, ut hujusmodi presbyteri in rebus omnibus ab episcopo penderent, ac nihil agerent sine mente aut conscientia episcopi, ut inquit concilium Laodicenum *can.* 57 apud Labbeum *tom.* 1 *concil. col.* 1539 *edit. Venet.*, et Toletanum I *can.* 20 *col.* 1474 *tom.* 2. Nam constans est Patrum regula, presbyteros in rebus omnibus episcopo obnoxios esse oportere, neque eorum, quæ ad ecclesiam pertinent, quidquam sine episcopo ab illis esse faciendum. « Necessarium itaque est, inquit S. Ignatius Martyr *epist. ad Trallian. num.* 2 apud Cotelerium *PP. Apostol. tom.* 2 *pag.* 22, *edit. Antverp.* 1698, quemadmodum facitis, ut sine episcopo nihil agatis. » *Et ad Philadelph. num.* 7 *pag.* 32: « Testis autem mihi is est, in quo vinctus sum, quod a carne humana non cognoverim; sed Spiritus annunciavit, dicens ita: sine episcopo nihil facite. » *Et ad Smyrn. num.* 8 *pag.* 37. « Sine episcopo nemo quidquam faciat

eorum, quæ ad ecclesiam spectant. Rata Eucharistia habeatur illa, quæ sub episcopo fuerit, vel cui ipse concesserit.... Non licet sine episcopo, neque baptizare, neque agapen celebrare; sed quodcunque ille probaverit, hoc et Deo est beneplacitum, ut tutum ratumque sit quodcumque agitur. » Idem docent Tertullianus *de Baptism. cap.* 17 *pag.* 230, *edit. Venet.* 1744; S. Cyprianus *epist.* 27 *lapsis col.* 95, *edit. Venet.* 1758; S. Hieronymus *Dial. advers. Luciferian. num.* 9 *opp. tom.* 11 *col.* 181, *edit. Vallarsii Veronæ;* S. Cœlestinus I *epist.* 27 *ad episc. Galliar. cap.* 1, apud Coustantium *col.* 186; demum cuncti Patres. Confer etiam canonem apostolorum 40 apud Cotelerium *loc. cit. pag.* 443; Concilium Gangrense *can.* 6 apud Labbeum *tom.* 2 *concil. col.* 442, *edit. Venet.;* Antiochenum *can.* 24 *ib. col.* 603. Qui divinitus parochos institutos putant, eorum originem repetunt a 72 discipulis, quos Christum Sacerdotes fecisse arbitrantur. Verum hi discipuli missi quidem sunt in omnem locum et civitatem, quo Christus erat venturus, ad animos ejus adventui præparandos, sed neque erant sacerdotali charactere insigniti, neque ipsis erat tributa potestas regendi populos, neque electi ad sacramenta administranda, cum potestas clavium nonnisi in Petrum et apostolos a Christo collata fuerit. Itaque procul aberant discipuli ab iis, quæ proprie parochum constituunt. Sane ex septuaginta duobus discipulis septem viri electi sunt, quos apostoli manuum impositione diaconos ordinarunt, *Act. Apostol. cap.* 6. Quomodo igitur iidem a Christo sacerdotes creati esse poterant? S. Epiphanius *hæres.* 20 *num.* 4 *lib.* 1 *tom.* 1 *pag.* 50, *edit. Coloniæ* 1682, id rectissime animadvertit, inquiens: *præter* (apostolos) 72 *alios ad eamdem functionem allegat, e quibus septem illi fuere, qui ad viduarum obsequium delecti sunt. Stephanus, Philippus etc.*, qui quidem Philippus ad Christi fidem convertit Samaritanos, diuque post Christi Ascensionem ad cœlum, diaconus erat. Dionysius Petavius *de ecclesiast. hierarch. lib.* 3 *cap.* 16 *num.* 2 *tom.* 6 *Theolog. dogmat. pag.* 171, *edit. Venet.* loquitur de missione, quam septuaginta duo discipuli a Christo acceperunt, nullam autem in hac missione ordinis aut jurisdictionis potestatem agnoscit. « Prior ista missio, inquit, nullam aliam quam prædicandæ pœnitentiæ, ac tam doctrina, quam miraculis præparandi ad Christi fidem populi, facultatem illis indidit; non regendi gubernandive jus ullum, aut potestatem sive ordinis, quam sub cœnam ultimam contulisse creditur, sive jurisdictionis, quam post resurrectionem suam reipsa et, ut loquuntur, actu tradidit. » Petrus Paludanus *de Cans. immediat. eccles.*

potest. latissime ostendit, 72 discipulos haud fuisse sacerdotes a Christo constitutos, idque ex eo præsertim conficit, quod illi ab apostolis diaconi ordinati fuerunt *ib. art.* 3. Facile ex his intelligitur, quam leve et infirmum sit fundamentum, quo nititur opinio eorum, qui presbyteros ac præsertim parochos 72 Discipulorum locum tenere existimant; unde repetunt jura parochorum, quos pene episcopis pares faciunt. Late hoc argumentum persequitur Corgnius peculiari dissertatione, quam descripsit II tomo operis, quo jura defendit episcoporum; et vide etiam Bolgenium, *esame della vera idea della S. Sede pag.* 7 *et seq.*, atque auctorem operis *de l'autorité des deux puissances tom.* 2 *par.* 3 *cap.* 1 *par.* 3. Ad hæc autem, quæ dixi, adverti diligenter volo, ut omnibus pateat, quæ vera sit animi mei sententia de parochorum origine et jurisdictione, quam ipsis committi arbitror ab episcopis, quos Christus ecclesiæ rectores constituit. Nam scriptores annalium ecclesiasticorum Florentiæ, quod superiori loco scripsi, presbyteros interdum appellari *sacerdotes secundos* aut *secundi ordinis*, ut distinguantur ab episcopis, qui *summi sacerdotes* aut *sacerdotes primi ordinis* dicuntur, exinde conficere se posse censuerunt, me sectari falsam sententiam illorum, qui a Christo repetunt parochorum jurisdictionem. Ego vero me ab hac sententia quam longissime abesse profiteor, idque satis me significasse arbitror argumentis illis, quæ mox attuli et scriptoribus, quos ne præter institutum meum longior essem, indicavi. Presbyteros vocavi *sacerdotes secundos*, non quod in iis aliquam agnoscerem jurisdictionem ab episcopo non delegatam, sed tantum ut eos distinguerem ab episcopis, qui sunt *sacerdotes summi*, et quorum est in sua ecclesia jurisdictio. Atque hoc sensu Patres *sacerdotes secundos* presbyteros vocant.

(2) Sane in epistolis Ignatii ac Cypriani, in epistola Dionysii Corinthiorum episcopi ad Soterem P. apud Eusebium, *histor. eccles. lib.* 4 *cap.* 23 *pag.* 159 *edit. Taurin.* 1746, in epistola, quam Cornelius P. *ad Fabium Antiochenum* dedit apud Coustantium *col.* 146, itemque in canonibus apostolorum tantum maximarum urbium ecclesiæ memorantur. Si quando *parochiæ* vox occurrit, ea diœcesis universa comprehenditur; quoniam antiquitus παροικια et διοικησις eamdem significationem habebant, Eusebius *histor. eccles. lib.* 2 *cap.* 24 *pag.* 75 *edit. Taurin.* 1746; Alexander *epist. encycl.* apud Socratem *histor. eccles. lib.* 1 *cap.* 6 *pag.* 9 *edit. Taurin.* 1646; Epiphanius *epist. ad Joan. Hierosolym. opp. tom.* 2 *pag.* 313, *edit. Coloniæ* 1681; concilium Ancyranum *can.* 18 apud Labbeum *concil. tom.* 1 *col.* 1491, *edit. Venet.*, et Antiochenum *can.* 9 *ib. tom.* 2 *col.* 590.

(3) S. Justinus M. *Apol.* 1 *num.* 67 *pag.* 83, *edit. Maurin. Paris.* 1742.

(4) In hoc tamen presbyterio suum etiam diaconi habebant locum, qui ea gerebant, quæ sui ordinis propria erant, uti observat Thomassinus *vet. et nov. eccles. disciplin. par.* 1 *lib.* 2 *cap.* 22 *num.* 2.

§. LXXXVIII. Cum aucto christianorum numero, plures in una civitate ecclesiæ conditæ sunt, ad eas episcopus diebus dominicis mittebat ex ecclesia cathedrali presbyteros, quorum erat sacra obire munera et præesse populo, qui ad ecclesias illas confluebat. Verum hi presbyteri non erant perpetui rectores harum ecclesiarum, cum episcopus eos modo uni, modo alteri committeret ex clericis ecclesiæ cathedralis, eorumque officium finiretur, tempore quod ab illo constituebatur (1). Itaque una tantum in singulis civitatibus erat ecclesia, quæ proprie parochia, uti nunc est, dici posset, nimirum ecclesia cathedralis; reliquæ minores ecclesiæ nulli separatim presbytero addictæ erant, sed ad eas regendas singulis diebus dominicis clerici de ecclesia episcopi mittebantur.

(1) Romæ tamen et Alexandriæ minoribus quoque ecclesiis certi presbyteri, qui iisdem præessent, jam inde ab antiquissimis temporibus affixi erant. Id de ecclesia Alexandrina testatur disertissime Epiphanius *hæres.* 49 *sive* 69 *Arian. num.* 1 *opp. tom.* 1 *pag.* 727, *editione Coloniæ* 1682. « Quotquot, inquit, Alexandriæ catholicæ communionis ecclesiæ sunt, uni archiepiscopo subjectæ, suus cuique præpositus est presbyter, qui ecclesiastica munera iis administraret, qui circa ecclesias illas habitant, eorumque conventiuncula vici, seu lauræ ab Alexandrinis vulgo nuncupantur. » Dionysius Petavius *Animadvers. in d. loc. Epiphan. tom.* 2 *pag.* 276 non tantum Alexandriæ, sed in aliis quoque majoribus urbibus eam consuetudinem viguisse censet, ut plures intra urbem essent ecclesiæ, quibus certi presbyteri affixi erant. Henricus Valesius *not. in Sozomen. lib.* 1 *cap.* 15 *pag.* 31, *edit. Taurin.* 1747 a Petavio dissentit, et morem illum addicendi in civitate presbyteros certæ ecclesiæ, quam separatim regerent, proprium ac peculiarem fuisse

putat ecclesiæ Alexandrinæ. Ego vero Petavio non assentior ajenti, quod in cunctis majoribus urbibus presbyteri certæ adscriberentur ecclesiæ, quam perpetuo regerent; sed tamen eam, quam supra memoravi, consuetudinem non tantum Alexandrinæ, sed etiam Romanæ ecclesiæ propriam fuisse arbitror. Certe Romanos presbyteros titulis quos S. Evaristus distribuit, affixos fuisse censeo; et Biton presbyter Romanus, cujus meminit S. Athanasius *Apol. adver. Arian. num.* 20 *opp. t.* 1 *pag.* 3 *ed. Maurin. Patav.* 1777 addictus firmiter erat ecclesiæ, in qua populum colligebat. Locus autem Innocentii I *epist.* 25 *ad Decent. Eugubin. cap.* 5 *num.* 8, apud Coustantium *col.* 860, meo quidem judicio, minime ostendit, ut Valesius putat, quod ætate Innocentii, Romani presbyteri suis titulis, sive ecclesiis affixi non essent. Ait quidem Innocentius, hos presbyteros reliquis diebus secum convenire solitos, sed nulla in eo pugna est, quod illi alicui minori præessent ecclesiæ et quod reliquis diebus, excepto die Dominico, cum Pontifice in ecclesia majori convenire deberent. Hoc certum, quod iidem presbyteri die Dominico, *propter plebem sibi creditam,* suis titulis præesse debebant, quod mihi tantum quadrare videtur posse in eos, qui certam plebem certamque ecclesiam perpetuo regendam haberent. Quod autem addit Innocentius de fermento a se confecto, quod ad hos presbyteros mittebatur, id tantum indicat vinculum communionis, qua minores ecclesiæ cum majori conjunctæ esse debebant, uti ipse declarat Innocentius inquiens, *idcirco fermentum a nobis confectum per acolythos accipiunt, ut se a nostra communione, maxime illo die, non judicent separatos.*

§. LXXXIX. Constitutæ sunt parochiæ primum in vicis et villis, quarum incolæ cum ad civitatem commode ire non possent, eorum gratia ibi conditæ sunt ecclesiæ, quibus præpositi sacerdotes, qui populum illum regerent muneraque ecclesiastica exercerent (1). Serius in civitatibus ortæ sunt parochiæ (2), neque ubique omnes eodem tempore initium habuerunt. Cum enim ea res tota ab episcoporum arbitrio penderet, alii citius, serius alii parochos in civitate constituerunt, uti major minorve numerus christianorum, eorumque utilitas atque necessitas postulabat (3).

(1) Parochiæ nomen, quo nunc etiam civitatis ecclesiæ desi-

gnantur, proprium initio erat ruralium ecclesiarum. Concilium Chalcedonense *can.* 17 apud Labbeum *tom.* 4 *concil. col.* 1687, *edit. Venet.* « Quæ sunt, inquit, in unaquaque provincia rurales, vicanasque parochias firmas et inconcussas manere apud eos, qui illas tenent, episcopos. » Vide etiam Socratem *Histor. ecclesiast. lib.* 1 *cap.* 27 *pag.* 55, *edit. Taurin.* 1747; Severum Sulpicium *dial.* 1 *num.* 8 *opp. tom.* 1 *pag.* 69, *edit. Veronæ* 1741; Innocentium I *epist.* 25 *ad Decent. Eugubin.* apud Coustantium *col.* 860, qui quidem diserte distinguit ecclesias civitatis ab ecclesiis ruralibus, sive parochiis, atque ad illas se die Dominico fermentum per Acolythos mittere declarat, *quod per parœcias*, inquit, *fiere debere non puto, quia nec longe portanda sunt sacramenta.* Parochiæ vocabulum a rusticanis ad urbanas ecclesias translatum deinceps est. De origine Parœciarum disputant Petavius *in Epiphan. hœres.* 69 *Arian. tom.* 2 *pag.* 276, *edit. Colon.* 1682 *et de eccles. hierarch. lib.* 2 *theolog. dogm. cap.* 12 *num.* 2 *seq. tom.* 6 *pag.* 128 *seq. edit. Venet.* 1757; Thomassinus *veter. et nov. eccles. disciplin. par.* 1 *lib.* 2 *cap.* 21 *et* 22; Muratorius *dissertazione sopra le antichità Italiane dissertaz.* 74 *pag.* 324 *tom.* 3 *part.* 2 *edit. Romæ.*

(2) Ante annum Christi millesimum nullas, ut supra dixi, in civitate parochias fuisse, ostendit Marius Lupus *de Parochiis ante annum Christi millesimum.*

(3) Binghamus *Origin. ecclesiast. lib.* 9 *cap.* 8 §. 2 *tom.* 3 *pag.* 595 *et seq., edit. Halæ Magdeburg.* 1758.

§. XC. Præcipua parochorum munera sunt sacrificium pro populo offerre, divinum verbum nunciare, sacramenta administrare (1). Debet enim unusquisque parochus, sive dives, sive pauper, pro populo sibi commisso cunctis dominicis, festisque diebus sacrificium offerre. Licet tamen parochis, qui gravi inopia laborant, cum episcopi venia festis diebus accipere, quod a pio aliquo homine datum est et pro eo missam offerre, modo infra hebdomadam pro populo rem divinam conficiant, quam festis diebus conficere debuissent (2).

(1) Concilium Tridentinum *sess.* 23 *cap.* 1 *de reformat.*

(2) Benedictus XIV *in Constitut. Cum semper.* 105 *tom.* 1 *ejus bullar. pag.* 222, *edit. cit.* Vide Ubaldum Giraldum *ad Instit.*

canon., Remigii Maschat elenc. VI tom. 1 *pag.* 461. Atque hoc quidem onere offerendi pro populo missam, dominicis ac festis de præcepto diebus, tenentur generatim omnes, qui curam habent animarum, etiam vicarii amovibiles, ac temporarii et regulares, uti declaravit Benedictus XIV *cit. Constitut.* §. 4. Num teneatur etiam episcopus, cui potiori jure, quam parocho, animarum cura commissa est, disputat Ferraris *bibliothec. verb. missa art.* 3 *num.* 11, et Giraldus *expos. Jur. Pontific. par.* 2 *tom.* 3 *pag.* 925.

§. XCI. Debent etiam parochi non solum pueros, rudesque homines christianæ religionis rudimenta edocere (1), sed etiam cunctis saltem Dominicis diebus et in festis solemnibus sermonem ad populum habere de rebus divinis, eique explicare, quæ ad æternam salutem omnibus sunt necessaria (2). Huc etiam refertur munus nunciandi festos dies, indulgentias, jejunia et cetera, quæ emerserint, ecclesiæ præcepta, ne populi ignorantia violentur (3).

(1) Vide Benedictum XIV *constitut. Etsi minime* 42 *tom.* 1 *ejus bullar. pag.* 67, *edit. cit.*

(2) Concilium Tridentinum *sess.* 5 *cap.* 2 *de reformat.* Quæ concio a parocho habenda est inter missarum solemnia, recteque ostendit card. Bona *rer. liturgic. lib.* 2 *cap.* 7 §. 7 *pag.* 159 *et seq. tom.* 3, *edit. Taurin.* 1753, morem hunc semper obtinuisse, ut *proxime post Evangelium sermo, sive homilia, vel tractatus ad populum haberetur.* Vide *Constitutionem Apostolici ministerii* 54. Innocentii XIII *pag.* 258 *tom.* 11 *bullarii* editam pro regnis Hispaniarum, quam postea confirmavit Benedictus XIII *Constitut. In supremo militantis* 31 *pag.* 350 *eod. loc.*, ubi animarum pastores suas has partes implere jubentur, quamquam exiguum habeant populi numerum et quamquam per annuos concionatores satis huic rei consultum videatur.

(3) Concilium Tridentinum post. *sess.* 25 *de reform. in decreto de delectu ciborum, jejuniis et diebus festis.*

§. XCII. Denique eorum etiam est administratio sacramentorum. Quare Lateranense concilium (1) non modo sancivit, ut christiani omnes in Paschate a proprio parocho Pœnitentiæ et Eucharistiæ sacramenta

suscipiant, sed etiam Tridentinum (2) monuit, ab eo solo, exceptis confirmatione et ordine, generatim licite suscipi sacramenta. Sed nunc cum privilegia regularium et frequentes episcoporum concessiones quamplures extra ordinem sacramentorum ministros induxerint, ab iis etiam, modo se contineant intra fines concessionis, ea probe suscipiuntur; et jus parochorum redactum est ad Paschalem communionem, ad viaticum, ad extremam unctionem.

(1) Concilium Tridentinum *cap.* 12 *de Pœnitent. et remiss.*
(2) *Cap.* 13 *sess.* 24 *de reformat.*

§. XCIII. Ceteri clerici generatim satisfacere debent oneri, quod conjunctum est beneficio, quo fruuntur. Quidam eorum præpositi sunt sacellis, hospitalibus, aliisque locis; et hi curam gerunt præfecturæ, quam exercent, suisque fruuntur juribus ac privilegiis; et capellani, rectores, gubernatores appellantur. Quidam autem nullum habent onus, præter quotidianam recitationem divinarum precum, quas *officii* nomine comprehendimus, et hi simplex beneficium habere dicuntur.

TITULUS IV.

Quibus modis Potestas Ordinis acquiratur.

I. Ordinis potestas consecratione, | vel ordinatione acquiritur.

§. I.

Omnes clericorum gradus et officia, atque universam singulorum potestatem sumus persequuti; proximum est ut videamus, quemadmodum ipsi hanc potestatem consequantur. Initium capiemus a potestate ordinis, quam clerici acquirunt vel consecratione, vel ordinatione. Consecratio ad episcopos, ordinatio ad sacerdotes ceterosque clericos pertinet.

SECTIO I.

De Consecratione Episcoporum.

II. Ritus in episcopi consecratione observandi.
III. Quis episcopum consecret.
IV. Quando facienda sit consecratio, ejusque vis.

§. II.

Episcoporum consecratio manibus impositis et Divino invocato Spiritu maxime perficitur, quamquam et alii ab ecclesia ritus ac cæremoniæ adhibeantur (1). Nam recitatis initio litteris cancellariæ apostolicæ de collato episcopatu, consecrandus præstare debet Romano Pontifici juramentum obedientiæ et fidelitatis, cujus for-

mula in Pontificali Romano descripta est (2); deinde examen conficitur, super electi humeros atque cervicem imponuntur codices Evangeliorum, recitantur preces, funditur benedictio, caput et manus sacro chrismate unguntur (3), tum benedicuntur (nisi hæc omnia primum benedicta fuerint) baculus pastoralis (4), annulus (5), mitra (6), chirotecæ (7). Accipit etiam episcopus, antequam consecretur, crucem, quam ante pectus gestat (8).

(1) Vide pontificale Romanum *tit.* 13 *de Consecratione electi in episcopum pag.* 169 *tom.* 1, *edit. Catalani Romæ* 1738, ubi cuncta hæc, quæ recensemus, ordine referuntur, ritusque omnes describuntur consecrationis; et vide etiam canonem concilii Carthaginensis IV, apud Gratianum *can.* 7 *dist.* 23, ex quo hodierna consecrationis forma profluxit.

(2) Vetus juramenti formula, quæ a S. Gregorio VII originem ducit, habetur *in cap.* 4 *de Jurejur.*, eaque comprehenditur septem articulis, sed nunc iis duo alii adduntur. De hujus sacramenti antiquitate et æquitate videndus Catalanus *in Pontific. Roman. par.* 1 *tit.* 13 §. 9 *tom.* 1 *pag.* 179 *seqq., edit. Romæ* 1738; Zaccaria *dissert. de reb. ad histor. atque antiq. eccles. pert. dissert.* 13 *tom.* 2 *pag.* 264 *et seq.*

(3) Sacra unctio neque in episcoporum consecratione, neque in presbyterorum ordinatione nunc a Græcis adhibetur, licet olim adhibita fuisse videatur. Confer Menardum *in lib. Sacramentor. S. Gregorii not.* 777 *et* 784, *col.* 616 *et* 526 *tom.* 3 *opp. S. Gregorii, edit. Maurin. Paris.* 1705; Hallier *de Sacr. elect. par.* 2 *sect.* 8 *cap.* 10 *art. et seq.;* Catalanum *in Pontific. Roman. tom.* 1 *tit.* 12 §. 1 *pag.* 122 *et tit.* 13 §. 22 *pag.* 202. Est tamen decretalis Innocentii III *in cap. unic. de Sacr. unct.*, qua etiam Græci unctionem hanc adhibere jubentur; sed vide hujus decretalis explanationem apud Gonzalez, et vide Giraldum *exposit. Jur. Pontific. par.* 1 *sect.* 3 *tom.* 1 *pag.* 72.

(4) Baculi pastoralis meminit antiquus ordo Romanus et meminit concilium Toletanum IV *can.* 28 *tom.* 6 *concil. Labbei col.* 1460. Et hinc animadvertit Joannes Morinus *de Sacr. ordinat. par.* 3 *exerc.* 2 *cap.* 2 *num.* 5, ritum hunc esse antiquissimum. Vide Jacobum Goar *in not. ad Ritual. græcor. pag.* 513, *edit. Paris. an.* 1947. Illud hic animadvertendum, quod summus Pontifex *non utatur baculo pastorali tum propter his-*

toriam, tum propter mysticam rationem, ut inquit Innocentius III *in cap. unic. de Sacr. unct.* Intelligit Innocentius historiam, quam narrant Innocentius Augustodunensis *serm. de SS. Petro et Paulo,* ac Petrus Cluniacensis abbas *lib.* 1 *epist.* 2 de S. Petro, quem ajunt baculum tradidisse S. Eucherio primo Trevirensium antistiti, a quo per illum S. Maternus ejus socius ad vitam revocatus est. Vide Cironium *in Paratitl. ad decretal. Gregorii IX tit. de Sacr. unct.* §. 6. Baculi significationem explicat Innocentius III *lib.* 1 *cap.* 62 *Myster. miss. tom.* 1 *opp. pag.* 333, *edit. an.* 1575; sed et jurisdictionem significat, et ideo Marinus Romanæ ecclesiæ diaconus, et legatus in synodo VIII Constantinopolitana *act.* 7 *tom.* 10 *concil. Labbei col.* 568 de Photio inquit : *Tollite baculum de manu ejus; signum est enim dignitatis pastoralis, quod hic habere nullatenus debet.* Atque in chronico Novaliciensi apud Duchesne *hist. Franc. tom.* 3 *lib.* 6 de abbate exauctorato habentur hæc : *Detestabilem Sarabaitam cepit, baculum fregit, atque superbum de sede dejecit.* De baculo pastorali fuse scripserunt Joseph Vicecomes *de Appar. missæ lib.* 3 *cap.* 41; Andreas Saussajus *panopl. episc. lib.* 2; Ciampinius *vet. monum. part.* 1 *cap.* 15 *pag.* 121 *et seq.;* Georgius *liturg. Roman. Pontific. lib.* 1 *cap.* 29; *Catalanus prolegom. ad Pontific. Roman. tom.* 1 *cap.* 20 *pag.* 27 *et tit.* 13 §. 26 *de Consecrat. elect. in episc. pag.* 207.

(5) Annuli etiam usum antiquissimum esse observat Morinus *loc. cit.,* quoniam ejus mentio est in vetusto ordine Romano, *in cit. can.* Concilii Toletani IV, apud Surium in vit. S. Borini *die* 3 *decembris,* apud Isidorum Hispalensem *lib.* 2 *de Offic. cap.* 5 *in biblioth. Patr. tom.* 10 *pag.* 205, *edit. Paris.* 1624. Et licet Alcuinus, Amalarius et Rabanus nihil de annulo dicant, tamen eorum silentium hoc tantum ostendit, non eamdem ea de re fuisse omnium ecclesiarum consuetudinem, quod recte observat Bona *rer. liturg. lib.* 1 *cap.* 24 §. 13 *pag.* 248 *tom.* 2. Vide Martenium *tom.* 2 *de Antiq. eccles. rit. pag.* 342 *et* 368.

(6) De mitræ episcopalis origine et antiquitate non una omnium sententia est. Sunt qui eam antiquissimam, sunt qui circa sæculum X inductam putant. Ego dubitari vix posse arbitror (quæ sententia est cardinalis Bona *rer. liturgic. lib.* 1 *cap.* 24 §. 14 *pag.* 251 *tom.* 2, *edit. Taurin.* 1749) quin semper episcopi, si non omnes, saltem aliqui ornamentum aliquod capitis habuerint, cujus loco recentiori ætate mitra, qualis hodie est, adhiberi cœpit. Vide Bonam *loc. cit.,* et Salam *in not.;* Menardum *in not. ad sacram. S. Gregorii not.* 947 *col.* 557 *tom.* 3 *opp. S. Gregorii, edit. Maurin. Paris.* 1705; Martenium *de*

Antiq. eccles. rit. lib. 1 *cap.* 4 *art.* 1 *num.* 14; Mabillonium *Præf. in sæc.* 4 *Benedict. par.* 2 *num.* 182 *tom.* 6 *pag.* 65, *edit. Venet.* 1738. Recte tamen observat Alexius Symmachus Mazochius in libr. *de sanct. Neapol. eccles. episc. cult. par.* 3 *cap.* 15 *sect.* 3 *num.* 2, breviorem antea fuisse mitram, postea factam fuisse oblongiorem, uti nunc adhibetur. Plures hujusmodi mitræ una cum antiquissimo baculo pastorali in hac mea cathedrali ecclesia Ananiensi servantur. Confer Hermanum Dominicum Christianopulum *de S. Exuperantio Cingulanorum episcopo cap.* 2 §. 3 *num.* 67 *seqq.*

(7) Vide Innocentium III *lib.* 1 *de Myster. missæ cap.* 10 *pag.* 322 *tom.* 1, *edit. Coloniæ* 1575. De antiquitate chirothecarum erudite disputat cardinalis Bona *rer. liturg. lib.* 1 *cap.* 24 §. 12 *pag.* 247 *tom.* 2, et Robertus Sala *in notis ad eumdem.*

(8) Monet Innocentius Cironius *Paratitl. in decret. Gregorii IX lib.* 1 *tit.* 8 §. 18. Episcopos in concilio Constantinopolitano VIII a cruce, quam gestant, σταυροπατας fuisse appellatos. Innocentius III *lib.* 1 *de Myster. missæ cap.* 53 *pag.* 331 inquit, Pontificem crucem gerere in pectore pro lamina, qua Hebræorum Pontifex frontem exornabat. Vide Bonam et Salam *loc. cit.* §. 10 *pag.* 243.

§. III. Olim episcopum metropolita consecrabat, metropolitam senior episcopus provinciæ, ceteris tamen utriusque consecrationis causa ad synodum vocatis, atque in principe vacantis ecclesiæ templo congregatis. Ibi enim coram populo atque clero consecrationem absolvere oportebat (1). Hodie posteaquam summo Pontifici sunt reservatæ ecclesiæ cathedrales, vel ab ipso, vel ejus mandato fiunt episcoporum consecrationes (2). Episcopi, qui Romæ consecrationem accipiunt, aut ab aliquo cardinali, aut ab aliquo ex quatuor majoribus patriarchis, qui in urbe commorantur, mandato summi Pontificis consecrandi sunt. Ceteri vero episcopi, qui extra urbem consecrantur, suo arbitrio episcopum eligunt, cui datur mandatum apostolicum, ut eorum consecrationem absolvat, vel in ipsa, cui præesse debent, ecclesia, vel saltem in provincia (3).

(1) Vide Gratianum *dist.* 64, 65, 66, et Decretales *in cap.* 9 *de Tempor. ordinat.*

(2) Confer Christianum Lupum *dissert. An Romanus Pontifex possit omnibus ecclesiis consecrare, aut consecran. Jubere episc. opp. tom.* 6 *pag.* 362 *seq., edit. Venet.* 1727, et Zaccariam *in Anti-Febron. tom.* 2 *lib.* 1 *c.* 4 *et* 3, *et Anti-Febron. vindic. part.* 3 *dissertat.* 8 *cap.* 1 *et* 2.

(3) Consule Benedictum XIV *in Constitut. In postremo* 64 §. 16 *pag* 306 *tom* 4 *ejus bullarii. edit. Romæ* 1758, et Pontific. Roman. *tit.* 13 §. 2.

§. IV. Tres adhibentur episcopi in consecratione (1); ea peragenda est die dominico, aut aliquo die festo apostolorum, post actum superiori Sabbato jejunium effusasque preces (2), hora tertia, qua scimus, Spiritum Sanctum e cœlo in apostolos delapsum. Tempus consecrationi præfinitum est trium mensium, quibus elapsis, si episcopus consecrari neglexerit, perceptos fructus amittet, atque etiam ecclesia privabitur, si tres alios ultra menses consecrationem protraxerit (3). Consecratus vero acquirit ordinis potestatem (4), quam tamen metropolita et patriarcha solum post acceptum pallium exercere possunt; ejus matrimonium cum ecclesia *consummatum* efficitur (5); et vacant beneficia, quibus ipse antea fruebatur (6).

(1) *Can.* 6 *et* 7 *de Tempor. ordinat.* Num ad vim consecrationis necessaria sit præsentia trium episcoporum, magna inter theologos et canonistas disputatio est. Morinus *de Sacr. ordinat. par.* 3 *exerc.* 4 *cap.* 2, et Tournely *de sacram. ordin. pag.* 453, *edit. Paris. an.* 1729, consecrationem sine tribus episcopis absolutam plane irritam esse arbitrantur. Sunt qui eam firmam ratamque habent, si unus tantum adhibitus est episcopus cum venia summi Pontificis, eaque est opinio Aurelii Piette *Theolog. quæst. de sacram. ordin. par.* 6 *quæst.* 13 §. 1 *et* 2; contra sunt alii, qui consecrationem ab uno episcopo absolutam illicitam quidem, non tamen irritam existimant, atque ita sentiunt Cabassutius *notit. eccles. sæc. IV in not. ad can.* 4 *Nicæn.*; Juenin *de Sacram. dissertat.* 9 *de ordin. in spec. quæstion.* 1 *de episcopat. cap.* 4; Christianus Lupus *append. ad. can.* 4

concil. Nicæn. tom. 1 *opp. pag.* 241 *et seq., edit. Venet. an.* 1724; Thomassinus *veter. et nov. eccles. discipl. part.* 2 *lib.* 2 *cap.* 12 *per tot.;* Bocat *tom.* 5 *de ordin. institut. disp.* 6 *sect.* 6 *punct.* 2 *pag.* 443; Van Espen *in Jus. eccles. par.* 1 *tit.* 15 *de Consecr. episcop. cap.* 1 *num.* 7 *et seq.;* Hallier *de Sacr. ordinat. par.* 2 *sect.* 5 *cap.* 2 *art.* 2 *per tot.* et præsertim §. 3; Cardinalis Gottus *Theol. tom.* 15 *quæst.* 5 *de episcopat. dub.* 4 §. 1 *et* 2; Catalanus *ad Pontific. Roman. tom.* 1 *tit.* 13 *p.* 198 *et seq.* Quare postrema opinio similior veri esse videtur, et certe in sacra antiquitate non desunt exempla episcopalium consecrationum, quæ ab uno episcopo factæ sunt, et hæ quidem illicitæ, non tamen irritæ judicantur. Neque vero sedes Apostolica interdum ex justa causa hujusmodi consecrationes ab uno tantum episcopo absolvi permitteret, præsentibus duabus, tribusve Dignitatibus, si ad earum vim tres episcopos omnino necessarios esse arbiraretur. Consule Benedictum XIV *de synod. diœces. lib.* 13 *cap.* 13 *num.* 2 *et seq.,* et Cotelerium *in constitut. Apostol. lib.* 3 *cap.* 19 *tom.* 1 *PP. Apostol. pag.* 293. *edit. Amstelodami* 1724.

(2) In illis tamen ecclesiæ primordiis episcoporum consecrationes quolibet die fieri consuevisse tradit Pagius *in Baronium an.* 67 *num.* 18 *pag.* 649 *tom.* 1 *edit. Lucæ.* Certe disciplinæ, quæ nunc viget, antiquitas educi non potest ex decretali, quam Gratianus in *can.* 1 *dist.* 75 adscribit Anacleto Pontifici, et qua sancitum est, ut episcopi consecratio die Dominico peragatur. Nam hæc decretalis prodiit ex officina Isidori Mercatoris.

(3) Concilium Tridentinum *sess.* 23 *cap.* 2 *de reform.*

(4) *Cap.* 15 *de Elect.*

(5) *Cap.* 2 *de Translat. episcop.* Fallitur Van Espen *in Gratianum can.* 11 *cap.* 7 *quæst.* 1, et falluntur ceteri, quorum animis eadem hæret sententia, quod Innocentius III in *cit. cap.* spirituale hoc conjugium episcopi cum ecclesia sua, ex falsa decretali Evaristi Pontificis *in laudato can.* 11 arripuerit. Nam hujus matrimonii diserte meminerunt antiqui Patres, nimirum S. Cyprianus, Patres concilii Alexandrini anni 339, S. Siricius, seu S. Innocentius, S. Ambrosius, S. Hieronymus, atque alii, quos enumerat Blascus *de Collect. canon. Isidor. Mercator. cap.* 8 *num.* 2 *pag.* 77. Vide etiam eumdem Blascum *loco indicato not.* 6, *et cap.* 10 *num.* 2 *not.* 1 *pag.* 120, qui solide vereque defendit Innocentium III, qui hoc *spirituale vinculum fortius, quam carnale* esse dixit.

(6) *Cap.* 7 §. *Cum vero de elect.*

SECTIO II.

De Presbyterorum et aliorum Clericorum Ordinatione.

V. Ritus in presbyterorum, aliorumque clericorum ordinatione observandi.
VI. Tempus et locus ordinum conferendorum.
VII. Nemo *per saltum* promovendus.
VIII. Ordinum interstitia.
IX. Ordinandi titulus.
X. Et examen.
XI. Episcopus alienum subditum ordinare prohibetur sine litteris dimissoriis proprii episcopi.
XII. Pœna episcopi ordinantis et clerici ordinati sine his dimissoriis.
XIII et XIV. Qui episcopus ordines conferre debeat.
XV. Ætas ordinandorum.

§. V.

Plures etiam cæremonias adhibet ecclesia in presbyterorum ordinatione. Præcipuæ sunt, ordinandis manus imponere, preces super eos recitare, divinum Spiritum invocare, illorum manus oleo catechumenorum inungere, vasa demum tradere pro sacrificio. Diaconis quoque, dum ordinantur, manus imponit episcopus (1), funduntur preces, evangeliorum libri traduntur. In ordinatione subdiaconorum, acolythorum, ceterorumque clericorum traduntur instrumenta, quæ ordinis cujusque sunt propria (2), missisque precibus eorum ordinatio perficitur (3).

(1) Diaconis tamen solus episcopus manus imponit, uti habetur in pontificali Romano *tit.* 2 §. 8 *pag.* 115 *tom.* 1 *edit. Catalani*, presbyteris episcopus una cum adstantibus sacerdotibus, uti ipsum habet Pontificale Romanum *tit.* 12 §. 6 *pag.* 129. Verum manuum impositio, quam alii presbyteri faciunt, solemnitatis, non necessitatis est. Vide Catalanum in utrumque locum.

(2) Ita subdiaconus accipit calicem vacuum et patenam similiter vacuam, acolythus ceroferarium cum cereo et urceolos vacuos, lector librum epistolarum, exorcista librum exorcismorum, ostiarius claves et funem campanarum. In subdiaconatu atque in minoribus ordinibus nulla adhibetur manuum impositio, et plane mendosa est vulgata lectio *in cap.* 1. *Sacrament. non iteran.*, ubi Innocentius III etiam in subdiaconatu manuum impositionem desiderare videtur. Jampridem enim observarunt viri eruditi, præsertim Antonius Augustinus et Emmanuel Gonzalez *in not. ad dict. cap.* 1, loco *subdiaconatus* legendum esse *diaconatum*. Græci tamen manuum impositione subdiaconos et lectores ordinant, uti habetur in VII concil. OEcumenico *can.* 14 *tom.* 8 *col.* 1258 *collect. Labbei*. Ritum hunc græcorum a latinorum ritu diversum in ordinatione subdiaconorum atque lectorum, vide *in Euchologio* Goarii *pag.* 233 *et* 244 *Paris.* 1647, *et in codice liturgic.* Assemanii *lib.* 8 *par.* 2 *pag.* 54 *et seq.*

(3) Vide Pontificale Roman. *part.* 1 *tit.* 4 *et sequen. pag.* 74 *et seq. tom.* 1, *edit. Catalani Romæ* 1738; Concilium Carthaginense IV apud Gratianum *can.* 16 *sequen. dist.* 23; Eugenium IV in decreto *concil. Florent.* apud Labbeum *tom.* 18 *col.* 22.

§. VI Dignus ordinatione locus est ecclesia cathedralis, illaque certis statisque diebus fieri debet (1). Majores ordines die Sabbati in omnibus quatuor anni temporibus (2), ac Sabbato sancto et Sabbato ante dominicam passionis (3) inter missarum solemnia conferuntur. Qui extra statuta tempora sacros ordines suscepit, eorum muneribus fungi (4), et episcopus, qui in illam legem peccavit, ordines conferre prohibetur (5). Minores autem ordines quolibet die festo de præcepto etiam extra missam, sed ante meridiem conferuntur (6); tonsura autem quocumque loco, hora, die.

(1) Concil. Tridentinum *sess.* 23 *cap.* 8 *de reform.* Cum ab ethnicis vexaretur ecclesia, etiam in privatis ædibus ordinationes peragebantur, S. Cyprianus *epist.* 45, 52, 68 *pag.* 59, 66, 112, *edit. Rigaltii Paris.* 1666. Sed post ea tempora constitu-

tum est, ut publice in ecclesia, atque inter missarum solemnia fierent, et ideo primum catechumeni ejiciebantur, conc. Laodicenum *can.* 5, apud Labbeum *tom.* 5 *col.* 1531 *edit. Venet.*

(2) Apostolos orantes et jejunantes manus imposuisse scriptum est *Act.* XIII. 3. Apostolorum exemplo ecclesia jejunia instituit quatuor temporum, ut populus per hæc pœnitentiæ opera bonos ecclesiæ ministros a Deo impetrare possit. Hinc S. Carolus Borromæus in suo concilio Provinc. II *tit.* 1 *decret.* 22, jussit: « Ut dominico illo die, qui quatuor stata jejunii tempora, quibus ordinis sacramentum ministratur, proxime antecedit, parochi non solum solemne illud jejunium hujus rei causa institutum denuncient; verum etiam in sua unusquisque eorum parochiali ecclesia supplicationes litaniasque pie ac religiose, vel intus habeat, vel prosequente fidelium multitudine, foris ecclesiam, sicut moris est, obeat; ut Dei sanctorumque ope implorata, tum episcopus in eorum delectu, quibus ordines conferet, Spiritus S. lumine illustretur, tum illi, quibus conferuntur, in vitæ sanctitate, doctrina religiosisque virtutibus proficiant. » Idemque habetur in concilio Mediolanensi IV *tit. Quæ pertinent ad sacram. ordin.* Hinc putarunt aliqui, jejunia quatuor temporum primum a S. Carolo in ecclesia Mediolanensi fuisse instituta; sed eos late refellit Justus Fontanius *dissert. de Coron. ferrea Longobard. cap.* 8 *num.* 5 *pag.* 69 *et* 70. Porro in ecclesia Romana quinto saltem sæculo generatim obtinuisse jejunium quatuor temporum, ostendunt sermones S. Leonis, præsertim sermo 86, *et seq. de jejunio septimi mensis col.* 340, *sermo* 12, 15, 19 *et* 20 *de jejun. X mensis col.* 59, 43, 59, 62, *tom.* 1 *edit. Ballerin. Venet.* 1755. Alia bene multa S. Leonis testimonia refert cardin. Cozza *de jejun. part.* 2 *art.* 9 *num.* 7 *pag.* 104 *et seq.* In jejunii mensibus, Junio videlicet, septembre, decembre, eadem erat omnium ecclesiarum ratio et consuetudo, sed dissimilis erat disciplina in hebdomada designanda, uti post Sirmondum *ad epist.* 25 *lib.* 5 *Goffrid. Vindocin. in Biblioth. PP. tom.* 21 *pag.* 105 *editione Lugdun.* observat. card. Bona *rer. liturg. lib.* 2 *cap.* 16 §. 4 *tom.* 3 *pag.* 343. Solemnis erat denunciandi jejunii formula; aliam habet card. Bona *loc. cit.*, et aliam Muratorius *in liturg. Rom. vet. tom.* 1 *pag.* 365, *edit. Neapol.* 1776.

(3) Quovis die apostolos ordinationem absolvisse putat Hallier *de Sacr. elect. et ordin. tit. de Tempor. sacr. ordin. art.* 2 *n.* 6. Quidam vero sunt, qui olim a Romanis Pontificibus tantum mense decembri exactas ordinationes putant; sed eos refellunt Pagius *in breviar. gest. Pontif. Roman. t.* 1 *in vit. S. Simplic.*; Hallier *loc. cit. par.* 2 *sect.* 7 *art.* 2 *cap.* 1 §. 3 *num.* 6. Porro

S. Leo M. apud Gratianum *can. 4 et 5 dist. 75* tradit disertissime, vetustam esse atque a patribus acceptam consuetudinem, quod ordinationes non *passim diebus omnibus* expediantur, sed *die dominicæ resurrectionis* (qualis olim dicebatur quilibet dies Dominicus) *cui a vespera Sabbati initium constat adscribi*. Primus Gelasius I apud Gratianum *can. ult. dist. 75* constituit, ut ordinationes fierent *jejunio mensis quarti* (hoc est Junii, quoniam olim christiani exemplo Romanorum a mense Martio annum inchoabant) *septimi*, hoc est *septembris*, *decimi* hoc est *decembris et quadragesimalis initii*, hoc est *primæ hebdomadæ quadragesimæ* ac *medianæ hebdomadæ*, id est Sabbati ante Dominicam passionis, quintam quadragesimæ, quæ mediana quoque Dominica dicitur, quia in ejusdem lectionibus commemoratur luna quartadecima et quintadecima, quæ sunt medietas periodi lunaris. Quamquam vero in hac epistola nulla sit mentio Sabbati sancti, tamen eo quoque die a Gelasio permissas presbyterorum et diaconorum ordinationes putat Christianus Lupus *in calc. Schol. ad decret. 3, S. Leonis IX in respons. ad 2 quæst. tom. 4 pag. 299, edit. Venet.* Sed clarius deinde Alexander III ordinationis tempora constituit *in cap. 3 de Tempor. ordin.*, cum inquit quod ad subdiaconatum et ceteros majores ordines, *nisi quatuor temporibus, aut sabbato sancto, vel in sabbato ante Dominicam de passione nulli episcoporum, præterquam Romano Pontifici, licet aliquos ordinare.*

(4) *Cap. 2 et cap. 8 de Tempor. ordinat.* Potest tamen episcopus ordinatum ab ea pœna post actam pœnitentiam liberare, uti in *cap. 16 eod. tit.* sancitum est a Gregorio IX, emendata ea in re decretali, quæ est *in cit. cap. 8*, per quam hæc clerici restitutio sedi Apostolicæ fuerat reservata. Et quamvis Sixtus V *constit. Sanctum et salutare* 140 *pag. 40 tom. 5 par. 1 bullarii* eam rem similiter sedi Apostolicæ reservasset, tamen huic constitutioni derogavit recentior constitutio *Romanum Pontificem* 121 Clementis VIII *pag. 97 tom. 5 par. 2 bullarii.*

(5) *Cap. 2 de Tempor. ordinat.* Quemadmodum autem summus Pontifex extra tempora a Jure constituta sacros ordines conferre potest; ita episcopis conferendi tribuit facultatem, quod præstat litteris apostolicis *in forma Brevis*, quas vulgo *extra tempora* appellamus. Quæ facultas conceditur justis de causis, quas numerat congregatio particularis, habita Innocentio XII Pontifice, apud Rigantium *ad regul. 24 Cancellar.* §. 1 *num. 44 tom. 2.*

(6) *Cap. 3 de Tempor. ordinat.* Quæ decretalis non ita est intelligenda, ut episcopus eadem die uni clerico plures minores

ordines conferat, nullis servatis interstitiis, quæ etiam in minoribus ordinibus servari jubet synodus Tridentina *c.* 11 *sess.* 23 *de reform.*, nisi aliud episcopo magis expedire videatur. Nam ea non ad unum pertinet clericum, sed ad plures, qui ordines erant suscepturi, atque id sibi voluit Pontifex, ut plures quidem minores ordines eadem die, sed uni clerico unus, alteri alter recte tribueretur. Non igitur, ut quidam putant, huic decretali ea in re a Tridentina synodo derogatum est.

§. VII. Gradatim præterea conferendi sunt ordines et qui ad majorem ordinem, neglectis mediis, ascendit, quem *per saltum promotum* dicimus (1), is, si dolo careat, tamdiu suscepti ordinis munus exercere prohibebitur, quamdiu labatur tempus necessarium ad ordinem, quem omisit; et si non ministraverit, poterit cum eo episcopus, ut inquit synodus Tridentina (2), *ex legitima causa dispensare.*

(1) Vox hæc *per saltum promotus,* quæ habetur etiam in titulo decretalium *de clerico per saltum promoto,* est sane vetus apud ecclesiasticos scriptores, exstatque in decretis Siricii *cap.* 15 apud Pithœum *codex canon. eccles. Roman. pag.* 109 *Paris.* 1687. Elegantius Alexander II *in can.* 1 *dist.* 52 *præposterum cursum* vocat, hoc est inversum cursum, atque ordinem ab antiquis canonibus constitutum, quem προκοπην, hoc est progressum vocat concilium Sardicense *can.* 10 *tom.* 2 *col.* 665 *collect. Labbei.* Mandat autem Alexander Constantiensi episcopo, ut eum, qui, omisso ordine subdiaconatus, *negligentia, potius quam superbia,* diaconatum presbyteratumque susceperat, ab officio sacerdotali prohibeat, *donec proximo quatuor temporum jejunio subdiaconatus ministerium sibi rite imponas; et sic deinceps ad majora officia eum redire concedas.* Hæc recentior disciplina ab antiqua distat, quod nunc nullus ex inferioribus ordinibus omitti potest, antequam superiores accipiantur, sed olim minor aliquis ordo impune omittebatur, si quis satis probatus esset, adeo ut superiori ordine dignus videretur, ut ostendit Morinus *de sacr. ordinat. par.* 3 *exercit.* 11 *cap.* 2 *et* 3.

(2) *Sess.* 23 *cap.* 15 *de reformat.* Quod tamen ita est intelligendum, ut episcopus post susceptum ordinem, quem omisit, facultatem tribuat ministrandi in ordine per saltum suscepto, non ut ordinatus, antequam inferiorem ordinem omissum sus-

cipiat, ad superiorem evehatur. Confer etiam Clementis VIII *cit. constitut. Romanum Pontificem*, qua episcopis restituta est facultas ea in re dispensandi, quam uni sedi Apostolicæ reservaverat Sixtus V *cit. constitut. Sanctum et salutare.*

§. VIII. Sed et certa intervalla temporum, quæ *interstitia* vocantur, inter unum atque alterum ordinem debent intercedere, eaque non tantum in majoribus, sed etiam in minoribus ordinibus servanda sunt. Vetus in ecclesia est lex interstitiorum (1); et licet olim aliqui interdum minores ordines impune omitterentur (2). numquam tamen recte quis poterat, nullo interjecto spatio, pluribus ordinibus initiari (3). Hodie minorum ordinum interstitia episcopi arbitrio permissa sunt (4), quod arbitrium tam late patere non debet, ut sine justa causa nulla adhibeantur. Quod attinet ad interstitia majorum ordinum, saltem unius anni spatium inter unum, atque alterum ordinem debet intercedere, nisi aliud episcopo videatur ob ecclesiæ utilitatem ac necessitatem (5).

(1) Confictam esse epistolam Caji Pontificis apud Gratianum *can.* 1 *dist.* 77, jam pridem animadverterunt viri eruditi; sed tamen interstitiorum mentio est apud Siricium ac Zosimum *dict. dist.* 77 *can.* 2 *et* 3, in concilio Sardicensi *can.* 10 *col.* 666 *tom.* 2 *collect. Labbei, edit. Venet.* in VIII Synodo œcumenica *can.* 5, apud eumdem Labbeum *tom.* 10 *col.* 655, et in capitular. reg. Francor. *lib.* 7 *cap.* 42 apud Baluzium *tom.* 1 *pag.* 695, *edit. Venet. an.* 1772. Antiquam vero de interstitiorum tempore ecclesiæ disciplinam explicant diligenter Thomassinus *veter. ac nov. eccles. discipl. par.* 1 *lib.* 2 *cap.* 35 *et* 36; Hallier *de sacr. elect. et ordinat. tit. de Tempor. sacr. ordinat. sect.* 7 *cap.* 2 *art.* 7; Juenin *de sacram. dissertat.* 8 *quæst.* 8 *cap.* 3 *de sacrament. ordin. in commun.*

(2) Vide S. Thomam *in supplem. quæst.* 35 *art.* 5 *num.* 50, Juenin *de sacrament. loc. cit. cap.* 4, Morinum *de sacris ordinat. par.* 3 *exerc.* 11 *cap.* 2.

(3) Vide Thomassinum *vetus ac nov. eccles. discipl. par.* 1 *lib.* 2 *cap.* 35.

(4) Concilium Tridentinum *sess.* 23 *cap.* 11 *de reformat.* satis perspicue declaravit, etiam in minoribus ordinibus interstitia esse servanda, cum eos conferri jussit *per temporum interstitia;* verum nullum certum eorum tempus definivit, remque totam episcopi arbitrio permisit.

(5) Concilium Tridentinum *sess.* 23 *cap.* 11, 13 *et* 14 *de reformat.* Haud tamen episcopo licet plures uno die majores ordines conferre. Ceterum hic interstitiorum annus, qui inter unum atque alterum majorem ordinem debet intercedere, est annus ecclesiasticus, ideoque ordinatus diaconus in quatuor temporibus quadragesimæ recte ordinatur sacerdos in quatuor temporibus quadragesimæ anni consequentis, licet Pascha celerius advenerit, uti secundum sententiam sac. congregationis concilii monet Fagnanus *in cap. litteras num.* 2 *de Tempor. ordinat., et in cap. Ad nostram num.* 18 *vers. et confirmatur de regular.*

§. IX Ne autem clericus, cum dedecore sui ordinis, aut stipem quærere, aut sordidum aliquod munus exercere cogatur, nemo sacris est initiandus ordinibus, exceptis regularibus (1), nisi beneficium (2) habeat, aut pensionem, aut patrimonium (3), quod suppeditet ad cultum et ad victum, quodque nullis subjici oneribus, neque alienari potest, nisi clericus aliunde habeat, quod suppetat ad decentem ejus tuitionem (4). Qui decepto episcopo falsum obtulit, aut simulatum patrimonium, suspenditur a susceptis ordinibus, donec illud integrum, atque legitimum obtineat (5); et episcopus, qui sciens prudens clericum sine beneficio, aut patrimonio ordinavit, cogitur ei præstare necessaria ad vitam honeste transigendam, donec aptum atque convenieus beneficium consequatur (6).

(1) Regulares paupertatis titulo ordinari compertum est; verum eos, qui professionem non emiserunt, vel exire, aut dimitti e claustro possunt, titulo hoc paupertatis ordinari vetuit S. Pius V *in const. Romanus Pontifex* 102, *tom.* 4 *part.* 3 *pag.* 46.

(2) Nullum absolute ordinari, inquit concilium Chalcedonense *act.* 15. *can.* 6, apud Labbeum *tom.* 4 *col.* 1685, *ed. Venet.*, nec presbyterum, nec diaconum, nec omnino aliquem eorum qui sunt in ordine ecclesiastico, nisi specialiter in ecclesia civitatis, vel

pagi, vel martyrio, vel monasterio is qui ordinatur, designetur. Eos autem qui absolute ordinantur, decrevit S. synodus irritam ac invalidam haberi ejusmodi manuum impositionem, et nusquam exercere ac operari posse ad ejus qui ordinavit injuriam. » Eadem habet concilium Francofordiense *can* 28 *col.* 105 *eod. loco.* Aliquem *absolute ordinare* idem erat atque *ordinare sine titulo*, hoc est nulla designata ecclesia, cui perpetuo addictus esse ac servire deberet. Nam *titulus* eamdem atque ecclesia significationem habebat. Baronius *ad ann.* 112 *num.* 3 *tom.* 2 *pag.* 68, *edit. Lucæ ann.* 1738 hujus nominis rationem affert hujusmodi : Quemadmodum, inquit, fiscus imposito titulo, hoc est velis quibusdam, in quibus imperatoris imago, aut nomen inscripta, inscriptumque erat, rem sibi addicebat, ita christiani crucis imagine, aut Christi nomine ecclesiæ inscripto locum aliquem divino cultui addictum significabant. Sed credibile non est, christianos ea tempestate, qua ethnici imperio potiebantur, signa illa in suis ecclesiis ante omnium oculos ponere voluisse; nisi forte dicamus, hæc signa tantum christianis nota fuisse. Rectius Mabillonius *comment. in ordin. Roman. cap.* 5, et Bertius *Histor. eeclesiast. II. sæc. tom.* 2 *dissert.* 1 *num.* 3 *pag.* 40, *edit. Bassani* 1769. Titulos fuisse observant loca Deo consecrata, quæ sacerdotes et ministros sibi addictos habebant. Nam et lapis erectus et Deo consecratus a Jacob in Bethel, Titulus dicitur *Genes. cap.* 28 *v.* 18 *et* 22, atque aræ similiter et delubra idolorum *Levit. cap.* 26 *v.* 1, et *Numer. cap.* 33 *v.* 52, Tituli appellantur. Pauca hæc de Titulis dicenda putavi; nunc ad rem redeo. Omnes igitur in ordinatione certæ adscribebantur ecclesiæ, quam deserere non poterant, nisi ab episcopo dimissi fuissent; quo spectabant veteres *litteræ dimissoriæ*. Quare clericos, qui sine episcopi venia a suis ecclesiis discesserant, ad eas redire cogunt, et pœnis etiam coercent S. Leo M. *epist.* 1 *cap.* 5 *col.* 590 *tom.* 1 *opp., ed. Ballerin. Venet* 1753; S. Gregorius M. *lib.* 9 *epist.* 65 *col.* 981 *tom.* 2, *edit. Maurin. Paris.* 1705; concilium Arelatense *can.* 21 *col.* 1453 *tom.* 1, et Francofordiense *can.* 27 *ejusd. collect. Labbei.* Quod idem sancitum est *Novel.* 3 *cap.* 2, et in capitularibus regum Francorum *apud Baluzium tom.* 1 *capitul.* 1 *an.* 789, *cap.* 24 *col.* 163. *Capitul. an.* 794 *cap.* 26 *col.* 193. *Capitul.* 1 *incertiann. cap.* 11 *col.* 551. *Capitul, Caroli M. lib.* 1 *cap.* 3 *col.* 475, *edit. Venet. ann.* 1772. Ordinatorum titulos populo nuntiabat archidiaconus ea formula, quam describunt Romani correctores *in can.* 1 *dist.* 70. Ab ecclesiæ titulo non procul aberat titulus Monasterii. Quidam enim ordinabantur, ut sacra conficerent in sacellis mo-

nasteriorum, et hi quidem his sacellis erant addicti, ut ceteri clerici ecclesiis suis. Non desunt tamen exempla quorumdam, quorum insignis pietas atque doctrina, propter quam ecclesiæ universæ utiles videbantur, ab episcopis impetrare potuit, ut in ordinatione nulli certæ ecclesiæ adscriberentur. Ita Paulinus *epist.* 6 *pag.* 7, *editione Veron.* 1736 de ordinatione, qua insignitus est a Lampio Barcinonensi, habet hæc : « Ea conditione in Barcinonensi ecclesia consecrari adductus sum, ut ipsi ecclesiæ non alligarer, in sacerdotium tantum Domini non etiam in locum ecclesiæ dedicatus. » Eademque lege Hieronymus a Paulino episcopo Antiocheno ordinatus est. Erant tamen hæc exempla præter communem consuetudinem, a qua se recte discedere episcopi putabant posse, ut morem gererent illis, quos ecclesiæ universæ utiles fore prospiciebant. Verum ea disciplina, per quam nemo ordinabatur, nisi certæ adsriberetur ecclesiæ, cui perpetuo addictus esse deberet, generatim obtinuit, eaque vigebat adhuc sæculo XI, uti patet ex concilio Placentino apud Gratianum *can.* 2 *dist.* 70, et Claromontano *can.* 13 apud Labbeum *tom.* 12 *col.* 831. Eodem autem redibat ecclesiæ ac beneficii titulus; nam qui certæ adscribebatur ecclesiæ, ei de ipsius ecclesiæ reditibus alimenta præstabantur; quæ præstationes beneficii loco erant. Nunc, ut recte animadvertit Benedict. XIV *de synod. diœces. lib.* 11 *cap.* 2 *num.* 8 *et ieq.* cum instituta sint beneficia simplicia, quorum rectores residentiæ onere non obstringuntur, cum item patrimonia ordinationis titulum præbeant, non ea potest retineri generatim Chalcedonensis concilii lex, ut scilicet nullius ordinatio habeatur, nisi mancipetur certæ alicujus ecclesiæ ministerio, quod ipse deserere nusquam possit. Verum nunc etiam eo jure utimur, ut omnes clerici in ordinatione certæ ecclesiæ adscribantur, quod quidem jus est constitutum a concilio Tridentino *sess.* 23 *cap.* 16 *de reform.*, ab Innocentio XIII *constituit. Apostolici ministerii* 34 §. 3 *bullar. Roman. ult. edit. tom.* 11 *pag.* 259, a Benedicto XIII *Constit. In supremo militantis* 31 §. 2 *loc. cit. pag.* 250, et *in concil. Roman. tit.* 6 *cap.* 2 *de ætat. et qualit. præficiend.* Atque hæc adscriptio non ea quidem omnia efficit, quæ a concilio Chalcedonensi, vetustisque canonibus sancita erant, sed tamen clericus servire debet ecclesiæ, cui in ordinatione adscriptus est, præsertim si ea parochialis sit. Nam clericus susceptos ordines in ea debet exercere, tum suam parocho operam præbere, cum pueros rem christianam docet, cum sacris in ecclesia muneribus fungitur, cum ad ægrotos defert sanctissimum Eucharistiæ sacramentum. Omnis clericus, qui non hæc sese præstitisse demonstraverit, non est ad superiores ordines traducendus.

(3) Patrimonii titulo occasionem dedisse videtur Alexander III, *in cap. 4 de præben.*, cum episcopum, qui clericum sine beneficio ordinaverat, liberat a pœna eidem suppeditandi necessaria, donec ecclesiasticum beneficium obtinuerit, quo sese alere honeste possit; *nisi forte talis, qui ordinatur, exstiterit, qui de sua, vel paterna hereditate subsidium vitæ possit habere.* Si recte Alexandri mentem inspicianus, non hic profecto ipse patrimonii titulum instituit, sed tantum proponit casum, quo episcopus ab ea pœna liberètur. Verumtamen canonistæ hoc freti decreto Alexandri, indiscriminatim ordinari putarunt clericos, vel beneficii, vel patrimonii titulo; sed concilium Tridentinum *sess.* 21 *cap.* 2 *de reform.* statuit: « Ne quis clericus sæcularis ad sacros ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere . . . . Patrimonium vero, vel pensionem obtinentes ordinari post hac non possint, nisi illos, quos episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate ecclesiarum suarum. » Quibus ex verbis manifestum est, recte definitum a Sac. Congregatione concilii apud Fagnanum *in cap. 4 de præben. num.* 24 ex sententia synodi Tridentinæ beneficii titulum *legitimum* atque *ordinarium* esse, titulum vero patrimonii, ac pensionis *extraordinarium*, ac veluti *ex dispensatione* admitti, cum nimirum episcopus pro ecclesiæ utilitate, aut necessitate aliquem ordinandum esse judicaverit.

(4) Synodus Tridentina *loc. cit.* tantum in majoribus ordinibus titulum postulat beneficii, pensionis, aut patrimonii; sed in locis compluribus, sive lege, quam multi cum Glossa repetunt ex *cap.* 2 *de præben.*, ubi ea in re nullum inter majores minoresque ordines discrimen constituitur, sive consuetudine receptum est, ut etiam in minoribus ordinibus titulus requiratur. Confer Giraldum *exposit. Jur. Pontific. part.* 1 *lib.* 3 *tit.* 5 *section.* 360 1 *pag.* 250.

(5) Cit. constit. *Romanus Pontifex* S. Pii V.

(6) *Cap. Cum secundum de præben.* Hac autem pœna, per quam episcopus clerico sine titulo ordinato alimenta præstare cogitur, eum tantum liberari, si ipse clericus obtineat beneficium, non item si ex bonis patrimonialibus obtineat, unde vivere honeste possit, secundum jus novissimum conc. Tridentini, ostendit Rigant. *ad regul.* 24 §. *num.* 192.

§. X. Utque ordo clericalis turpitudine omni careat et idonea scientia sit præditus, necesse est in-

quirere in vitam, mores, scientiam singulorum (1), antequam ordines suscipiant, quod examen qui subterfugerit, prohibebitur obire munus ordinum susceptorum, si ordinandis se clam inseruerit, aut episcopum deceperit (2). Quin etiam si quis sacris se miscuerit officiis, cum non esset ordinibus initiatus, spem ordinum amittet in posterum, atque ab ecclesia abjicietur. (3).

(1) Vetus est in ecclesia lex, ut nemo ordinetur, nisi primum episcopi judicio probatus fuerit *can.* 2, 3 *et* 5 *dist.* 24, quæ lex consentanea est præcepto Apostoli 1 *ad Timoth V v.* 22. *Manus cito nemini imposueris*, eamque commendant SS. Patres, præsertim S. Joan. Chrysostomus *Homil.* 16 *in* 1 *ad Timoth. tom* 11 *pag.* 642. *edit. Paris. anno* 1734; S. Leo M. *lib.* 3 *epist.* 49, *et lib.* 4 *epist* 26 *col.* 660 *et* 704 *tom.* 2, *edit. Paris.* 1705. Atque huc spectat decretalium titulus *de scrutinio in ordine faciendo*, in quem videndus Cironius *in Paratitl.* Consultissimam hanc legem probavit synodus Tridentina *sess.* 23 *cap.* 7 *de reform.*, cum statuit, ut episcopus ordinationes facturus, sibi etiam adscitis peritis viris, *ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem diligenter investiget et examinet.* Plura simul eadem synodus decreta edidit de scientia, qua clericos pro singulis ordinibus præditos esse oportet *d. sess.* 23 *cap.* 4, 11, 13, 14. Atque ut ordinandorum vita omnibus esset explorata, vetus ecclesia eorum nomina coram clero et populo nunciare consuevit, uti patet ex concilio Chalcedonensi apud Gratianum *can.* 1 *dist.* 70 ubi habetur *ordinationis publicatæ vocabulum*, ex S. Cypriano *epist.* 33 *pag.* 47, *edit. Paris.* 1666, aliisque apud Hallier *de sacr. elect. lib.* 1 *cap.* 2 *art.* 2, et Emm. Gonzales *ad tit. de scrutin. in ordin. facien.* Synodus Tridentina *sess.* 23 *cap.* 5 *de reform.* statuit, ut « Ad minores ordines promovendi, bonum a parocho, et a magistro scholæ, in qua educantur, testimonium habeant. Hi vero, qui ad singulos majores erunt assumendi, per mensem ante ordinationem episcopum adeant, qui parocho, aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus ac desiderio eorum, qui volent promoveri, publice in ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus et vita, a fide dignis diligenter inquirat; et litteras testi-

moniales, ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum episcopum quamprimum transmittat. »

(2) *Cap. ultim. de eo qui furtiv. ordin. suscep.* Potest tamen episcopus suspensionis pœna solvere furtive ordinatum, nisi ministraverit, uti statuit Clemens VIII *cit. Const. Romanum Pontificem*, abrogata constitutione Sixti V, cujus paulo ante facta mentio est.

(3) *Cap.* 1 *de cler. non ordin. ministr.*

§. XI. Ordinum ubique conferendorum potestas unius est Romani Pontificis (1), episcopi in diœcesi sua. Alienæ diœceseos hominem ordinare quis nequit, nisi ab ejus episcopo veniam acceperit litteris, quas appellant *dimissoriales*. Dabantur olim hæ litteræ, ut clericus dimitteretur ab ecclesia, cui erat addictus atque ut alteri ecclesiæ adscribi posset (2); nunc dantur, ut ordinetur ab episcopo non suo, sed is tamen, ut antea, pertinet ad suum episcopum, cum hodie tantum suscipiendorum ordinum gratia clerici dimittantur (3).

(1) De ordinatis a summo Pontifice illud est animadvertendum, quod qui ab eo minorem ordinem accepit, majorem ab alio accipere non potest, quam ab ipso Pontifice, aut ab episcopo, cui idem Pontifex facultatem dederit. Confer Benedictum XIV *in Constit. In postremo* 64 *pag.* 298 *tom.* 4 *ejus bullarii, edit. Romæ* 1758, ubi ea de re agitur copiose et diligenter.

(2) Huc spectabant antiquæ litteræ *dimissoriæ*, quæ et *pacificæ et formatæ* dicebantur, quamquam, uti demonstratum supra est, *Titul. III sect.* 5 §. 50 *not.* 2, *formatarum* litterarum vocabulum nomen esset generis, quod et *commendatorias*, et *communicatorias* et *dimissorias* litteras comprehendebat. Omnes enim clerici in ordinatione certæ ecclesiæ adscribebantur, neque eam deserere poterant, nisi primum episcopus ipsos ab ejus servitio *dimitteret* et quasi emanciparet : concil. Carthagin. 1 *can.* 5 *col.* 749, et Trullanum *can.* 17 apud Labbeum *tom.* 7 *col.* 1355, *edit. Venet.* quo decernitur, ut « Nullus omnino clericus, in quocunque sit gradu, potestatem habeat, sine proprii episcopi scripta dimissoria, in alienæ ecclesiæ catalogum referri. » Ex quo evidens est, datas litteras dimissorias, non ut clericus ordinaretur, sed ut referri posset *in alienæ ecclesiæ catalo-*

gum, quod fieri non poterat nisi primum ab ecclesia, cui erat addictus, dimitteretur. Duas litterarum dimissorialium formulas proponit Gratianus *can.* 1, *et* 2 *distinct.* 73; sed hæ commentitiæ sunt. Clerici *peregrini*, qui sine episcopi litteris vagabantur, graviori afficiuntur pœna a conciliis Arelatensi I. *can.* 2. *col.* 1454 *tom.* 1, Nicæno *can.* 16 *col.* 39 *tom.* 2, Taurinensi *can.* 7 *col.* 1586 *tom.* 2, Chalcedonensi *can.* 20 *col.* 1690 *tom.* 4, Arelatensi II. *can.* 13 *col.* 4 *tom.* 5 apud Labbeum *edit. Venet.*, atque a canone 15 apostolorum apud Cotelerium PP. *Apostol. tom.* 1 *pag.* 444 *edit. Amstelodami* 1724, ubi hujusmodi clericus *ulterius ministrare* prohibetur, et *tamquam laicus communicare* jubetur.

(3) *Cap.* 8 *de Offic. archid., cap.* 3 *de Tempor. ordin. in* 6.

§. XII. Episcopus, qui sine litteris dimissoriis alienum subditum ordinavit, anni spatio ordinum collatione interdicitur; ipse autem clericus susceptos ordines exercere non potest, nisi primum a suo episcopo veniam obtineat (1). Diu in utraque ecclesia proprius episcopus is tantum fuit, qui aliquem primum clero adscripserat. Nulla enim habebatur ratio originis, aut domicilii (2); et cum clericus relinquere non posset ecclesiam, cui adscriptus in ordinatione fuerat, ab ejus episcopo reliquos etiam ordines suscipiebat.

(1) Concil. Trident. *sess.* 23 *cap.* 8 *de reform.* Vide Rigant. *ad regul.* 24 *cancel.* §. 4 *num.* 39 *et seq.*, ubi etiam explicatur pœna, qua plectitur episcopus, qui aut extra tempora constituta aut ante legitimam ætatem ordines contulit.

(2) Vide Hallier *de sacr. ordinat. par.* 2 *sect.* 5 *cap.* 3 *art.* 1 §. 4, qui multis exemplis ostendit, olim vetitum fuisse solum alienos *clericos*, non autem alienos *laicos* ordinare. Revera tantum de clericis, nulla de laicis mentio est in vetustis canonibus concil. Sardicensis *can.* 18 *et* 19 *col.* 679 apud Labbeum, *edit. Venet. tom.* 2, Carthaginensis III. *can.* 21 *col.* 1402 *tom.* 2 *ejusdem collect.* Quod etiam confirmant S. Leo M. *epist.* 14 *cap.* 9 *col.* 689 *tom.* 1, *edit. Ballerin. Venet.* 1753, et S. Augustinus *epist.* 64 *col.* 153 *tom.* 2 *edit. Venet.* 1729 qui tradit disertissime, Carthaginensi canone *de solis clericis statutum*, *non etiam de laicis*. De Orientali ecclesia testatur Balsamon *in*

respons. ad Marcum, apud Leunclavium *Jur. Græco-Roman. pag.* 382 *et* 383, *edit. Francofur.* 1596, primum in synodo Constantinopolitana Michaëlis Anchiali patriarchæ actum fuisse de alienis laicis non ordinandis. Atque huc spectant exempla Origenis, Hieronymi, Augustini, aliorumque complurium, qui omnes ordinati non sunt ab episcopis, quorum in diœcesi nati erant, aut domicilium habebant. Quin Demetrius episcopus Alexandrinus, licet Origeni esset infensissimus, tamen ei numquam vitio vertit, quod ab alieno episcopo ordinatus fuisset, ac tantum objecit voluntariam sui ipsius mutilationem, cujus causa eum irregularem contendebat: *nihil namque aliud habebat, quod ei objiceret*, uti narrat Eusebius *lib.* 6 *histor. cap.* 8 *pag.* 230, *edit. Augustæ Taurin.* 1746.

§. XIII. Sed deinceps non amplius prioris ordinationis, verum *originis* et *beneficii* ratio haberi cœpit (1). Accessit recentiori ætate titulus *domicilii* (2), ac denique titulus etiam *familiaritatis* (3). Itaque certo episcopo nunc omnes subjecti sunt aut propter *beneficium*, quod aliquis habet in ejus diœcesi, aptum et conveniens ad decentem ipsius tuitionem (4); aut propter *originem*, cum nimirum ipse in ejus diœcesi natus est, non fortuito, sed domo pridem a parentibus constituta (5); aut propter *domicilium*, quod quis in ejus diœcesi perpetuum fixumque posuit (6); aut propter *familiaritatem*, cum per triennium episcopo familiaris fuit et cum eo commoratus est (7).

(1) *Cap.* 1 *de Tempor. ordinat. in* 6.
(2) *Cap.* 3 *eod. tit.*
(3) Concil. Trident. *sess.* 23 *cap.* 9 *de reform.*
(4) Quemadmodum olim ipsa ordinatio clericum certæ ecclesiæ adscribebat, ita hodie beneficium ecclesiasticum clericum facit ministrum ecclesiæ, in qua habet beneficium et subjectum episcopo, cujus in diœcesi illud situm est. Quare hæc subjectio propter beneficium omnino est consentanea antiquæ ecclesiæ disciplinæ, uti ostendit Hallier *de sacr. ordinat. par.* 2 *sect.* 3 *cap.* 3 *art.* 5 §. 1. Ut vero omnes amoverentur fraudes, quæ ea in re fieri possent, statuit Innocentius XII in bulla *Speculatores* 96 *tom.* 9 *pag.* 374 *bullarii ult. edit.*, ut illud satis esse debeat ad

decentem clerici tuitionem. Qua quidem bulla accurate recensentur atque explicantur quatuor illi tituli *beneficii, originis, domicilii, familiaritatis*, quorum causa quis certe episcopo subjicitur et alia in conferendis ordinibus servatu necessaria proponuntur.

(5) Episcopum originis memorat Clemens IV *in cap.* 1 *de Tempor. ordinat. in* 6, sed ita memorat, ut facile constet, disciplinam hanc jampridem fuisse constitutam. Et licet *originis* nomen secundum Jus civile *in leg.* 6. §. 1 *ff. ad municip.* non tantum propriam ipsius ordinandi, sed etiam patris originem comprehendat, tamen in ordinatione nulla habetur paternæ originis ratio, sed tantum spectatur locus originis, aut nativitatis ejus, qui ordinibus initiatur; modo ipse eo in loco casu natus non fuerit, puta cum pater in itinere esset, aut ibi mercaturæ ex. gr., officiive causa temporalem moram duceret.

(6) Innocentius XII, *in cit. Constit. Speculatores* legem constituit, per quam domicilium acquiritur, ut quis ejus loci episcopo subjiciatur. Inquit enim domicilium ab eo tantum acquiri, qui « Illud ideo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum ac bonorum suorum partem cum instructis ædibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit et nihilominus ulterius utroque casu se vere et realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet. » Sed hoc jusjurandum requiritur, cum filius propter suum, non item cum propter patris domicilium ordinari cupit, uti demonstrat Rigant *ad regul.* 24 *cancell.* §. 3 *num.* 51.

(7) Ut episcopus ordinare recte possit illum, quem triennii spatio secum habuit familiarem, necesse est etiam, quod *beneficium, quacumque fraude cessante, statim re ipsa illi conferat*, ut inquit synodus Tridentina *sess.* 23 *cap.* 9 *de reform.* Illud vero *statim* ita explicat Innocentii constitutio §. *ad hæc: Statim, hoc est saltem intra terminum unius mensis a die factæ ordinationis.* Et quamquam synodus Tridentina, atque Innocentii constitutio tantum beneficii titulum memoret, tamen episcopum ordinare posse clericum familiarem suum etiam titulo pensionis, aut patrimonii, modo id postulet utilitas, aut necessitas suarum ecclesiarum, cumdemque illis adscribat, monet Giraldus *exposit. Jur. Pontific. par.* 2 *sect.* 97 *pag.* 958 *tom.* 2.

§. XIV. A quolibet episcopo, cui quis subest propter *beneficium* aut *originem*, aut *domicilium*, aut

familiaritatem, ordines suscipere potest, quin etiam, modo fraus absit, ordo unus ab uno episcopo et alius ab alio recte suscipitur (1). Verum cum episcopus ordines confert jure *beneficii* aut *familiaritatis*, necessariæ sunt litteræ testimoniales episcopi originis et domicilii, per quas comperta sit vita, ætas, natales, mores clerici, qui ordines suscepturus est (2). Regulares autem, exhibitis litteris dimissoriis sui superioris, ordinandi sunt ab episcopo, cujus in diœcesi situm est cœnobium, in quo commorantur, non item ab alio episcopo, nisi certis monumentis ostendant, illum vel abesse, vel ordinationes non habere (3).

(1) Ita qui unum ab episcopo originis ordinem accepit, alium ab episcopo domicilii, vel beneficii accipere potest; atque ita, modo procul sit fraudis causa, responsum est a sac. Congregatione concilii *in Fundana ordinum* 23 *januar.* 1666 *lib.* 25 *decret. p.* 52, *in Aquipendien. seu Clusina diaconatus* 13 *novembr.* 1777, *in Bononien seu Ferarien. ordinationis* 14 *novembr.* 1733 *tom.* 6 *pag.* 185. Vide card. Petra *ad Const. apostol. tom.* 1 *pag.* 186 *sect.* 1 *num.* 64, *edit. Venet.* 1741.

(2) Cit. Constit. *Speculatores* §. 3 *et* 6.

(3) Benedictus XIV *Constitut. Impositi* 27 *tom.* 2 *ejus bullar. pag.* 109, *edit. Venet.* 1754. Excipiuntur tamen regulares, ut ipse docet Benedictus, qui a sede Apostolica privilegium impetrarunt suscipiendi ordines a quovis catholico antistite, modo hoc privilegium ipsis nominatim, et post concilium Tridentinum concessum sit.

§. XV. Certa etiam pro singulis ordinibus ætas requiritur, qua in re varia fuit antiquæ ecclesiæ disciplina (1). Nunc tonsura et minores ordines ante exactum septimum ætatis annum non conferuntur (2); subdiaconus autem nemo esse potest, nisi vigesimum secundum, diaconus, nisi vigesimum tertium, presbyter, nisi vigesimum quintum ætatis annum attigerit (3). Qui ante hanc ætatem, non impetrata venia sedis Apostolicæ, vel ab alieno episcopo, sine litteris dimissoriis episcopi sui, ordinibus initiatus est, susceptorum ordinum munera exer-

cere prohibetur, et si exercuerit, irregularis efficitur. (4).

(1) De ætate ordinandorum non eadem semper fuit ecclesiæ disciplina, quod late ostendit Thomassinus *vet. ac nov. eccles. discipl. par.* 1 *lib.* 2 *cap.* 67 *et seq. pag.* 251 *tom.* 1, *edit. cit.* Diu viguit consuetudo, ut parentes ecclesiæ offerrent infantes filios, qui in clerum cooptabantur, ac suo deinceps tempore per gradus ad superiores ordines evehebantur, cum antea singulorum minorum ordinum officia exercuissent. Quo fiebat, sicuti observat cardinalis Bona *rer. liturgic. lib.* 1 *cap.* 25 §. 18 *t.* 2 *pag.* 574, *edit. Taurin.* 1749, *Ut rerum ecclesiasticarum peritissimi essent, in quibus fuerant ab ipsa pene infantia enutriti.* Quam parentum oblationem tanti valuisse multi putant, ut filii etiam cum puberes evaserant, deserere non possent illud vitæ institutum, cui parentes eos vel infantes, vel impuberes addixerant. Certe in concilio Chalcedonensi ex interpretatione Dionysii Exigui *act.* 15. *can.* 7 *t.* 4 *conc. Labbei col.* 1697, *ed. Venet. indic.* habentur hæc : « Eos qui semel in clero taxati fuerint, sive in monasteriis deputati, decrevimus neque ad militiam, neque ad honores sæculi venire. » Pueros autem a parentibus oblatos in ipsa infantia tonsos fuisse, ac lectoratus ordine insignitos, adeo ut revera *in clero deputati* dicerentur, non obscure tradit concil. Toletanum II *Can.* 1 *t.* 5 *col.* 878 *col. ejusd.* cum inquit, hos pueros, *mox* fuisse *detonsos et ministerio lectorum contraditos.* Quod etiam ostendit Cyrillus Scythopolitanus *in Vit. S. Euthymii abbatis, Analector. græcor. tom.* 1 *p.* 8 *et* 9 *Paris.* 1688, ex quo intelligimus, ipsum Euthymium triennem Otrejo Melitinensi episcopo oblatum fuisse, *qui susceptum puerum baptizavit et totondit, commissæque sibi ecclesiæ lectorem fecit, atque in episcopio accepit et enutrivit.* Quibus ex locis, meo judicio, perspicuum est, pueros a parentibus oblatos statim tonderi, ac lectoratus ordine donari consuevisse; quamquam non ignorem, plures esse viros doctos, quorum in animis alia insidet opinio. Utut ea de re sit, profecto si hæc parentum oblatio efficiebat, ut hi pueri revera clerici fierent, non item efficiebat, ut perpetuam castitatem servare cogerentur. Nam ipsis integrum erat, posteaquam adoleverant, aut uxorem accipere, aut suscepto subdiaconatu sese perpetuæ continentiæ lege obstringere. Rem omnem explicat disertissime laudatus canon I. concilii Toletani II., cujus hæc verba sunt: « De his, quos voluntas parentum a primis infantiæ annis clericatus officio manciparit, statuimus observandum, ut mox cum detonsi, vel ministerio electorum

contraditi fuerint, in domo ecclesiæ, sub episcopali præsentia, a præposito sibi debeant erudiri. At ubi octavum decimum ætatis suæ compleverint annum, coram totius cleri plebisque conspectu, voluntas eorum de expetendo conjugio ab episcopo perscrutetur. Quibus si gratia castitatis, Deo inspirante, placuit... primum subdiaconatus ministerium habitu probationis suæ a vigesimo anno suscipiant. » Quod cautum erat de omnibus, qui se clero adscripserant, ut cum ad pubertatis annos venissent, vel *uxorem ducerent*, vel *continentiam profiterentur*, uti loquitur concil. Carthaginense III. *Can.* 19 *tom.* 2 *col.* 1402 *collect. indic.* Poterant hi quidem minores clerici uxorem accipere, sed non poterant a clericatus professione recedere, quod late ostendit Thomassinus *vet. et nov. eccles. disciplin. par.* 2 *lib.* 1 *cap.* 11 *tom.* 2 *pag.* 24 *edit. cit.* Dicam paulo post de pueris, quos parentes monasterio offerebant. Hujus autem disciplinæ de filiorum oblatione *moderationem paucis ab hinc sæculis inductam esse* monet Benedictus XIV, in litteris datis ad P. Hieronymum Guglielmi 15 decemb. 1751, quæ exstant in ejus bullario *tom.* 3 *Const.* 54 §. 3 *pag.* 240, *edit. ann.* 1754. Consule Morinum *de Sacr. ordinat. par.* 3 *exerc.* 13 *de tonsur. cleric. cap.* 3; Bosquetum *in notis. ad epist.* 136 *Innocentii III lib.* 2 *reg.* 14 *pag.* 151; Martenium *de antiq. eccl. ritib. lib.* 1 *par.* 2 *cap.* 8 *art.* 3 *num.* 2 *tom.* 2 *pag.* 6, *edit. cit.*; Thomassinum *vet. et nov. eccles. disciplin. par* 2 *lib.* 1 *cap.* 23 *et* 24 *pag.* 41 *ibid.*

(2) Nullam pro tonsura, et minoribus ordinibus ætatem expresse constituit synodus Tridentina, sed ea res episcopi arbitrio relinquitur, qui pueros ordinare poterit ea ætate, qua ipsos ad hoc munus aptos et idoneos judicabit. Generatim tamen post septennium minores ordines conferuntur. Vide Catalanum *in Pontific. Roman. tit.* 2. §. 1 *num.* 9 *par.* 1 *pag.* 28, et Fagnanum *in cap. super inordinata de præben. num.* 27 *ad ult.*

(3) Concil. Trident. *sess.* 23 *cap.* 12 *de reform.* De subdiaconorum ætate non eadem semper et ubique fuit antiquæ ecclesiæ disciplina. Concil. Toletanum II *loc. cit.*, et Trullanum *can* 15. *col.* 1554 *tom.* 7 *cit. collect. Labbei*, ætatem constituunt annorum viginti; concilium Melfitanum *can.* 4 *col.* 781 *tom.* 12 *collect. ejusd.* anno decimoquarto aut decimoquinto subdiaconos ordinari permittit. Hugo a S. Victore *de sacram. lib.* 2 *cap.* 21 *pag.* 614 *tom.* 3 *opp., edit. Rothomag*, 1648, sua adhuc ætate ante quartumdecimum ætatis annum subdiaconatum dari non consuevisse testatur; et Clemens V. *in Clement. Generalem de*

ætat. et qualit. ordin. annum decimum octavum definivit. Diaconos vero ante annos 25, presbyteros ante annos 30 ordinari vetat *c. 5 et 6 dist. 77.*

(4) Ita sancitum est a Pio II. *Constit. Cum ex sacrorum 9 tom. 3 par. 3 pag. 109 bullarii, edit. ult.* Graviores, quam quæ hac constitutione comprehenderentur, pœnas indixit Sixtus V *in cit. constit. Sanctum 140 p. 40 tom. 5 par. 1,* sed eas sustulit, et antiquiorem Pii II constitutionem, cujus nunc facta mentio est, servari voluit Clemens VIII *cit. Constit. Romanum 121 pag. 97 tom. 5 par. 2 bullarii edit. cit.* Piana constitutio tantum memorat *ordines sacros,* ex quo conficit Rigantius *ad regul. 24 cancell. §. 4 num. 22,* ea pœna tantum illos esse plectendos, qui majores, non item qui minores, ordines ante legitimam ætatem, vel extra tempora a jure constituta, vel sine litteris dimissoriis proprii episcopi susceperunt; quamquam *num. 24* fateatur, hos etiam clericos, cum absit bona fides, a susceptorum ordinum exercitio esse suspendendos. Verum id quidem est, quod dicitur de Piana constitutione; sed Innocentius XII in *cit. Constit. Speculatores, eo ipso suspensos a susceptorum ordinum executione declarat clericos,* qui sine litteris testimonialibus proprii episcopi, tonsuram atque ordines susceperunt.

TITULUS V.

Quibus modis Potestas Jurisdictionis et omnia Ecclesiastica Beneficia acquirantur.

I. Potestas jurisdictionis acquiritur | vel ecclesiastico magistratu, vel delegatione.

§. I.

Potestatem jurisdictionis acquirunt clerici vel ecclesiastico magistratu, vel delegatione. Qui jurisdictione utuntur sua, et insita beneficio, quo fruuntur,

ii proprie dicuntur gerere ecclesiasticum magistratum; qui non propriam et nativam, sed ab alio acceptam jurisdictionem exercent, ii delegationem habent, uti sunt Vicarii, de quibus superiori loco actum est. Ecclesiasticum magistratum clerici consequuntur per electionem, postulationem, collationem, institutionem, quæ nimirum pertinent ad beneficia juris patronatus. Iisdem etiam modis omnia ecclesiastica beneficia acquiruntur.

SECTIO I.

De Electione.

II. Quid electio sit?
III et IV. Electio summi pontificis.
V. Romani Pontifices initio episcopos constituebant.
VI. Quomodo deinceps electiones delatæ ad synodos provinciales, ad metropolitas, ad clerum, ad canonicos?
VII et VIII. Vetus episcoporum eligendorum ratio.
IX et X. Episcoporum electiones sedi Apostolicæ justis de causis reservatæ.
XI. Reservationes inductæ a Clemente V, a Benedicto XII, a regulis cancellariæ.
XII. Concordata.
XIII. Electiones prælatorum inferiorum.
XIV ad XVI. Qui eligere et qui eligi possint.
XVII. Intra quod tempus episcopi electio facienda sit.
XVIII et XIX. Electio per scrutinium,
XX. per compromissum,
XXI. per quasi inspirationem.
XXII. Electionis confirmatio.
XXIII et XXIV. Vis confirmationis, atque ejus concedendæ modus.

§. II.

Electio est idoneæ personæ ad ecclesiasticum magistratum, aut dignitatem vacantem canonice facta vocatio. Ea proprie pertinet ad majores ecclesiæ dig-

nitates, ad summum Pontificem, ad episcopos, ad prælatos sive sæculares, sive regulares, qui aliis præficiuntur.

§. III. Romanum Pontificem ab antiquis temporibus eligunt cardinales, de quo multæ sunt editæ constitutiones (1), quas servare oportet diligenter, ut res tanti momenti rite recteque expediatur. In hac electione præcipua sunt, quod post soluta justa funeri defuncti Pontificis, per dies novem, cardinales die decima conclave ingrediuntur, posteaquam missa Spiritus Sancti solemniter celebrata est. Postero autem die inchoatur electio, neque cardinales, qui in conclavi sunt, absentes exspectare coguntur, neque absentibus licet suffragium suum alteri committere.

(1) De electione summi Pontificis celebres in primis sunt constitutiones Alexandri III *in cap.* 6 *de elect.;* Gregorii X in concilio Lugdunensi *cap.* 3 *de elect. in* 6; Clementis V *clement.* 2 *de election.* præterea missis ceteris quæ multæ sunt, duæ Gregorii XV constitutiones, quarum altera est constitutio *Decet Romanum Pontificem* 51 *pag.* 5 *tom.* 5 *part.* 5, altera constitutio *Æterni* 41 *pag.* 400 *tom.* 5 *part.* 4 *bullar. edit. cit.,* in quibus Pontificis electio accurate describitur. Omnes autem antiquiores de summi Pontificis electione constitutiones confirmavit Clemens XII *in Constit. Apostolatus* 76 *pag.* 302 *tom.* 13 *bullarii edit. cit.,* ubi plura de conclavis regimine, ac de rebus gerendis, sede Apostolica vacante, decreta sunt. De jure autem cardinalium in eligendo summo Pontifice videndus in primis Mamachius *ad auctor. opusc. Quid est Papa? epist.* 7 *num.* 1 *et seq., pag.* 96 *et seq. tom.* 2.

§. IV. Cum electio fit per scrutinium (nam fieri potest etiam per compromissum et quasi inspirationem, quos singulos eligendi modos paulo post explicabimus) non tantum *scrutinium,* sed etiam *accessus* adhibetur. Nimirum cum publicato scrutinio, nemo electus deprehenditur a duabus ex tribus eligentium partibus, quas postulat electio summi Pontificis (1),

novum *in accessu* suffragium ferre possunt cardinales, et ita conficere justum numerum suffragiorum, quo opus est, ut canonice electio absolvatur. Omnes, qui præsentes sunt, cardinales, exceptis iis, qui in sacris constituti non sunt (2), jus habent ferendi suffragii, neque repelli quis potest, quod excommunicatus sit, suspensus, interdictus (3).

(1) *Cap.* 6 *de Elect.*

(2) Pius IV, *in Constit. In eligendis* 75 §. 25 *tom.* 4 *par.* 2 *pag.* 148 *bullarii edit. cit.*

(3) *Clement.* 2 *de Elect.*, Pius IV. *in cit. Constit. In eligendis* §. 29. Sed præcipua, quæ ad Romani Pontificis electionem pertinent, accurate descripta sunt in laudatis constitutionibus Gregorii XV, atque in libello, cui titulus *Cæremoniale electionis Romani Pontificis*, ubi etiam habentur constitutiones, quas cardinales initio conclavis sese diligenter servaturos jurati promittunt.

§. V. Episcopos in illis ecclesiæ primordiis apostoli ipsi constituerunt, in primis autem Petrus caput et princeps omnium, a quo præsertim Occidentales ecclesiæ originem repetunt (1). Verum ampla illa, quæ in apostolis inerat, potestas regiminis aut jurisdictionis, cum ipsis apostolis expiravit, non ad eorum in episcopatu successores translata est; tantum Petri potestas, cui ceteri suberant, ordinaria fuit atque ad ejus successores deferri debuit. Itaque vita functis apostolis, tantum Petri successores Romani Pontifices episcopos constituere potuerunt eodem jure, quo Petrus ipse constituerat; atque hæc sane fuit vetustissima ecclesiæ disciplina (2).

(1) Celebre est illud, quod repugnante nemine testatus est Innocentius I *epist.* 25 *ad Decent. Eugubin.* apud Coustantium *col.* 856 « Præsertim cum sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam atque Siciliam, Insulasque adjacentes nullum instituisse ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Petrus, aut ejus successores constituerunt sacerdotes. »

(2) Confer quæ scripsimus *tit.* 3 *sect.* 1 §. 15 *not.* 1.

§. VI. Lapsu temporis, constitutis episcopatibus et ampliatis eorum regionibus, factaque provinciarum divisione, ut res omnis commodius expediretur, episcoporum electio metropolitis, ac synodis provincialibus commissa est. Verum posterior hæc disciplina nihil detrahere potuit de jure summi Pontificis, ad quem initio pertinebat episcopos constituere. Itaque Romani Pontifices etiam cum a metropolitis, synodisque provincialibus episcoporum electio perficiebatur, ea in re sui jura primatus exercuerunt, constitutis legibus, quas temporum ac locorum ratio postulabat (1). Atque his quidem legibus factæ semper sunt episcoporum electiones, et vero factæ ab iis, quibus hoc negotium summi Pontifices commiserunt (2). Itaque si ea, quæ in episcopis eligendis, a sede Apostolica immutata sancitaque sunt, perperam et injuria gesta dicamus, legitimam cum protestantibus episcoporum successionem tollemus; at si catholici esse volumus, et legitimam hanc successionem agnoscere, profecto recte omnia et jure facta habeamus necesse est.

(1) Confer Siricium *ep. 4 ad Anys.* apud Coustantium *col.* 642 *et epist. 6 ad divers. episc. cap. 1 collect.* 659; Innocentium I *epist. 2 ad Vitric. cap. 1 col.* 748 *et epist. 3 ad synod. Toletan. col.* 764 *et seq.*; Zosimum *epist. 7 ad Patrocl. Arelaten. col.* 961 *et epist. 11 ad cler. ordin. et presb. Massilien. col.* 973; Leonem M. *ep. 10 ad episc. provinc. Viennen. cap. 4 opp. tom. 1 col.* 636 *et seq., epist. 13 ad episc. metropol. Illyric. caput. 3 collect.* 679, *epist. 14 ad Anastas. Thessalonic. cap. 5 col.* 688 *et epist. 167 ad Rustic. Narbon. inquis. 1 col.* 1420, *edit. Ballerin. Venet.* 1755; Gregorium M. *lib. 1 epist. 77 opp. tom. 11 col.* 561, *editione Maurin. Paris.* Sane Romani Pontifices certo generi personarum episcopos eligendi, aut nominandi potestatem concesserunt dederuntque etiam leges, quibus electiones fieri deberent. Quæ leges semper observatæ fuerunt; atque ita profecto capitula ecclesiarum cathedralium eligendi facultatem, ita principes per indulta, aut pacta conventa jus nominandi obtinuerunt. Quisquis in dubium revocat sedis Apostolicæ potestatem, is in idem quoque discri-

men revocet necesse est electiones capitulorum, aut nominationes principum, quæ omnes ex illo fonte procedunt. Non igitur in ecclesia catholica legitimam episcoporum successionem habebimus: qui protestantium error est. Testatur Petrus de Marca *de Concord. sacerd. et imper. lib.* 8 *cap.* 8 *num.* 6, idque certissimis ostendit monumentis, quod « Pontificum Romanorum decretis electio personæ collata est in arbitrium cleri et populi, etiam absque synodi episcopalis præsentia, » *et num.* 7 « Hujus, inquit, novæ formæ origo tribuenda est Siricio Papæ et sequentibus Pontificibus, etc. » Quomodo hæ electiones ratæ firmæ haberi potuissent, nisi illi legitimam eligendi potestatem habuissent? Quomodo vero legitima fuisset hæc potestas, nisi eam summi Pontifices suo jure concessissent?

(2) Vide Cl. card. Gerdilium *Confutazione di due libelli etc. tom.* 1 *pag.* 20 *et seq., et pag.* 108 *et seq.*

§. VII. Jam vero ad clerum delatis episcoporum electionibus, is porro eligebat, seu potius aliquem designabat, præsente ac testimonium dicente populo (1), ne episcopus daretur invitis, utque in omnibus essent comperti mores ejus, qui eligebatur (2). Præcipuæ tamen erant in electione partes metropolitæ et episcoporum provinciæ (3), qui proprie eligebant episcopum, et qui suo lubitu rejiciebant postulatum, aut nominatum, ubi minus idoneus videretur.

(1) Populum in episcoporum electionibus unum dedisse testimonium ostendunt Bellarminus *de cleric. lib.* 1 *cap.* 7 *pag.* 258 *tom.* 1, *edit. Venet.;* Sixtus Senensis *lib.* 5 *Biblioth. adnot.* 118 *pag.* 625, *edit. Neapol.* 1724; Petrus de Marca *Concord. sacerdot. et imper. lib.* 8 *cap.* 2 *num.* 2 *et seq.;* Thomassinus *vet. et nov. eccles. disciplin. par.* 2 *lib.* 2 *cap.* 1 *et seq.* Quod testimonium initio dabatur a populo universo, deinceps, ut procul essent dissidia et confusio multitudinis, ab *honoratis et primatibus* civitatis dari cœpit. Si alias umquam populus in electionibus partes habuit, id factum est per abusum et contra canonum disciplinam.

(2) « Episcopus, inquit Cyprianus *epist.* 67, *alias* 68, *pag.* 289, *editione Amstelod.* 1700, deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissime novit et uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit. » Et paulo antea *p.* 228 sacerdotales ordinationes

fieri ait, « Ut plebe præsente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur et sit ordinatio justa et legitima, quæ omnium suffragio et judicio fuerit examinata. » Sæpe tamen hoc populi testimonium, atque petitio despiciebatur; quoniam, ut inquit Cœlestinus I *epist.* 5 *ad episcop. Apul. et Calabr.* apud Coustantium *col.* 1074, « Docendus est populus, non sequendus; nosque, si nesciunt, eos quid liceat, quidve non liceat, commonere, non his consensum præbere debemus. »

(3) Concil. Nicænum *can.* 4 *tom.* 2 *col.* 72 *collect. Labbei, edit. Venet.*

§. VIII. In ecclesiis compluribus, potissimum si quod erat periculum, ne qua in electione dissidia essent futura, metropolita ad viduatam ecclesiam mittebat episcopum visitatorem, cujus erat edocere populum, quid esset de eligendis episcopis a canonibus constitutum, et motus componere animorum, qui contrariis studiis raperentur. Ita clerici, monachi, laici cum episcopo visitatore certum hominem laudabant, atque inde decretum conficiebatur. Re perlata ad metropolitam, is, accitis provinciæ episcopis, aut eum, de quo canonicum decretum factum fuerat, episcopum consecrabat, aut si quid ei officere et obstare animadverteret, alium episcopum eligebat (1). Sæculo tamen XII jus eligendi episcopos ad solos viduatæ ecclesiæ canonicos migravit, quod jus est decretalium Gregorii IX (2).

(1) Episcopi visitatoris crebra mentio est in epistolis S. Gregorii M., præsertim *lib.* 1 *epist.* 78 *col.* 562, *epist.* 41 *lib.* 4 *col.* 721, *epist.* 21 *lib.* 6 *col.* 808, *epist.* 17 *lib.* 10 *col.* 1052, *et epist.* 13 *lib.* 13 *col.* 1227 *tom.* 2, *edit. Paris.* 1705. Operæ pretium est verba ipsa describere ipsius Gregorii *cit. epist.* 13 *lib.* 13, ut pateat, quod munus esset episcopi visitatoris, et quas in episcoporum electionibus partes clerus et populus haberent. « Ideo dilectio tua, inquit Gregorius, ad prædictam ecclesiam ire properabit et assiduis adhortationibus clerum plebemque ejusdem ecclesiæ admonere festinet, ut remoto studio, uno eodemque consensu talem sibi definiendum expetant sacerdotem, qui et tanto ministerio dignus valeat reperiri et a veneran-

dis canonibus nullatenus respuatur. Qui dum fuerit postulatus, cum solemnitate decreti, omnium subscriptionibus roborati, et Dilectionis tuæ testimonio litterarum ad nos sacrandus occurrat. » Iisdem verbis conceptæ sunt reliquæ Gregorii epistolæ, quibus visitator constituitur. Ex his autem intelligimus, clerum et populum tantum laudasse, aut postulasse episcopum, sed veram propriamque electionem ad eum pertinuisse, cujus erat postulationem rejicere aut approbare et episcopum consecrare. In multis quidem ecclesiis, cum de eligendo episcopo agebatur, a metropolita visitatorem mitti consuevisse constat; sed non idem in omnibus generatim ecclesiis factum videtur, quamquam ubique præcipuæ fuerint metropolitæ partes in episcoporum electionibus. Plures autem formulæ decreti, quod a clero et populo fiebat, exstant apud Baluzium *Formul. antiq. promot. episcop. num.* 7, 10 *et* 21 *tom.* 2 *cap.* 418, 420 *et* 435, *edit. Venet.*

(2) Consule titulum decretalium *de Electione.*

§. IX Tandem post Clementem V, Benedictum XII, ceterosque Pontifices, episcoporum electiones sedi Apostolicæ reservatæ sunt. Avertenda nimirum erant mala complurima, quæ in ipsis electionibus, ex ambitione hominum, ex dissensione studiisque partium oriebantur. Quibus rebus cum remedium adhibere oporteret Romanos Pontifices, factum est, ut ipsi servarent sibi episcoporum electiones, ut ecclesiæ consulerent, ut dissidia tollerent, ut favorem et gratiam arcerent, ut ratio haberetur una meritorum (1).

(1) Plenum est corpus Juris canonici dissidiorum, quæ in electionibus oriebantur. Leo X *in Constit. Primitiva* §. 6 *tom.* 3 *par.* 3 *pag.* 434 *bullar.*, quæ complectitur concordata, ex his causis repetit episcopatuum reservationes, et apposite Innocentius apud Thomassinum *tom.* 2 *lib.* 2 *cap.* 33 *num.* 5 *in fin.*, inquit : « Ne si denuo restitueremus vobis licentiam eligendi, denuo apostolica licentia abutentes Remensem scinderetis ecclesiam. » Atque hæc quidem dissidia et hæ turbæ, uti ostendit Thomassinus *loco mox indicato,* ex populi factionibus oriebantur, et interdum etiam in cædes erumpebant, adeo ut in ecclesiis quibusdam episcoporum electiones intermittere oportuerit, quod in ecclesiis Bituricensi, Lugdunensi, Burdigalensi, Carnotensi evenisse constat. Rem hanc testatissimam facit canon 1 concilii

Biturícensis anni 1276 *col.* 574 *tom.* 14 *collect. Labbei*, cui præfuit legatus Pontificius, a quo anathematis pœna indicta est adversus tantorum facinorum auctores : Multitudine populi, per iniquitatis filios concita, in electores impetum faciente, electiones ipsæ in nonnullis ecclesiis impediuntur totaliter » *etc.* Alias quoque pœnas constituit hæc synodus contra eorum criminum reos, quæ pœnæ in concilio Aucensi anni 1279 renovatæ sunt *col.* 602 *tom.* 14 *collect. Labbei.*

§. X. Neque vero summi Pontifices aliquid de alieno jure usurparunt, uti jactant homines in sedem Apostolicam male animati, sed potius repetiere jus suum, quod ecclesiæ sollicitudo ac ratio temporum repetere cogebat. Nam initio jus constituendi episcopos, uti demonstratum supra est, proprium erat Pontificum Romanorum, qui deinceps eligendi potestatem concesserunt synodis provincialibus, clero, metropolitis, capitulis canonicorum. Cum hi omnes concessa sibi potestate abuterentur, cum leges in electionibus observandas despicerent, cum in iis ambitio, simonia, studia partium, cetera hujuscemodi dominarentur, consequens erat, ut creatio episcoporum ad eum rediret, in quo jus hoc semper hæserat, et a quo potestas omnis in inferiores derivata fuerat (1). Ita *jure devolutionis* (2), justissimisque de causis integrata est vetus disciplina, per quam summus Pontifex suo jure episcopos constituebat.

(1) Consule Benedictum XIV *Constit. In postremo* 60 §. 15 *ejus bullar. tom.* 4 *pag.* 305, *edit. Venet.*

(2) Jus devolutionis secundum receptam ubique doctrinam egregie declarat Thomassinus *respons. ad not. script. anonymi præmiss.* « Ubi jus, inquit, ab inferiore ad superiorem devolvitur, verbi gratia a capitulo ad episcopum, ab episcopo ad metropolitanum, a metropolitano ad primatem, non accipit ab inferiori, non usurpat in inferiorem superior, non facit injuriam inferiori superior, non repetere potest a superiore inferior . . . . Ratio porro ista potiundæ potestatis alicujus oppido magnificentissima est. Solemne est enim, jura omnia ad superiores ab inferioribus devolvi, et omnium prorsus spiritualium

potestatum jura ad summum Pontificem devolvi posse, quia summus omnium vertex est. Nec flocci ergo facias jus devolutionis, quo splendidius aliud vix fingi potest. Si autem hæc jura a conciliis provincialibus ad Romanum Pontificem devolvuntur, quia summus omnium vertex est; perperam ergo inde infertur, quod ea ex sese non habeat, quod ea usurpet, quod contrario usu possit amittere. » Scripserat autem paulo supra: « non ergo eam potestatem a conciliis provincialibus vel accepit, vel extorsit Romanus Pontifex; sed quam semper habuerat, semper alicubi exercuerat, eam supersedentibus conciliis provincialibus cœpit ubique terrarum solus exercere. »

§. XI. Initio Clemens V sedi Apostolicæ reservavit ecclesias, quarum episcopi in Romana curia decedunt (1). Benedictus XII, præter episcopatus in curia vacantes, alias etiam fecit reservationes (2). Denique post editas regulas cancellariæ, generatim summo Pontifici servata est electio et collatio omnium cathedralium ecclesiarum.

(1) *Extrav. etsi in temporalium de præben. int. communes.*
(2) *Extrav. ad regimen eod. tit.*

§. XII. Ob hanc rem turbæ in ecclesia factæ sunt, quas sustulerunt *concordata*, hoc est pacta conventa inter sedem Apostolicam et potentissimos Europæ principes. Nicolaus V ita cum natione Germanica rem composuit, ut in Germania episcopi a canonicis eligantur, servata summo Pontifici eorum confirmatione (1). Leo X, abrogata pragmatica sanctione, quam ediderat pseudo-concilium Basileense adversus Pontificias reservationes, Galliarum regi permisit nominationem idonei viri, qui tamen a summo Pontifice in consistorio creandus esset episcopus ecclesiæ, ad quam fuerat nominatus (2). Denique alia etiam inita sunt pacta, sive concessa indulta et privilegia regibus Hispaniarum, Lusitaniæ, Pannoniæ, aliisque principibus, qui nunc ad cathedrales ecclesias ditionum suarum vel nominationem

habent, vel præsentationem, vel supplicationem, ut pragmatici loquuntur, pro viris idoneis et episcopatu dignis (3).

(1) Concordata Germaniæ a Nicolao V, probata fuerunt in bulla *Ad Sacrament.* 1 *tom.* 3 *par.* 3 *pag.* 61 *bullar.*

(2) Vide Leonis X bullam *Pastor æternus* 21 *tom.* 3 *par.* 3 *pag.* 430 *et seq. bullarii, edit. cit.*, qua abrogatur pragmatica sanctio et bullam *Primitiva pag.* 433, qua comprehenduntur pacta conventa inter Leonem X et Franciscum I Galliar. regem.

(3) Consule Rigant *ad regul.* 2 *cancellar.* §. 1 *per tot.*, ubi omnia inter sedem Apostolicam atque Europæ principes pacta conventa, eisque concessa indulta et privilegia accurate recensentur.

§. XIII. Pertinent hæc ad episcoporum electiones. Prælati autem ceteri vel sæculares vel regulares, aut nominantur a principibus, ut eos Pontifex confirmet, vel eliguntur a collegio illorum, quibus præficiuntur.

§. XIV. Electio canonica esse debet, ut vim habeat; atque ut canonica sit, duo præsertim spectare decet, primum, qui eligere, alterum qui eligi possint. Omnibus, qui eo jure frui possunt, vocare decet (1), ne si aliquis prætermissus est, querelam proponat suam, ut electio irrita declaretur (2). Absentes vocantur per litteras, nisi in remotis locis commorentur (3); nemo invitus interesse cogitur electioni (4), et qui interesse nequit propter justum impedimentum, recte suffragium suum committit uni ex canonicis, vel etiam extraneo, si capitulum consenserit (5).

(1) *Cap.* 18 *et* 35 *de Elect.*

(2) Quod si absens ratam habeat electionem, vel expressis verbis, vel silentio suo, ea minime vitiatur *cap.* 28 *de elect.*

(3) *Cap.* 18 *et* 28 *de Elect.*

(4) Argum. *cap.* 6 *de Privil.* Verum si intersit ecclesiæ, vel consuetudine aut statuto inductum sit, quod omnes non impediti ad faciendam electionem venire debeant, eos omnes ve-

nire oportet Schmalzgrueb. *Jus. eccles. lib.* 1 *par.* 2 *tit.* 6 §. 3. *num.* 22.

(3) *Cap.* 42 §. *illud autem de elect.* Quin etiam plures constitui possunt procuratores, ut tamen unus eorum tantum suffragium ferat *cap.* 46 *de elect. in* 6. Verum eligens nomine alterius et suo, non debet ancipiti conscientia dividere suffragia in diversos, sed utrumque debet in unum conferre, nisi ad certam personam eligendam fuerit constitutus *cap.* 46 §. *Porro de elect. in* 6.

§. XV. Carent eligendi jure furiosi et amentes, in sacris non constituti (1), suspensi (2), qui personali interdicto (3), aut majori excommunicatione tenentur (4), canonici supra numerum (5), carentes ætate, quam statuta postulant (6); denique prohibetur quis semetipsum eligere (7). Quidam etiam ad tempus amittunt eligendi potestatem, et hi sunt, qui inter eligentes laicorum suffragia admiserunt, quæ electio nullius momenti est (8), præterea negligentes eligere intra tempus a jure definitum, et canonicam in eligendo formam contemnentes (9) et indignum scienter eligentes. Quæ potestas, pro ea vice, qua ii deliquerunt, devolvitur ad reliquos canonicos non delinquentes, et si omnes deliquerint, statim delabitur ad summum Pontificem; si tantum neglexerint ad proximum superiorem (10).

(1) *Clement* 2 *de ætat. et qualitat. et ordinat. præfic.*

(2) Confer Schmalzgrueb. *loc. cit.* §. 1 *num.* 9 et Pirhing *Jus can. lib.* 1 *tit.* 6 *sect.* 1 *num.* 30, ubi explicatur genus suspensionis, quæ canonicos a jure eligendi repellit.

(3) Vid. Schmalzgrueb. *loc. cit.*

(4) *Cap. Postulatis et cap. ult. de cler. excom. ministr.* Sed qui tenentur minori excommunicatione, licet eligi nequeant, possunt tamen eligere, uti constat ex *cap.* 39 *de elect.*

(5) Argum. *cap.* 54 *de elect.*

(6) *Cap.* 32 *eod. tit. in* 6.

(7) *Cap.* 26 *de jure patr., et cap.* 7 *de institut.*

(8) *Cap.* 43 *de elect.*

(9) *Cap. Quia propter eod. tit.*

(10) *Cap.* 41 *de elect., et cap.* 18 *eod. tit. in* 6.

§. XVI. Ut vero quis creetur episcopus, exiguntur justi ac legitimi natales (1), et sana religio, et morum virtus, et idonea scientia (2), et laurea sacræ Theologiæ Jurisve canonici, aut publicum alicujus academiæ testimonium, quo ad alios docendos idoneus ostendatur (3). Excluduntur ab episcopatu minores annis triginta (4), irregulares omnes (5), criminosi (6), excommunicati, suspensi, interdicti (7), qui contra canonum decreta pluribus fruitur beneficiis, quæ incompatibilia dicuntur (8), qui alium habet episcopatum, nisi eo se abdicare paratus sit (9), qui saltem sex ante menses, quam eligatur, sacros ordines non susceperit (10), denique qui scienter elegit indignum, eligi per triennium nequit (11).

(1) *Cap.* 7 *de elect.*
(2) *Cap.* 19 *eod. cit.*
(3) Concil. Trident. *sess.* 22 *cap.* 2 *de reformat.*
(4) *Cap.* 7 *de elect.* Concil. Trident. *sess.* 7 *cap.* 1 *de reformat.* Quæ ætas annorum 30 absoluta esse debet, uti sancitum est a Gregorio XIV in Constitut. *Onus apostolicæ* 16 §. 9 *tom.* 5 *par.* 1 *pag.* 269 *bullar., edit. cit.* In Galliis tamen secundum pacta conventa a rege nominantur ad episcopatus, qui vigesimum septimum agunt ætatis annum.
(5) *Cap. ult. de cleric. excom.*
(6) *Cit. Constitut. Onus apostolicæ* Gregorii XIV §. 9.
(7) *Cap.* 8 *de consuet., cap. de ætat. et qualit. et ordin. præfic.*
(8) *Cap.* 54 *de elect.*
(9) Concil. Trident. *sess.* 7 *cap.* 2 *de reformat.*
(10) Concil. Trident. *sess.* 22 *cap.* 2 *de reformat.*
(11) *Cap.* 25 *et* 26 *de elect.*

§. XVII. Episcopi electio facienda est intra tres menses (1), ut plurimum in templo cathedrali et cum vacua est ecclesia, adeo ut irritum sit quidquid vivo episcopo gestum fuerit (2). Lapso hoc tempore jus eligendi devolvitur ad proximum superiorem (3).

(1) *Cap.* 41 *de elect.*
(2) *Cap.* 36 *eod. tit.*
(3) *Cap.* 3 *de supplen. neglig. prælat.*

§. XVIII. Tribus autem modis, alio præterea nullo, electio perficitur, *per scrutinium, compromissum,* et *quasi inspirationem* (1) Fit *scrutinium* electis tribus scrutatoribus, quorum est colligere suffragia singulorum, quæ certa, et vacua conditione, atque ambiguitate esse debent (2), eaque colligenda sunt *secreto,* ut plurimum in scriptis *singillatim,* non a pluribus conjunctim, *justo ordine,* ut scrutatores invicem a se ipsis suffragia excipiant, deinde a ceteris secundum ordinem et prærogativam gradus, quem unusquisque obtinet, *diligenter,* ut vel ipsi vel iis præsentibus, tabellio in scriptum redigat suffragia singulorum, eaque mox publicent, hoc est patefaciant, ut electus censeatur, in quem major et sanior pars capituli consensit (3).

(1) *Cap. Quia propter* 42 *de elect.*
(2) *Cap.* 2 *eod. tit. in* 6.
(3) Ex quo conficiunt canonistæ, non tantum suffragiorum numerum esse æstimandum, sed etiam zeli ad zelum, ut ajunt, et meriti ad meritum collationem esse faciendam monent. Verum nunc ea zeli ad zelum et meriti ad meritum collatio obsolevit, ac tantum suffragiorum, quæ quidem justa ac legitima sint, numerus inspicitur, uti observat Giraldus *exposit. Jur. Pontific. par.* 1 *lib.* 1 *sect.* 46 *pag.* 29 *tom.* 1.

§. XIX. Major pars æstimatur, respectu habito ad omnes illos, qui electioni intersunt: et ideo si eorum collegium constet ex. gr. canonicis quindecim, nemo rite electus habetur, nisi octo suffragia obtinuerit (1). Si desit justus hic numerus suffragiorum, nihil agitur, sed electio consequenti die iteranda est, ac tamdiu repetenda, donec quis a majori parte eligatur. Absoluta et patefacta electione, conficitur decretum, quod

subscribunt eligentes (2), quibus tunc omnis variandi potestas adimitur (3).

(1) *Cap.* 48 *de elect.*
(2) *Cap.* 20 *eod., can.* 9 *cap.* 2 *q.* 1.
(3) *Cap.* 21 *et* 58 *de elect.*

§. XX. Alter modus eligendi est *per compromissum,* quando a capitulo, nemine dissentiente, uni vel pluribus, etiam extra gremium capituli existentibus clericis (1), electio committitur (2). Potestas compromissariis data, re non integra, revocari nequit, et cum ii, servatis compromissi legibus, idoneum elegerunt, in eum consentire omnes debent eumque habere episcopi loco (3).

(1) *Cap.* 42 *elect.*
(2) *Cap.* 30 *et* 33 *de elect.*
(3) *Cap.* 8, 30 *et* 32 *eod.*

§. XXI. Denique *per quasi inspirationem* electio absolvitur, cum electores omnes quasi divino spiritu afflati in eum repente feruntur, de quo antea vix cogitaverant.

§. XXII. Electio rite absoluta electo mox offerenda est, ejusque consensus petendus, quem intra mensem, ne cadat jure suo, debet emittere (1), et præterea intra menses tres a superiore petenda est confirmatio (2). Sed episcopi, et ceteri, qui a summo Pontifice confirmandi sunt, intra mensem iter arripere debent ad sedem Apostolicam et ab ea petere confirmationem vel per se ipsos, vel per idoneum procuratorem, sumpto tempore ad itineris longinquitatem necessario (3).

(1) *Cap.* 6 *de elect. in* 6.
(2) *Cit. cap.* 6 *de elect. in* 6.
(3) *Cap.* 16 *de elect. in* 6, *Clem.* 2 §. *ult. eod.*

§. XXIII. Ideo vero desideratur confirmatio, ut in electionis rationem, in mores, atque in merita electi sedulo inquiratur (1). Nam per eam episcopus consequitur jurisdictionis potestatem (2), quam si exerceat ante confirmationem, jus amittit ex electione quæsitum (3).

(1) *Cap.* 19, 22, 44 *de elect.*
(2) *Cap.* 15 *eod. tit.*
(3) *Cap.* 17 *eod. cap.* 5 *eod. in* 6. Vide etiam *Constit. Romani Pontificis* 5 Julii II *tom.* 3 *par.* 3 *pag.* 165 *bullarii ult. edit. Roman.*, qua, confirmatis superioribus ea de re constitutionibus, cautum est, ut qui episcopatum adepti sunt in curia Romana litteras apostolicas intra annum impetrare debeant, atque ante eas impetratas ecclesiæ administrationem suscipere nequeant.

§. XXIV. Olim confirmatio a metropolita fiebat, et cum eam, ut plurimum, statim exciperet consecratio, vix ab altera distinguebatur, adeo ut episcopus utramque simul potestatem et jurisdictionis et ordinis acquirere videretur. Verum confirmatio et consecratio duo semper distincta fuerunt, ac semper firmum immotumque fuit per illam jurisdictionis, per hanc vero ordinis conferri potestatem. Nunc primum episcopi ab aliis electi, aut nominati, a summo Pontifice confirmantur, postea eorum consecratio perficitur, uti demonstratum supra est. Cum extra curiam Romanam electi mores, et cetera scitu necessaria expenduntur, *processus* conficitur vel a Nuntio apostolico, vel ab ordinario, vel si hic desit, a vicinioribus ordinariis (1) et inde ad urbem transmittitur, ubi, cunctis diligentissime perpensis, in consistorio refertur ad summum Pontificem, quæ *præconisatio* dicitur, deinde in altero consistorio Judicium fertur, quæ dicitur *propositio*, quam statim sequitur decretum, quod, consultis cardinalibus, a summo Pontifice emittitur (2). Episcopi Italiæ, atque Insularum adjacentium coram summo Pontifice a cardinalibus, prælatis atque

aliis sacræ Theologiæ et Juris canonici peritis viris diligenti atque improviso examine probantur, eorumque processus in urbe conficitur, antequam episcopatum obtineant (3).

(1) Conc. Trid. *sess.* 22 *cap. de reform. et sess.* 24 *cap.* 1 *de reform.*, ubi accuratius rei totius conficiendæ methodus et ratio declaratur.

(2) Vide *cit. Constitut. Onus apostolicæ* Gregorii XIV, et instructionem editam ann. 1627 ab Urbano VIII, quæ est *in bullario tom.* 6 *par.* 1 *pag.* 73 *Constit.* 234, ubi etiam traditur ratio quam servare oportet, cum regulares episcopatum consequuntur et ostenditur, quæ tenenda sit methodus cum extra urbem, quæ item, cum in urbe processus conficitur.

(3) Vide Fagnanum *in cap. Nisi cum pridem num.* 63 *de renunciat.*

SECTIO II.

De Postulatione.

XXV. Quid postulatio sit?
XXVI. In quo differat ab electione.
XXVII. In quo cum ea conveniat?

§. XXV.

Cum aliquis eligendus est, qui canonico impedimento laborat, ita ut ejus electio rata firma haberi non possit, rogare oportet eum, cui jus est dandæ veniæ, ut vitium illud et impedimentum removeat. Quod fit per postulationem, quæ est petitio, a collegio electorum apud majorem potestatem facta, ejus, qui ob aliquod canonicum impedimentum eligi non potest; ea

vero respicere debet dumtaxat illos, quorum tolli impedimentum solet et potest, ceteri inutiliter postulantur (1).

(1) *Cap.* 1 *de postulat.*

§. XXVI. Differt ab electione postulatio, quod hæc gratiæ innititur, illa juri; hæc superiori offertur, qui idoneus non est, ut ab eo vitium et impedimentum avertat, illa qui est idoneus, ut electus confirmetur; in electione, quæ rite facta est, electores consilium mutare non possunt (1), possunt in postulatione, antequam ea superiori offeratur (2); electus consentire in suam electionem potest, postulatus non potest, nisi sub conditione, si eadem rata habeatur; denique electio a majori suffragiorum parte perficitur, postulatio, ut probetur, duas saltem eorum partes desiderat (3).

(1) *Cap.* 58 *de elect.*
(2) *Cap.* 4 *de postulat.*
(3) *Cap.* 3 *de postulat.*

§. XXVII. In ceteris eadem est electionis et postulationis ratio; et qui eligendi, ii etiam postulandi jus habent. Præstat tamen electio postulationi, et ideo si pars capituli aliquem elegerit, pars vero postulaverit, tum postulatio electioni præfertur, cum postulantium numerus duplo major est numero eligentium (1). Postulatio autem, ut electio, examinanda est, et postulantes adire debent superiorem, qui jus habet confirmandæ electionis. Sed hodie generatim omnes, quibus vel ætas, vel alius episcopatus, vel quidvis aliud impedimento est, quominus eligi possint, a sede Apostolica veniam, sive, ut pragmatici vocant, *indultum eligibilitatis* impetrare solent.

(1) *Cap.* 40 *de elect.*

SECTIO III.

De Collatione.

XXVIII. Quid sit collatio?
XXIX. Episcopus collator beneficiorum suæ diœceseos.
XXX. Summus Pontifex collator beneficiorum omnium.
XXXI. Apostolicæ reservationes.
XXXII. Reservationes clausæ in corpore juris.
XXXIII. Reservationes extravagantium.
XXXIV. Reservationes comprehensæ bullis summorum Pontificum.
XXXV ad XXXVII. Reservationes regularum cancellariæ.
XXXVIII ad XL. Reservationum discrimen.
XLI et XLII. Annatæ et earum æquitas.
XLIII et XLIV. Cardinales et legati a latere quæ beneficia conferant?
XLV et XLVI. Collatio quomodo expediatur?

§. XXVIII.

Collatio est modus alius, quo ecclesiasticos magistratus et beneficia adipiscimur. Definitur beneficii vacantis ab habente potestatem libere facta concessio. Summo jure collatio duplicitur differt ab electione. Primum, quod electio locum habet in beneficiis, quæ vacua viduam faciunt ecclesiam, uti episcopatus, abbatiæ, collatio in ceteris; deinde quod electio fit a pluribus, uti sunt collegia canonicorum, collatio ab uno solum rectissime absolvitur. Sed moribus hominum et consuetudine factum est, ut quibusdam in locis dignitates etiam capitulorum electione tribuantur, atque interdum electio dicatur ea beneficii concessio, quæ ab uno conficitur.

§. XXIX. Collator est omnium beneficiorum suæ diœceseos episcopus; sed lex aliqua sæpe impedimento est, quominus ipse certa beneficia conferre possit. Atque huc spectant apostolicæ reservationes,

per quas certorum beneficiorum collatio pertinet ad summum Pontificem; huc leges, consuetudines, fundationes, per quas certa beneficia vel ab episcopo cum capituli consensu, vel conjunctim cum eo, vel alternatim, vel a solo capitulo conferuntur. Quas fundationes, consuetudines, leges, quæ in unaquaque ecclesia vigent, tenere ac servare diligenter decet.

§. XXX. Sed summus etiam Pontifex, cujus potestas fertur in omnes diœceses, omnium beneficia conferre potest; et ideo sibi merito quorumdam collationes reservavit (1). Eo jure certe usus est S. Gregorius M. (2), quem suspicari non licet jus alienum invadere et rem non suam arripere voluisse. Sæculo præsertim XII jus hoc explicabatur per triplex genus litterarum (3), quæ conferendi ratio cum minus commoda videretur, satius visum est litteris consignare certas beneficiorum reservationes, ut omnes intelligerent, quorum collatio ad summum Pontificem, quorum ad episcopos atque ad ceteros pertineret.

(1) « Papa jure potuit, inquit Petrus Aliacensis, *de eccles. concil. gener. Roman. Pontific. auctor. par.* 2 *cap.* 1 §. *Unde alterius tom.* 2 *opp. Gersonii pag.* 945, *edit. Antverp.* 1706, ordinationes majorum et electivarum dignitatum, ac collationes aliorum beneficiorum, sibi et Apostolicæ sedi reservare, quia hæc antiquissimo jure sibi competebant. Hæc etiam non solum jure universali administrationis Papalis potuerunt competere, sed etiam ex speciali causa, ratione materiæ subjectæ: utpote, quia inferiores in suis electionibus et ordinarii collatores in beneficiorum collationibus abutebantur et per potentiam laicalem, sæpe jure suo non libere uti permittebantur, seu alia aliqua speciali ratione. . . . . Ex quo subinfertur, quod cum sedes Apostolica in præmissis præscripserit, supposito quod summi Pontifices in hoc abusi fuerint, vel excesserint, non propter hoc est ab eis hujusmodi jus tollendum, sed abusus pellendi et excessus restringendi sunt. » Confer Paulutium *Jurispr. sac. tom.* 2 *lib.* 6 *tract.* 10 *cap.* 4, et Thomassinum *vet. et nov. eccles. disciplin. par.* 2 *lib.* 1 *cap.* 43 *et seq.*

(2) Vide S. Gregorium M. *episc.* 8, 79 *et* 80 *lib.* 1 *col.* 495 *et* 563, *epist.* 13, 24 *et* 37 *lib.* 2 *col.* 577, 587 *et* 599 *seqq; et epist.* 14 *lib.* 4 *col.* 694 *opp. tom.* 2, *edit. Paris.* 1705, ubi multa hujus rei exempla sunt. Nullum vero indicium et nulla conjectura est, unde colligi possit S. Gregorium primum fuisse, qui eo jure uti cœperit. Quinimo cum ipse antiquarum regularum studiosissimus esset, certe dicendum merito est, eum nihil novi induxisse, sed illud tantum egisse, quod ab aliis Pontificibus superiori ætate actum fuerat. Revera ante Gregorium M. Innocentius I anno circiter 416, ab episcopo Naissitano restitui jussit presbyteros a Bonoso, antequam damnaretur, ordinatos, qui Naissitanæ diœceseos ecclesias administrabant *epist.* 16 apud Coustantium *col.* 821 *seq.* Cœlestinus ann. 430 *aperte sedis Apostolicæ auctoritatem* sanxisse scribit, ut clerici de dignitate dejecti locum suum recuperare deberent *epist.* 14 *ad cleric. et popul. Constantinopol. num.* 7 *col.* 1146 *ibid.* Leo M. an. 454 Anatolio Constantinopolitano antistiti jussit, ut Aetium de archidiaconatu ejus ecclesiæ dejectum restitueret ejiceretque Andream, qui ejus locum injuria occupabat *epist.* 113 *cap.* 2 *col.* 1190, *epist.* 132 *cap.* 2 *col.* 1262 *et epist.* 135 *cap.* 2 *col.* 1278 *opp. tom.* 1, *edit. Ballerin. Venet.* 1753. Simplicius anno circiter 475 Gaudentium Aufiniensem episcopum ob illicitas ordinationes, munere sacerdotali et magna ecclesiasticorum redituum parte multavit *epist.* 3 *ad Florentin.* apud Labbeum *tom.* 5 *concil. col.* 96, *edit. Venet.* Neque multo post Gelasius I de reditibus ecclesiarum universe constituit pœnamque indixit in episcopos, qui secus facerent *epist.* 9 *ad episc. Lucan. cap.* 27 *et* 28, *et epist.* 10 *ad episc. Sic. eod. loc. col.* 321. Confer etiam eumdem Gelasium *in Fragmen. epist. loc. cit. col.* 349 *seq.*, et Symmachum *epist.* 5 *ad Cæsar. Arelaten. c.* 1 *ibid. col.* 425. Mitto cetera generis ejusdem, ex quibus manifestum est, semper Romanos Pontifices ecclesiasticorum bonorum arbitrium et potestatem habuisse.

(3) Dabantur primum litteræ *monitoriæ*, quibus nisi pareret episcopus, adhibebantur *præceptoriæ*, et si neque iis mos gereretur, mittebantur *executoriæ* et simul cum iis executor; cujus erat curare, ut Pontificia mandata exitum consequerentur. Earum mentio est in decretalibus, præsertim Innocentii III et Honorii III *cap.* 30, 37, 38 *et* 40 *de rescript.* Non inde tamen confici potest, *præceptorias* atque *executorias* litteras primum ab his Pontificibus datas fuisse, quasi superiores Pontifices rem omnem egerint hortatu solum ac precibus, quæ deinceps in mandata conversæ fuerint. Nam ante hos Pontifices non preces,

sed *mandatum*, hoc est *præceptorias* litteras adhibuerant Hadrianus IV *epist.* 11 *ad Theobal. episc. Paris.*, *epist.* 14 *ad canon. S. Crucis Aurelian.*, *epist. ad Godefrid. episc. Atreb. col.* 23 *et seq. tom.* 13 *concil. collect.* Labbei *edit. Venet.*, et Alexander III *in cap. Si quando de rescrip.*; atque ejus quidem ea in re potestatem non solum nemo in discrimen revocavit, sed etiam rex ipse atque episcopi agnoverunt. Nam *epist.* 167 *ad decanum et capitul. Parisien. col.* 224 *cit. tom.* 13 *concil.* nepoti Meldensis episcopi beneficium, aut dignitatom contulit *precibus*, ut ipse loquitur, *Carissimi in Christo filii illustris Francorum regis*, *reginæ quoque et aliarum magnarum personarum precibus inductus.* Quid opus verbis est? Quanta et quam late patens antiquissimis temporibus potestas fuerit summorum Pontificum in administratione, cura et distributione redituum ecclesiarum, ostendit S. Gregorius M. non solum litteris, quarum supra facta mentio est, sed etiam *epist.* 12 *lib.* 5 *col.* 737 *ibid.*, qua jussit, ut visitatori, quem ipse miserat ad ecclesiam Agrigentinam, quarta pars redituum ejusdem ecclesiæ unoquoque anno tribueretur, itemque Cæsarius Arelatensis *epist. ad Symmachum P. tom.* 5 *concil. coll. Labbei col.* 424, S. Leo M. *epist.* 17 *pag.* 85 *par.* 2, *edit. Romæ* 1755, aliique complures. Non in omnibus quidem Pontificiis litteris eadem est verborum formula, sed omnes tamen eodem redeunt, ut quidquid iis litteris comprehensum est, exitum habere debeat. Orto schismate inter Urbanum VI et speudo-papam Clementem VII, jus reservationum in discrimen revocari cœpit; verum ipse Ludovicus Bavarus in suo, cui favebat, pseudo-papa potestatem agnovit reservandi sibi collationem beneficiorum; *ubicumque Ludovicus dominium habebat temporalium aut prævalebat armis, antipapa in spiritualibus præsidebat, dignitates ac beneficia conferebat*, uti narrat Cornelius Zantfliet *in chronic.* apud Martenium *veter. scriptor. tom.* 5 *pag.* 187. Ex quo facile intelligitur, quomodo catholici reservationes, quæ a vero Pontifice fiebant, accipere debuerint. Revera eas *utiles et salubres* appellant antiqui Scriptores, qui ea ætate floruerunt, quoniam per eas effectum est, ut averterentur mala et vitia, quæ in collationes beneficiorum atque in episcoporum electiones irrepserant. Confer Bernardum Guidonis *in vit. Joann. XXII*, apud Baluzium *vit. Papar. Avenion. tom.* 1 *col.* 157; Petrum de Herentals *ibid. col.* 182; auctorem Anonymum, qui suppar fuit Joanni XXII *in cod. Vaticano num.* 4869 *pag.* 9, et confer etiam acta cleri Gallicani *tom.* 12 *pag.* 15 *ed. Paris.* 1740, ubi inter ceteras, hanc etiam rationem proposuit Henricus III Galliarum rex, cum qui-

dam essent, qui antiquam electionum rationem redintegrari cupiebant. Sed et aliæ, cæque justissimæ fuerunt reservationum inducendarum causæ, ut scilicet Romani Pontifices clericos bene de ecclesia meritos remunerandi, tum principibus pro aliquo rogantibus gratificandi, eosque in ecclesiam propensiores reddendi copiam haberent, atque etiam ut beneficiorum collatione firmior esset Romanæ ecclesiæ communio cum ceteris ecclesiis, atque ita unitas religionis, et mutua conspiratio atque concordia ecclesiasticæ disciplinæ conservaretur. Consule Thomassinum *vet. et nov. eccles. discipl. par.* 2 *lib.* 1 *cap.* 43 *et seq.*. Cl. Zaccariam *in Anti-Febronio par.* 2 *lib.* 5 *c.* 3 *num.* 8 *et seq. tom.* 4, ubi de his reservationibus diligenter atque erudite disputatur. Actum est de Pontificiis reservationibus in concilio Constantiensi, atque hoc alterum erat caput, quod a futuro Pontifice emendari debebat, ut patet *ex sess.* 40 *col.* 706 *tom.* 16 *concil. collect.* Labbei, *editione Venet.* Sed electo Martino V, nihil a concilio contra illas actum est, imo a summo Pontifice in ipso concilio probatæ confirmatæque sunt tum antiquæ reservationes, tum regulæ cancellariæ, ac præterea nova est inducta reservatio mensium, quæ regula IX cancellariæ continetur, uti constat ex *sess.* 43 *col.* 722, 731 *et* 1275.

§. XXXI. Tunc igitur stabilitæ sunt reservationes, quæ sane sunt dissimiles ab affectionibus, et hinc alia sunt beneficia, quæ reservata, alia, quæ affecta dicuntur. Affecta sunt ea, quibus conferendis se miscuit, seu manus apposuit summus Pontifex; reservata autem sunt, quorum collatio Pontifici expresse servata est. Reverentia Pontifici debita facit, ut nemo conferre possit beneficium affectum aut reservatum, sed affecta beneficia pro ea tantum vice, reservata perpetuo a Pontifice conferuntur (1).

(1) Præter jus reservationis, confert etiam summus Pontifex alienarum diœceseon beneficia *jure devolutionis*, cum scilicet ad eum collatio devolvitur, et *jure præventionis*, cum primus collationem occupat.

§. XXXII. Reservationes aliæ *juris corpore clausæ*, et aliæ *extra corpus juris* esse dicuntur. *Juris corpore* continetur reservatio, quam sancivit Clemens

IV (1), beneficiorum, quæ per obitum in curia vacua fiunt. Quæ reservatio a Bonifacio VIII traducta deinceps est etiam ad beneficia, quæ obtinent legati, aut nuntii sedis Apostolicæ, ac ceteri omnes ad Romanam curiam venientes, vel ab eo recedentes, si in locis curiæ finitimis hoc est duorum dierum in itinere distantibus ex hac vita migraverint; itemque ad beneficia curialium, qui se in locum contulerint curiæ finitimum, ibique decesserint, aut curiam comitantes, dum ea transfertur, in itinere mortui sunt (2).

(1) *Cap.* 2 *de præben. in* 6.
(2) *Cap.* 34 *eod. tit. in* 6.

§. XXXIII. *Extra corpus* juris sunt reservationes, quæ extravagantibus, quæ item bullis summorum Pontificum, quæ denique cancellariæ regulis comprehenduntur. Principio Joannes XXII (1) confirmavit, latiusque explicavit reservationem, quam fecerat Clemens V; tum sedi Apostolicæ reservavit collationem beneficiorum vacantium per prohibitam eorum multitudinem, sive pluralitatem (2). Postea Benedictus XII superiora confirmans, reservata esse voluit beneficia, quæ vacua fiunt, ubi quis episcopatum est assequutus, ubi alio translatus, ubi motus dignitate, ubi addictus curiæ decessit, postremo beneficia, quæ coram Pontifice resignantur (3). Atque hæ reservationes sunt, quæ extravagantibus continentur (4).

(1) *Extravag. ex debito* 5 *de election. int. communes.*
(2) *Extravag. execrabilis* 4 *de præben. inter communes.*
(3) *Extravag. ad regimen* 13 *eod. tit. int. communes.* Vide Rigant. *ad regul.* 1 *cancellar.* §. 1 *num.* 38 *et seq.*
(4) Extravagantes tum communes, tum Joannis XXII nunc corporis Juris canonici partem conficiunt; sed quoniam extravagantium nomine huic corpori insertæ sunt, pristinam adhuc naturam suam retinere videntur, ideoque iis comprehensæ reservationes Juris corpore clausæ non dicuntur. Confer Rigantium *loc. cit. num.* 45 *et seq.*

§. XXXIV. Bullæ Pontificum Romanorum multas habent reservationes. Nam ad eas spectant beneficia vacantia propter crimen hæreseos (1); beneficia recepta contracta fiducia, sive ut vulgo ajunt *in confidentiam* (2); beneficia vacantia, vacua sede episcopali (3); ecclesiæ parochiales, quæ concursu delatæ non fuerint (4); beneficia eorum, qui offendunt litigantes, judices, causidicos curiæ Romanæ (5); itemque beneficia eorum, qui simulato nomine subeunt examen, ut pro aliis beneficium obtineant, aut pensiones offerunt beneficii obtinendi causa (6); denique beneficia vacantia ex resignatione, in qua observatum non fuit præceptum, quod de ea publicanda a Gregorio XIII dictum est (7).

(1) S. Pius V *bulla Cum ex apostolatus* 44 *tom.* 4 *par.* 2 *pag.* 348 *bullar. ind. edit. ult.*
(2) S. Pius V *bulla Intolerabilis* 117 *tom.* 4 *par.* 3 *pag.* 67.
(3) S. Pius V *bulla Sanctissimus in Christo* 77 *tom.* 4 *par.* 3 *pag.* 7.
(4) S. Pius V *bulla In conferendis* 51 *t.* 4 *par.* 2 *pag.* 362.
(5) Alexander VI *bulla In eminenti sedis* 15 *tom.* 3 *par.* 3 *pag.* 255.
(6) Paulus IV *bulla Inter ceteras* 17 *tom.* 4 *par.* 1 *pag.* 340.
(7) Gregorius XIII *bulla Humano vix judicio* 155 *tom.* 4 *par.* 4 *pag.* 41.

§. XXXV. Magnus quoque est reservationum numerus in regulis cancellariæ. In I renovantur reservationes duarum, quas memoravimus, extravagantium *ad regimen* et *execrabilis;* præterea et reservantur beneficia, in quibus conferendis non ea servata est ratio, quam synodus Tridentina constituit. In II reservantur omnes ecclesiæ cathedrales, et monasteria consistorialia majoris reditus quam 200 florenorum auri et omnia beneficia, quæ vacua fiunt sede episcopali vacante. In III ampliantur reservationes *extravagantis ad regimen*, et reservantur beneficia, quæ aliquis resignavit, aut di-

misit intra tempus vacationis et concessionis aliorum incompatibilium beneficiorum. In IV reservantur majores dignitates post Pontificales in ecclesiis cathedralibus, et principes dignitates in ecclesiis collegiatis excedentes reditus decem florenorum auri, non quidem omnes, sed quæ prima sit, sive decanatus, sive præpositura, sive alio quovis nomine appelletur; præterea dignitates conventuales regulares, quæ in commendam dantur et perpetuæ sunt; præceptoriæ quorumvis ordinum non militarium; denique beneficia cardinalium (1) et eorum qui vel summo Pontifici, vel ipsis cardinalibus familiares famuli fuerint.

(1) Vide constitutionem Julii III, editam *die* 12 *decembr. ann.* 1553 impressam post ejus regulas cancellariæ qua declaratum est, etiam cardinales tamquam Pontificis familiares habendos esse.

§. XXXVI. In V omnia beneficia collectorum et subcollectorum fructuum cameræ Apostolicæ. In VI omnia beneficia curialium in itinere decedentium, dum curia transfertur. In VII beneficia omnia cubiculariorum, atque cursorum summi Pontificis. In VIII canonicatus, præbendæ, dignitates, personatus, officia, quæ sunt in tribus urbis ecclesiis sancti Joannis Lateranensis, sancti Petri in Vaticano et sanctæ Mariæ Majoris (1), itemque beneficia, quæ, absentibus cardinalibus, in eorum titulis vacaverint.

(1) Verum regula hæc non comprehendit minora beneficia, quorum collatio privilegiis summorum Pontificum ad cardinales archipresbyteros, atque ad capitula pertinet, uti observat Rigantius *ad eamd. regulam* §. 1 *num.* 13 *et seq.*

§. XXXVII Denique in IX regula reservantur cuncta beneficia, quæ vacaverint in octo mensibus januarii, februarii, aprilis, maii, julii, augusti, octobris, no-

St. Albert's College Library

vembris. Hodie iis episcopis, qui in suis ecclesiis commorantur, beneficii et remunerationis loco libera (quam tamen postulare debent) sex mensium collatio permittitur, eo quidem tempore, quo resident, ita ut alternis mensibus cum Pontifice dividant collationem, nisi ea beneficia vacent, quæ ex aliis capitibus ad Pontificem pertineant. Relinquuntur autem his episcopis februarius, aprilis, junius, augustus, october et december; menses reliqui summo Pontifici reservantur.

§. XXXVIII. Inter reservationes harum regularum ceterasque reservationes, quæ aut juris corpore, aut extravagantibus, aut bullis continentur, magnum discrimen est. Nam hæ perpetuam vim habent, illæ autem vim omnem amittunt, decedente Pontifice, sed paulo post creationem ab unoquoque suscitantur. Quod non ita intelligendum est, ut vacua sede Apostolica liceat episcopo conferre beneficia omnia, quæ in regulis cancellariæ reservantur.

§, XXXIX. Nam videndum est, cujus generis sit reservatio. Cum adhæret rei hoc est beneficio, cujus generis sunt regulæ I, II, III, IV et VIII; cum item pertinet ad certam personam, cujus officium reservationem inducit, quo spectant regulæ V, VI et VII, etiam mortuo Pontifice manet reservatio. Itaque nullum ex his beneficiis conferre potest episcopus, exceptis illis, quæ curam habent animarum, quæque vacua sede Apostolica ab episcopo recte conferuntur, ne quid interim, dilata collatione, populus accipiat detrimenti (1).

(1) *Cap.* 35 *de præben. in* 6.

§. XL. Quare propter obitum Pontificis tantum reservata esse desinunt beneficia, quæ ad tempus conferendi pertinent, quæque regula IX continentur.

Verum hæc etiam beneficia ut recte ab episcopo conferantur, expedienda est collatio, cum vacua est sedes Apostolica; nam electo Pontifice confirmatisque regulis, amittit episcopus conferendi facultatem, eaque redit ad summum Pontificem.

(1) Regula 68 Cancellariæ.

§. XLI. In conferendis beneficiis exigit sedes Apostolica unius anni reditus, si beneficia sint majora, sive consistorialia, ut archiepiscopatus, episcopatus et similia; dimidium autem fructuum unius anni, si beneficia minora sint, et ejus reditus singulis annis summam superent 24 ducatorum aureorum, quos vocant *de camera;* quæ annatæ et mediæ annatæ nuncupantur (1). Earum usus in ecclesiis quibusdam antiquissimus est (2); sed quo primum tempore iisdem Romana ecclesia uti cœperit, non satis exploratum est (3).

(1) De annatis agitur *in bulla Decet Romanum* 7, Pauli II *tom.* 3 *par.* 3 *bullar. pag.* 126; *in bulla Apostolicæ* 4, Innocentii VIII *tom.* 3 *pag.* 200; *in bulla Incumbentia* 16, Pauli IV *tom.* 4 *par.* 1 *pag.* 339; *in bulla Apostolicæ* 56, S. Pii V *tom.* 4 *par.* 2 *pag.* 369, *in bulla Cameræ nostræ* 46, Sixti V *tom.* 4 *par.* 4 *pag.* 213; *in bulla Alias* 56, Urbani VIII *tom.* 5 *par.* 5 *pag.* 222; *in bulla Postquam* 82, Clementis X *tom.* 7 *pag.* 146.

(2) Consule Thomassinum *vet. et nov. eccles. disciplin. par.* 3 *lib.* 2 *cap.* 58 *num.* 1 *et seq. tom.* 3 *pag.* 266, *edit. citat.*, et Natalem Alexandrum *Histor. eccles. dissert.* 9 *de annatis art.* 1 *pag.* 478 *tom.* 9, *edit. Venet. ann.* 1776; a quibus multa ea de re exempla afferuntur.

(3) Multi sunt viri docti et graves, qui annatas inductas putant exemplo legis veteris, qua Levitæ summo sacerdoti decimas decimarum solvere jubebantur *num.* 18. Nam quemadmodum lege nova Romanus Pontifex summus sacerdos est, ac totius ecclesiæ caput, ita æquum est, quod ei ab episcopis et sacerdotibus aliquid persolvatur, quo ipse consulat decenti tuitioni sui, atque omnes agnoscant primatum, quem habet in ecclesia uni-

versa. Ita sane legatis principum Germaniæ, qui de annatis conquerebantur, responsum scribit Pallavicinus *Histor. concil. Trid. lib.* 2 *cap.* 8 *num.* 4. Confer D. Thomam 2. 2 *quæst.* 87 *art.* 4; Petrum Aliacensem *in tract. de auctor. eccles. etc., par.* 2 *t.* 2 *opp. Gersonii pag.* 945, *edit. Antverpiæ* 1706; Baronium *ad an.* 1339 *num.* 12 *pag.* 50 *tom.* 8 *edit. Lucæ.* Annatarum usum in ecclesia Romana antiquissimum esse constat; sed quo primum tempore induci cœperit, certo definiri non potest. De Clemente V narrant Matthæus Westmonasteriensis *Flor. histor. ad an.* 1306 *par.* 454, *edit. Francofurti* 1601, et Thomas Walsinghamus *Ypopigm. Neustriæ in Anglic. Hibernic. etc., pag.* 497 *et* 498, *edit. Francofurti* 1602, eum ad duos tresve annos beneficiorum, quæ in anglia vacarent, annatas reservasse. Similiter Joan. XXII legem edidit de annatis ad certum tempus solvendis ex omnibus beneficiis *Extrav.* 10 *et* 11 *de præben. et dignit. inter communes;* et post obitum Gregorii XI Cameræ apostolicæ magna vis pecuniæ ob non solutas annatas debebatur, uti tradit Thomassinus *par.* 3 *lib.* 2 *cap.* 59 *num.* 3. Denique Bonifacius IX perpetuam ea de re legem edidit modumque constituit, qui nunc pro solvendis annatis obtinet; atque hinc ipse Pontifex annatarum auctor a quibusdam habetur, licet eæ revera multo antiquiores sint, uti ostendunt Spondanus *ad ann.* 1399 *num.* 1, *et* Raynaldus *ad eumdem annum num.* 12 *pag.* 50 *tom.* 8 *edit. Lucæ.*

§. XLII. Hoc unum constat, pervetustum esse annatarum usum in ecclesia Romana, atque earum exigendarum causas esse justissimas ac prope necessarias. Nam a Romanis Pontificibus multa et gravia ferenda sunt onera, ut opem ferant principibus adversus hæreticos atque infideles, cujus rei monumenta certa in historiis exstant, ut in longinquas regiones mittant viros ecclesiasticos amplificandæ causa religionis, ut pauperibus atque ad Christi fidem venientibus opitulentur, ut denique rebus consulant ecclesiæ universæ (1). Hinc cum sæpe de annatis actum quæsitumque fuisset, nihil adversus eas constitutum est, sed firmæ immotæque sunt relictæ, omniaque explosa et rejecta, quæ contra ipsas proponebantur (2).

(1) His de causis, quas nemo non intelligit esse justissimas, exiguntur annatæ; ex quo patet, quam gravis sit error illorum, qui aliquod simoniæ vitium in iis latere existimant, quasi propter electionum confirmationem, aut beneficiorum collationem exigantur. In hoc errore refutando frustra a nobis opera tereretur, cum id multi præstiterint graves et intelligentes viri, quos ne singulos recenseamus, indicabimus Thomassinum *vet. et nov. eccles. disciplin. par.* 3 *lib.* 2 *cap.* 58, et Natalem Alexandrum *histor. eccles. sæc. XV et XVI dissert.* 9 *de annatis art.* 3 *pag.* 490 *tom.* 9, *edit. Venet.* 1776; Tournelyum *prælect. Theolog. in tract. de loc. Theolog. tom.* 3 *art.* 2 *pag.* 293 *seq.*, *edit. Venet. Neapol.* 1765; Berthierum *in dissert. de annatis tom.* 15 *Histor. eccles. Gallican. præmissa, et in Anti-Febron. vindic. dissert.* 7 *cap.* 6. Confer etiam Fagnanum *in cap. Præterea* 1. *Ne prælati vices suas etc.*, et Zaccariam *in Anti-Febronio par.* 2 *lib.* 5 *cap.* 5 *num.* 1 *et seq. tom.* 4, qui de annatis agunt copiose et diligenter.

(2) Actum de annatis fuit in concilio Constantiensi, cum quidam essent, quibus eæ minime probarentur. « Nationis Gallicanæ deputati, » ut inquit Natalis Alexander *d. dissert.* 9 *art.* 3 *num.* 3 *pag.* 490 *tom.* 9, » simoniæ notam annatis affinxerant errore facti, qui propter confirmationem electionum et promotionum ad ecclesiasticas dignitates sacrum illud tributum exigi sunt arbitrati. Sed nemo Gallicanæ ecclesiæ tribuat, quod nationis Gallicanæ deputati contra annatas apud Constantiense concilium scripserunt, cum florentissimam illam ecclesiam sufficienter non repræsentarent, nec Petrus de Alliaco et Joannes Gersonius, præclara ejusdem ecclesiæ et academiæ lumina, aliique præsules et doctores annatas simoniæ damnarent. » Illæ de annatis querelæ ad concilium delatæ fecerunt, ut *sess.* 40 etiam annatæ describerentur inter cetera, quæ futuro pontifici emendanda proponebantur. Martinus V, qui *sess.* 41 Pontifex creatus est, multa emendavit *sess.* 43, sed nihil contra annatas constituit, imo vero declaratum est, quod ceteris fuerat satisfactum, uti patet ipsa *sess.* 43. *col.* 721 *tom.* 16 *collect.* Labbei *editione Venet.* Quin in Mss. codicibus cardinalis Capranica et vindobonensis, qui appendicis loco Constantiensis concilii actis ajuncti sunt *ibid. col.* 723 *decret.* 4, *et col.* 728. *decret.* 13, habentur hæc : « Romano Pontifici et S. R. E. cardinalibus pro illorum substentatione, rebus Romanæ ecclesiæ stantibus, ut sunt, non videtur aliter posse provideri, quam huc usque factum est, scilicet per beneficia et communia servitia, quæ vacantiæ nuncupantur. » In concilio Basileensi *sess.* 12 *tom.* 17 *concil. collect.*

Labbei *col.* 277 rogatus est summus Pontifex, ut annatas tolleret, cum polliciti fuissent concilii Patres, sese daturos operam, ut aliud annatarum loco obtineret. Sed cum deinceps nihil ea de re præstitissent concilii Patres, summus Pontifex annatas retinuit, quas antea percipiebat. Ejusdem concilii Patres cum male animati essent in verum Pontificem Eugenium IV, a quo synodus revocata fuerat, annatas sustulerunt *sess.* 21 *ibid. col.* 317, sed postea *sess.* 42 *ibid. col.* 418 annatas, quas in legitimo Pontifice condemnaverant, dederunt pseudo-papæ Felici V, cujus partes tuebantur. Aliæ adversus annatas editæ sunt leges in sanctione Pragmatica; sed ea sublata pactis conventis inter Leonem X et Franciscum I Galliarum regem, cautum est, ut irritæ essent collationes beneficiorum, quorum veri reditus designati ac patefacti non fuissent. Etiam ad concilium Tridentinum querelæ contra annatas delatæ sunt; sed concilii Patres omnibus satisfecerunt, atque annatarum æquitatem clarissime demonstrarunt, uti narrat cardinalis Pallavicinus *in histor. concil. Tridentin. lib.* 2 *cap.* 8 *num.* 3 *et seq.* Confer etiam Pii IV responsa ad Germanorum de annatis querelas apud Raynaldum *ad ann.* 1563 *num.* 44 *tom.* 15 *pag.* 370, *edit. Lucæ* 1756.

§. XLIII. Etiam cardinales et legati *a latere* fruuntur jure conferendi beneficia, quæ vacaverint in eorum titulis, atque episcopatibus suburbicariis, aut in provincia, in qua legationis munus exercent. Atque hi beneficia conferunt quovis mense, cum non obstringantur alterna illa mensium divisione, quæ profluit ex regula IX cancellariæ; et legatus quidem *a latere* in provincia sua primus occupare potest collationem beneficiorum, quæ ad episcopum pertinent, ita ut si ab utroque idem beneficium collatum sit, potior habeatur collatio, quæ antiquior est (1).

(1) *Cap.* 6 *de offic. legat. cap.* 31 *de præben. in* 6.

§. XLIV. Omnes cardinales habent a summo Pontifice facultatem, sive, uti vocant indultum (1) conferendi beneficia, quibusdam exceptis (2), quæ vacuæ fiunt in suis titulis, ecclesiis cathedralibus, diœcesibus, abbatiis et monasteriis sibi commendatis, laxato

vinculo regularum cancellariæ. Verum ut in suis titulis atque episcopatibus suburbicariis conferre ipsi beneficia possint, in curia Romana commorari debent (3), quoniam absentes eo jure carent, nisi illud peculiari beneficio summi Pontificis impetraverint (4). In tribus autem Basilicis sancti Joannis Lateranensis, sancti Petri in Vaticano, et sanctæ Mariæ majoris, quæ inter cardinalium titulos minime recensentur, cardinales archipresbyteri minora conferunt beneficia, etiamsi absentes a curia reperiantur (5).

(1) Indultum, quod singulis cardinalibus a summo Pontifice dari solet, late explicat Rigantius *ad regul.* 8 *cancell.* §. 1 *fere per tot.*

(2) Excipiuntur majores dignitates in cathedralibus, et principes dignitates in collegiatis ecclesiis aliaque beneficia, quorum collatio ad unum Pontificem pertinet et de quibus late agit Rigant. *ad regul.* 1 *cancell.* §. 4 *num.* 13 *et seq., ad regul.* 4 §. 1 *num.* 38 *et* §. 3 *num.* 24 *et seq.*

(3) Vide Rigant. *ad regul.* 8 *cancell.* §. 1 *num.* 44 *et seq., et num.* 144 *et seq.*, ubi ostenditur, quæ proprie curia Romana sit, in qua cardinalis commorari debet, ut beneficia conferat, quæ in suo titulo, aut episcopatu suburbicario vacua fiunt.

(4) Quædam hujus generis exempla numerat Rigantius *loc. cit. num.* 142.

(5) Vide Rigant. *loc. citat. num.* 57 *et seq.* Verum collatio minorum beneficiorum in tribus urbis Basilicis pertinet etiam, uti diximus, ad capitula; qua de re videndus ipse Rigantius *loc. cit. num.* 13 *seq.*

§. XLV. Collatio, sive ab episcopo fiat, sive a summo Pontifice sive ab ejus legato aut cardinali, non viva voce, sed scripto fieri debet. Pontifex dat diplomata, quæ bullæ dicuntur, quæque a pluribus datariæ et cancellariæ ministris obsignantur. Earum aliæ dicuntur *in forma gratiosa*, aliæ *in forma dignum*, aliæ demum *in forma commissoria*. Litteræ *in forma gratiosa* dantur ad clericum, qui sui episcopi exhibito testimonio beneficium obtinuit, eæque veram

secum ferunt beneficii collationem. Litteræ *in forma dignum*, quæ ita appellantur, quod ab eo verbo exordiuntur, locum habent, cum illud episcopi testimonium, ex quo pateat idoneum esse clericum, in medium allatum non fuit; propterea mittuntur ad episcopum, cujus esse debet certo clerico beneficium attribuere, postquam ipse, facto periculo, dignus et idoneus repertus est. Denique *in forma commissoria* conceduntur litteræ, cum clericus illud quidem dedit episcopi testimonium, sed multa adhuc ab se narrata summo Pontifici, ut beneficium consequatur, demonstrare debet coram designatis *exequutoribus*, vocatis omnibus, quorum interest. Atque hæ litteræ non veram collationem continent, sed tantum *mandatum*, ut ajunt, *de conferendo*.

§. XLVI. Episcopus etiam publico instrumento, eoque ab ejus cancellario obsignato, complectitur beneficii collationem. Ubique mentio fit de natura, atque reditibus beneficii, de tempore ac modo, quo illud vacaverit, de meritis ejus, qui idem postulat.

SECTIO IV.

De Institutione et Jure Patronatus.

XLVII. Institutionis definitio.
XLVIII. Jus patronatus. Unde ductum patroni nomen?
XLIX. Juris patronatus concedendi causæ ejusque origo.
L et LI. Jus patronatus vel ecclesiasticum, vel laicale, vel mixtum.
LII. Reale, vel personale, itemque hereditarium, vel gentilitium.
LIII et LIV. Quomodo acquiratur?
LV ad LVII. Quomodo transferatur, et quomodo a pluribus præsentatio fiat?
LVIII. Quomodo amittatur.

§. XLVII.

Postremus modus, quo ecclesiasticos magistratus et beneficia consequimur, est institutio, quæ definitur beneficii concessio facta ad præsentationem ejus, qui habet jus patronatus (1). Quare duo hic necessaria sunt, ut quis beneficium obtineat, institutio et præsentatio. Hæc ad patronum pertinet, cujus est designare et offerre clericum; illa ad episcopum, cujus est designato clerico beneficium tribuere, modo nihil obstet, cujus causa repellendus videatur (2).

(1) Institutionis vocabulum latius interdum accipitur, adeo ut etiam collationem comprehendat, eaque est institutio, quæ libera appellatur. Proprie tamen ac stricte institutio pertinet ad beneficia juris patronatus, ac de ea nos hoc loco disserimus.

(2) *Cap. ult. de Instit. in* 6, concil. Trident. *sess.* 7 *cap.* 13 *et sess.* 25 *cap.* 9 *de reform.*

§. XLVIII. Est autem jus patronatus jus præsentandi clericum instituendum ad ecclesiam, vel beneficium vacans. Quæ præsentatio nobilissimam facit ac præcipuam juris patronatus partem, quamquam ipsum et minora quædam jura comprehendat, uti sunt jura

alimentorum, sepulturæ, sedis, processionis, thuris et cetera, quæ honorifica appellantur (1). Qui his juribus fruitur patronus dicitur, sive quod patrocinium ecclesiæ præstare debet, sive quod olim dominus fuerit earum rerum, ex quibus ecclesia ædificata est (2).

(1) Cuncta hæc jura ut una definitione comprehendat, Franciscus de Roye *in Prolegom. ad tit. de jure patron. c.* 1 jus patronatus definit jus, quod fundatori alicujus ecclesiæ in ea competit. Verum et in jure civili jus patronatus, quod manumissor in libertum habet, multis constat, puta concessione, operis obsequiis atque officiis; et tamen jus successionis, quod præcipuum est, per eminentiam jus patronatus appellatur. Ipse Franciscus de Roye peculiari libello *de Juribus honorificis* patronorum diligenter disputat.

(2) Originem hujus nominis quidam referunt ad ætatem S. Gregorii VII, quidam etiam ad ea tempora, quibus Gregoriana collectio edita est. Sed eam antiquiorem esse demonstrat Franciscus de Roye *in Prolegom. ad tit. de Jure patron. cap.* 1.

§. XLIX. Propterea sacri canones templorum, altarium, beneficiorum fundatores eorumque liberos et heredes præcipuis quibusdam juribus, honoribus et privilegiis donarunt, ut erga illos se gratos præberent, ceteri autem pari ad bene de ecclesia merendum voluntate excitarentur. (1). Hinc nomina et elogia fundatorum in ecclesiis recitata sacrisque diptychis inscripta fuisse constat (2); hinc eorum nomina ecclesiis imposita (3); hinc datum jus designandi et offerendi clericum, qui beneficium adipiscatur; hinc reliqua concessa jura, quæ honorifica appellari diximus (4). Omnium tamen maximum et præcipuum est, jus offerendi, seu præsentandi episcopo clericum, qui institui et creari debeat rector templi, seu beneficii, ad quod præsentatus fuit; de quo quidem jure agendum nobis hoc loco est.

(1) Integer canon 38 concilii Toletani IV apud Labbeum *tom.* 6 *col.* 1462, *edit. Venet.*, quem mancum et mutilum Gratianus

habet *in can.* 30 *caus.* 16 *quæst.* 7, satis aperte significat, ecclesiam jura illa patronis concessisse, ut se erga ipsos gratam præberet. Nam de patronis ad inopiam redactis inquit : « Præbendum est a sacerdotibus vitæ solatium indigentibus; et maxime his, quibus restituenda vicissitudo est. » Et in fine « Quanto magis his consulendum est, quibus retributione justa debetur. » Justa hæc *retributio et vicissitudo*, præcipue fuit juris patronatus inducendi ratio.

(2) Concilium Emeritense *can.* 19 *col.* 522 *apud citat.* Labbeum *tom.* 7; S. Paulinus *epist.* 32 *col.* 194 *edit. Veron*, 1736; Sidonius Apollin. *lib.* 2 *epist.* 10, *et lib.* 4 *epist.* 18 *pag.* 1086 *et* 1097 *tom.* 6 *Biblioth. PP. Lugdun.* 1677.

(3) Ita titulus Equitii, titulus Damasi, titulus Lucinæ, aliæque complures ecclesiæ a suis fundatoribus nomen acceperunt. Viden. F. Florens *tract. de Jure patr. in præfat. pag.* 324 *tom.* 2 *opp., edit. Nurimbergæ* 1756.

(4) Jus præsentandi concessum est fundatoribus a conc. Arausicano I *col.* 705 *tom.* 4 *coll. Labbei*, canonem non multo post confirmarunt II Arelatensis conc. Patres *can.* 36 *t.* 5 *col.* 7 *ib.*, postea Nicolaus II utrumque renovavit apud Gratianum *can.* 1 *caus.* 16 *quæst.* 3. Ipsius quoque juris meminit Zeno imperat. *in L.* 15 *cod. de sacr. eccles.*, atque etiam Justinianus. Nam *Novella* 57 probat Zenonis constitutionem, et *Novella* 127 *cap.* 18 confirmat idonei clerici præsentationem ac nominationem, sicut et Pelagius Pontifex *in can.* 31 *cap.* 16 *quæst.* 1, *et in can.* 4 *cap.* 18 *quæst.* 2. Hæc etiam confirmata sunt a concilio Toletano IV et IX, *in can.* 30 *et* 32 *cap.* 15 *quæst.* 7, ac patrono ad inopiam redacto ex ecclesiæ bonis alimenta tributa sunt. Postremo honorem quoque processionis addidit Clemens III *in cap.* 25 *de Jure patr.* Neque enim audiendi sunt, qui jus hoc patronis multo ante tributum putant, a Gelasio Pontifice in *can. Frigentius et can. Piæ mentis cap.* 16 *quæst.* 7, quoniam hi canones longe aliud significant., uti ostendunt Franc. Florens *tract. de Jure patr. in præfat.*, et Franciscus de Roye *de Jurib. honorif. lib.* 1 *cap.* 7; Baronius *ad ann.* 455 *num.* 23 *tom.* 8 *pag.* 180 *editione Lucæ* memorat piam mulierem Bassam, quæ Andream accersivit, ac *pastorem effecit et præfectum monasterii, quod ab ea fuerat ædificatum.*

§. L. Jus patronatus vel est ecclesiasticum, vel laicale, vel mixtum. Ecclesiasticum est quod ecclesia, vel clericus habet titulo ecclesiastico; laicale quod ex

bonis laicorum constitutum est, quodque ad aliquem pertinet laicali titulo; ex. gr. agnationis, hereditatis; mixtum, quod ex ecclesiasticis et laicalibus bonis conflatum est, atque ita ad laicos et ecclesiam pertinet, ut non alternatim, sed simul ab utrisque fiat præsentatio. Laicus ad præsentandum habet quatuor menses, sex, uterque a die cognitæ vacationis (1), ecclesiasticus menses. Laicus, cui brevius conceditur temporis intervallum, quo præsentationem expediat, potestatem habet variandi offerendique alium; ecclesiasticus ea facultate caret, quoniam in eligendo clerico, quem offerat, et laico peritior esse censetur et longiori deliberatione accuratius ferre judicium debet (2).

(1) *Cap.* 22 *et* 27 *de Jure patr., cap. un.* §. *ult. eod. in* 6.

(2) Quæ variandi potestas, quam laicus habet, in eo est posita, ut ipse facta præsentatione alium similiter idoneum clericum nominare possit *cumulative*, ut ajunt, non *privative*, hoc est alium adjungere illi, quem pridem nominaverat, non ut eum rejiciat *cap.* 5 *et* 24 *de Jure patr.* Tunc autem cum æque idonei sunt clerici, *quis eorum alteri præferatur, judicio episcopi* relinquitur, ut inquit Lucius III *in cit. cap.* 24. Verum cum ecclesiasticum est jus patronatus, in quo patronus variandi facultatem non habet, qui primo præsentatus est, modo sit idoneus, institui debet. Similiter si laicus patronus clericum obtulit non idoneum, propter suam, quam habet, variandi facultatem, alium offerre potest; sed ecclesiasticus, qui sciens prudens id fecit, pro ea vice amittit jus præsentandi. Confer Benedictum XIV *de synod. diœces. lib.* 12 *cap.* 7 *num.* 6, et Giraldum *exposit. jur. Pontific. part.* 1 *lib.* 5 *titul.* 38 *sect.* 579 *tom.* 1 *pag.* 593.

§. LI. Lapso tempore, quod ecclesiastico, aut laico patrono concessum est, neque exacta præsentatione, transit ad episcopum potestas conferendi beneficium suo arbitratu (1). Mixtum autem jus patronatus naturam utriusque sequitur, ac semper illud sibi vindicat, quod in altero fuerit optimum. Itaque est in eo tum variandi potestas, tum spatium sex mensium ad fa-

ciendam præsentationem, quorum alterum laicalis, alterum juris patronatus ecclesiastici proprium est.

(1) *Cap.* 3 *de Jure patr.*

§. LII. Est item jus patronatus reale, quod inhæret rei, prædio scilicet aut castro, et cum re defertur ad ejus possessorem; et personale, quod non rei est adjunctum, sed certis adscriptum personis, hoc est patrono ejusque heredibus aut descendentibus. Denique jus patronatus est hereditarium, quod simul cum hereditate, sive legitima, sive testamentaria, ad heredes defertur, et agnatitium sive familiare, quod transit ad eos, qui sunt ex familia, sive agnatione; præterea mixtum ex utroque, quod etiam vocatur *ex pacto et providentia*, quodque ad eos defertur, qui sunt heredes simul et successores legitimi, adeo ut nemo illud sibi asserere possit, nisi ostendat esse se heredem atque a testatore descendentem.

§. LIII. Acquiritur jus patronatus per constructionem, si quis videlicet ære suo ecclesiam ædificavit (1); per fundationem, si quis fundum ad ecclesiam construendam præbuit; per dotationem, si quis dotem dedit aptam et idoneam, per quam consultum sit sumptibus, quos ecclesiæ conservatio et ministri postulant (2). Qui hæc tria unus præstitit, is unus quoque patronus efficitur; at cum alter ecclesiam excitavit, alter fundum et alter dotem dedit, omnes jus patronatus consequuntur (3); modo cum episcopi consensu ædificata ecclesia fuerit (4).

(1) *Cap.* 26, 31, 32 *et* 33, *cap.* 16. *quæst.* 7, *cap.* 25 *de Jure patr.*, concil. Tridentin. *sess.* 14 *cap.* 12, *et sess.* 25 *cap.* 9 *de reform.* Atque hæc quidem, quam sequimur, communis opinio est, quod tribus hisce modis constructione scilicet, fundatione, dotatione acquiratur jus patronatus, adeo ut si tres fuerint, quorum alter ecclesiam ære suo ædificaverit, alter fundum,

alter dotem dederit, omnes jus patronatus consequantur. Quidam tamen sunt, qui fundi donatione illud acquiri negant, ajentes fundationem, quam canones memorant, esse constructionem, non fundi donationem et aliquam esse vix posse, qui in alieno fundo ecclesiam ædificet. Quæ sententia est Francisci de Roye *ad tit. de Jure patron. cap.* 13, Van Espen *Jus eccles. univers. par.* 2 *tit.* 25 *cap.* 3 *num.* 6 *et seq.*, et aliorum quorumdam. Ego facile do et concedo, interdum constructionem cum fundatione confundi, atque omnes, ut plurimum, in suo, non in alieno fundo ecclesiam ædificare. Sed si quis in alieno ædificet, cur non acquirere debet jus patronatus, qui fundum dedit, sine quo ecclesia ædificari non potest? Neque certum est quod canones, qui de fundatione loquuntur omnes ad constructionem referendi sint; imo vero *in can.* 4 *caus.* 18 *quæst.* 2, satis perspicue jus præsentandi *possessionis* domino adscribitur.

(2) Non omnem tamen dotationem, aut constructionem satis esse ad acquirendum jus patronatus, perspicue docet synodus Tridentina *citat. sess.* 25 *cap.* 9 cum statuit, ut « Patronatus quicumque . . . acquisiti a quadraginta annis citra, et in futurum acquirendi, seu ex augmento dotis, seu ex nova constructione, vel alia simili causa, etiam auctoritate sedis Apostolicæ, ab iisdem ordinariis, uti delegatis, ut supra, qui nullius in his facultatibus aut privilegiis impediantur, diligenter cognoscantur; et quos non repererint ob maxime evidentem ecclesiæ, vel beneficii, seu dignitatis necessitatem legitime constitutos esse, in totum revocent. » Ita si quis ecclesiæ non satis dotatæ incrementum dotis attribuit, bene is quidem de ecclesia meritus habetur, sed patronus non efficitur.

(3) Ita illud Glossæ *patronum faciunt dos, ædificatio, fundus,* intelligendum esse ostendit Fagnanus *in cap. Quoniam de Jure patron. num.* 49. Ceterum illud est animadvertendum, quod qui tantum ecclesiam ædificat non acquirit jus patronatus, nisi ea suam quoque dotem habeat. Neque enim sine dote ecclesia ædificanda est; quinimo constituendam esse dotem, antequam illa ædificetur, tradit Fagnanus *loc. cit. num.* 34. Quare cum sacri canones fundatores jus patronatus habere statuunt, eos intelligunt fundatores, qui necessaria quæque dederunt, si plures hi sint, omnes *in solidum* jus patronatus obtinebunt; si unus cuncta præstitit, is unus patronus habebitur. Et quamquam conjunctim ædificanda et dotanda sit ecclesia, tamen dotatio, quæ deinceps fiat cum episcopi consensu, valet etiam ad acquirendum jus patronatus. Fagnanus *loc. cit. num.* 48.

(4) Sola fundatione, quæ secundum ecclesiasticas regulas facta sit, acquiri jus patronatus, quamquam illud expresse reservatum non fuerit, docet Glossa *in can.* 6 *de consecrat. dist.* 1; idque late demonstrat Franciscus de Roye *in prolegom. ad tit. de Jure patr. cap.* 15. Quod non obscure videtur significare Clemens III *in cap.* 25 *de Jure patr.*, cum rogatus *num aliquis efficiatur sola ecclesiæ constructione patronus*, respondit: « Quod si aliquis ecclesiam cum assensu diœcesani construxit, ex eo jus patronatus acquirit.

§. LIV Acquiritur etiam jus patronatus privilegio summi Pontificis (1) et præscriptione. Quæ præscriptio si contra ecclesiam liberam sit, debet esse temporis, quod hominum memoriam excedat, et cum pluribus sociata præsentationibus, quæ exitum habuerint (2), potissimum si qua sit suspicio, illud a viro potente usurpari potuisse. Tunc enim, præter quasi possessionem temporis antiquissimi, cujus initium in tenebris lateat antiquitatis, necesse est etiam probare titulum et evincere præsentationes perpetuas saltem per annos quinquaginta, quæ omnes ad exitum perductæ fuerint (3).

(1) Privilegium hoc tantum a summo Pontifice concedi potest, ab episcopo vero non potest *cap.* 2 *de reb. eccl. non alien. in* 6.

(2) Concilium Tridentinum *sess.* 25 *cap.* 9 *de reformat.*

(3) Concil. Trident. *loc. cit.*, ibique Barbosa *num.* 82. Atque hoc quidem de probando jure patronatus concilii Tridentini decretum, non solum ad petitorium, sed etiam ad possessorium judicium pertinere docet Fagnanus in *cap. Consultationibus de Jure patr. num.* 9. Id vero obtinet, cum adversus ecclesiam probandum est jus patronatus; nam si inter duos quæratur, quis habere debeat jus patronatus, hoc contra verum patronum præscribi, cum, præter tempus ad præscribendum necessarium, tres adsunt præsentationes, ostendit Franciscus de Roye *in Prolegom. ad tit. de Jure patr. cap.* 16.

§. LV. Tranfertur jus patronatus cum re, cui inhæret, si reale sit (1) et transfertur etiam contractu, aut successione. Contractus donationem respicit, ac

permutationem; quoniam jus patronatus, nisi qua lex impedimento sit (2), donari permutarique potest. Donatio in privatum hominem collata indiget episcopi auctoritate, collata in ecclesiam, aut monasterium non indiget (3). Quod etiam dictum volo de permutatione, quæ similiter cum privato homine absoluta opus habet episcopi auctoritate (4); atque præterea rem aliam spiritualem, aut spirituali annexam desiderat, ut recte perficiatur (5). Vendi tamen jus patronatus nequit (6), nisi forte vendatur fundus aut castrum, cui adhæret, quia tunc etiam jus patronatus in emptorem transfertur (7). Verum ex jure patronatus, quod fundo adhæret, nulla pretii fieri debet accessio, quia tunc res spiritualis, vel spirituali annexa, quod fieri nequit, tacite venderetur (8).

(1) Ita Jus patronatus beneficio aut dignitati conjunctum cum beneficio ipso et dignitate, adjunctum castro aut prædio, cum prædio et castro transfertur.

(2) Sic distrahi gentilitium jus patronatus vetat lex fundationis, quæ ad illud vocat certæ familiæ agnatos, aut cognatos, prout agnatitium, vel cognatitium jus patronatus est.

(3) *Cap.* 8 *de Jure patr. cap. un. eod. in* 6.

(4) *Cap.* 5 *eod.*

(5) *Cap.* 6 *et ult. de rer. permut.*

(6) *Cap.* 6 *et* 16 *de Jure patr.*

(7) *Cap.* 7 *eod.*

(8) Consule Schmalsgrueber *Jus eccles. lib.* 3 *t.* 28 §. 3 *n.* 159.

§. LVI. Successione transfertur jus patronatus ad heredes sive legitimos, sive testamentarios (1) et vero tranfertur in solidum, quamquam hereditas inæqualiter dividatur, quoniam jus patronatus dividi non potest (2). Quæ successio defertur in stirpes, hoc est jure repræsentationis; et ideo pluribus patronis decedentibus, quorum alter duos heredes reliquerit, alter unum, duo illi heredes unum habebunt suffragium ad faciendam præsentationem, quoniam ambo unicum tantum patronum repræsentent (3).

(1) Quod de jure patronatus hæreditario intelligendum est; nam gentilitium defertur ad successores cum iis legibus, quæ in fundatione sunt constitutæ.

(2) *Cap.* 1 *de Jure patr.*

(3) *Clem.* 2 *eod. tit.*

§. LVII. Cum autem inter plures patronos, aut unius patroni heredes facile dissidia litesque exoriantur, merito, ut hæc removeantur constitutum est, eos recte posse inter se alternis vicibus dividere jus præsentandi (1). Quæ alterna divisio nisi facta fuerit, quoties facienda erit præsentatio, omnes patroni suum habebunt suffragium, sive vocem ad eam expediendam (2), et cum omnium voluntas consentiens non fuerit, ille erit anteferendus, cui plura numero suffragia præsto sunt, nisi quid forte obstet, propter quod repulsam ferre debeat; cum autem paria erunt omnia, itemque cum orta inter patronos dissidia, intra menses quatuor composita non fuerint, episcopus beneficium conferet suo arbitratu (3).

(1) *Cit. Clem. de Jure patr.*

(2) Præsentatio interdum spectat ad collegium, et tunc omnes, qui collegium conficiunt, vocandi sunt ad ferendum suffragium, et præsentatio *collegialiter*, ut inquiunt, fieri debet, adeo ut extra collegium facta non valeat. Interdum vero pertinet ad plures divisim, sive *uti singulos*, et tunc separatim præsentatio fieri potest, neque necesse est, quod omnes eodem tempore consensum præbeant.

(3) *Cap.* 3 *et* 27 *de Jure patr. citat. Clement.* 2 *eodem.*

§. LVIII. Amittitur jus patronatus, si patronus ecclesiam reparare et conservare recuset (1), si eadem incendio consumpta fuerit, vel motu terræ, vel vetustate, aut vitio suo corruerit; si patronus suo sejure abdicet, aut alteri concedat (2), vel ecclesiam, nulla sui juris facta reservatione, collegiatam fieri patiatur (3), vel prædium vendat, cui jus patronatus adhæret, si in hæresim inciderit (4), si ecclesiæ recto-

rem, aut clericum vel per se vel per alios occidere, seu mutilare ausus fuerit (5), vel jura ecclesiæ usurpaverit (6), vel separatim jus patronatus vendiderit (7); denique si præscribi permiserit.

(1) Benedictus XIII *Constit. Pius et misericors.* 59 §. 7 *pag.* 398 *tom.* 11 *bullar. Roman. edit. Mainardi.*
(2) *Cap. un. de Jure patr. in* 6.
(3) *Cap.* 25 *de Jure patr.*
(4) *Cap.* 10 *de Hæres.*
(5) *Cap.* §. *Sacri de pœnis.* Atque hæc quidem pœna non ipsum modo patronum comprehendit, sed ejus etiam descendentes usque ad quartum gradum, modo post homicidium nati sunt. Nam qui nati sunt, antequam ecclesiæ rector interficeretur, nullam dependunt pœnam, sicuti ostendit Bened. XIV *de synod. diœces. lib.* 13 *cap.* 24 *num.* 21.
(6) Concil. Tridentin. *sess.* 25 *cap.* 9 *de reform.*
(7) *Cap.* 6 *de Jure patr., concil Trident. loc. indic.*

TITULUS VII.

Quibus Ecclesiastici Magistratus et Beneficia recte tribuantur.

I. Quid in beneficiorum concessionibus observandum?
II. Beneficia dignioribus sunt conferenda.
III et IV. Parœciæ per concursum conferuntur.
V. A beneficiis repelluntur, qui canonico impedimento laborant.
VI. Qui non habent ætatem.
VII. Aut ordinem.
VII. Aut doctoris gradum, quem beneficium postulat.
IX. Leges fundatorum in conferendis beneficiis.
X. Statuta et consuetudines ecclesiarum.
XI. Quod jus obtineat in delegatis?

§. I.

Nunc videamus, quibus ecclesiastici magistratus et beneficia recte tribuantur; deinceps ostendemus, quæ impedimento sint, quominus rite et recte ordines sus-

cipiantur. Illud initio tenendum est, vacua esse oportere ecclesiastica beneficia, ut ea recte concedantur. Nam collatio, quin etiam promissio beneficii non vacantis, nisi fiat a summo Pontifice, nulla est (1), et qui sciens prudens ad beneficium non vacuum institui se passus fuit, is ab ecclesiastica communione pellendus est (2). Deinde collatio idoneo tempore, hoc est intra sex menses est expedienda (3), ne hoc elapso tempore jus conferendi devolvatur ad proximum superiorem (4); eaque non pretio fieri debet, non sub conditione, non alternatim, non impetrari per vim et metum, non per obreptionem et subreptionem.

(1) *Cap.* 2 *et* 7 *de Concess. præb.* Concil. Tridentin. *sess.* 24 *cap.* 19 *de reform.* ubi sublatæ sunt *gratiæ*, quæ dicuntur *expectativæ et reservationes mentales et aliæ quæcunque gratiæ ad vacatura.*

(2) *Cap.* 1 *de Concess. præb.* Vide etiam *Reg. XXI. cancellar.*

(3) *Cap.* 5 *eod.;* atque hoc tempus numeratur a die cognitæ vacationis.

(4) *Cap.* 2 *eod.*

§. II. Post hæc singulorum merita scrutanda sunt, et qui ceteris præstat, beneficium obtinere debet. Parœciæ conferendæ sunt per concursum, qui expeditur a tribus saltem examinatoribus synodalibus et coram episcopo, vel ejus vicario generali (1), ac beneficium ab episcopo deferendum est ad eum, qui moribus, ætate, prudentia, doctrina cunctis antecellit, adeo ut irrita habeatur collatio, si minus dignus ceteris sit antelatus (2). Reliqua beneficia, quæ adjunctam non habent curam animarum, tribuenda sunt etiam magis aptis et magis idoneis clericis; sed jura humana firmas habent hujusmodi collationes, quas minus idonei clerici impetrarunt.

(1) In hoc examinatorum judicio nullæ sunt partes episcopi, aut vicarii generalis, qui ejus loco præsens est, nisi forte paria, aut singularia sint examinatorum suffragia, quia tunc integrum

erit episcopo aut vicario, cui voluerit accedere, uti perspicue statuit concil. Trident. *sess.* 24 *cap.* 18 *de reform.*, atque ita respondit Sac. Congregatio concilii *lib.* 1 *decret. pag.* 158.

(2) Concil. Trident. *sess.* 24 *cap.* 18 *de reformat.* Debent examinatores renuntiare quotquot idoneos judicant *ætate, moribus, prudentia et aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis;* episcopus vero debet *ex his, qui renuntiati fuerint, magis idoneum eligere,* atque ita a Sac. Congregatione concilii definitum fuisse testatur Garcias *de Benefic. part.* 5 *c.* 7 *num.* 11. Suo autem deessent muneri examinatores synodales, ut recte monet Benedictus XIV *de synod. diœces. lib.* 4 *cap.* 8 *num.* 3, si tantum de alicujus doctrina litterarumque peritia judicium ferrent, non item de morum probitate ceterisque dotibus quæ sunt ad recte obeundum parochi officium necessariæ. Confer eumdem Benedictum *cit. Constit. Cum illud* §. 10.

§. III. Legem concursus editam a synodo Tridentina, ut ejus cursum atque exitum facerent expeditiorem, declarare et ampliare censuerunt summi Pontifices, præsertim sanctus Pius V (1), Clemens XI (2) et Benedictus XIV (3). Quamobrem qui a minus æquo judicio episcopi et examinatorum provocat ad metropolitam, aut ad summum Pontificem, is impedimentum inferre non potest, quominus alter parochiæ possessionem obtineat; quamquam appellationis beneficio delere possit repulsæ notam, et suam novo experimento virtutem ostendere (4).

(1) S. Pius V *in bulla In conferendis* 51 *tom.* 4 *par.* 2 *pag.* 362 *et bulla Apostolatus* 62 *t.* 4 *par.* 2 *p.* 51 *bullarii, ed. cit.*

(2) Clemens XI *per litteras Sac. Congregationis conc. datas die* 10 *januarii* 1721, quæ referuntur a Benedicto XIV *in Const. Cum illud* 68 *bullar. sui, pag.* 133 *tom.* 1, *edit. Romæ* 1752.

(3) Benedictus XIV *in cit. Constit. Cum illud.*

(4) S. Pius *in cit. Constitut. In conferendis,* ubi appellatio tantum *in devolutivo,* ut ajunt, non item *in suspensivo* conceditur.

§. IV. Solutæ sunt hac lege concursus ecclesiæ juris patronatus laicorum. Nam oblatum a patrono instituere debet episcopus, si eum, facto experimento

sine concursu, cum examinatoribus in synodo designatis, idoneum inveniat (1). At patroni ecclesiastici inter approbatos ab iisdem examinatoribus, qui in concursu periclitati fuerunt ingenium et virtutem suam, debent digniorem eligere, atque eum episcopo offerre, ut ab ipso deinceps instituatur (2). Episcopus autem judicium patroni ecclesiastici in delectu et præsentatione dignioris omnino sequi debet, cum nullæ sunt aliorum querelæ, at vero inquirit in judicium patroni, si quis de eo conqueratur (3).

(1) Concil. Trident. *cit. sess.* 24 *cap.* 18.

(2) Quod obtinet, cum institutio ad episcopum pertinet. Verum « cum institutio, inquit synodus Tridentina *loc. cit.*, ab alio, quam ab episcopo, erit facienda, tunc episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem patronus ei præsentet, ad quem institutio spectat. »

(3) Benedict. XIV *in Const. Redditæ nobis* 4 *tom.* 2 *pag.* 15 *bullarii sui.* Quod si aliquis sit, qui de patroni judicio conqueratur, in illud episcopus inquirere debet; illique etiam appellationis beneficium conceditur. Quæ appellatio datur *in suspensivo*, si episcopi judicium a patrono dissentiat; si cum eo consentiat, datur tantum *in devolutivo*, uti sancitum est *in cit. Constit.* 4 Benedicti XIV.

§. V. His accedunt ea, quæ a jure et quæ ab hominibus constituta observari necessario debent, ut ecclesiastica beneficia recte tribuantur. Jure cautum est, ut qui beneficium consequuntur I. Nullo canonico impedimento teneantur. Hinc a beneficiis repelluntur baptismo aut tonsura carentes; illegitimi, quibus tamen potest episcopus veniam dare minorum obtinendorum ordinum et simplicium beneficiorum (1); hæretici eisque faventes, et illorum filii ad secundum in linea paterna gradum, in materna tantum ad primum, si parentes in hæresi decesserint (2); conjugati, bigami, excommunicati, suspensi, interdicti, irregulares.

(1) *Cap.* 1 *de fil. Presbyter. in* 6.

(2) *Cap.* 2 *et* 15 *de Hæret. in* 6.

§. VI. II. Ut habeant ætatem necessariam, quæ pro simplicibus beneficiis est annorum 14, pro dignitatibus et beneficiis, cum quibus conjuncta est cura animarum, annorum 25, pro reliquis dignitatibus, quæ nullam habent animarum curam, annorum 22, pro episcopatu annorum 30 (1).

(1) Conc. Trid. *sess.* 23 *c.* 6, *et sess.* 24 *cap.* 12 *de reform.*

§. VII. III. Ut initiati sint ordine, quem dignitas aut beneficium postulat. Ita sacerdotium adjunctum habent episcopatus, abbatia, præpositura, parochia et dignitates, quæ secum ferunt curam animarum et quæ canonicorum collegio præficiuntur (1). Generatim tamen, nisi secus cautum sit, vel statuto, vel lege fundationis, sancitum est, ut quilibet intra annum suscipiat ordinem, quem cum beneficio conjunctum esse oportet (2).

(1) *Cap.* 1 *de ætat., et qualit. et ordin. præfi.*
(2) *Clement.* 2 *eod.*

§. VIII. IV. Denique ut ea sint præditi doctrina, qua est opus, ut recte obeant munus, quod in beneficio inest (1), utque insigniti sint laurea sacræ Theologiæ Jurisve canonici, si eam postulat beneficium, quod consequuntur. Nam ea decoratos esse oportet vicarium generalem et capitularem, archidiaconum et ceteros, qui primas habent in cathedralibus, aut in collegiatis ecclesiis dignitates (2).

(1) *Cap.* 7 *de Elect.*
(2) Conc. Trid. *sess.* 24 *cap.* 12 *de reform.* Sed archidiaconos et ceteros, qui primas obtinent in cathedralibus, aut in collegiatis ecclesiis dignitates, quique non curam animarum, neque aliquam jurisdictionem habent, ea lege minime teneri, atque id plus semel a sacr. Congregatione concilii definitum ostendunt Garcias *de benefic. par.* 7 *cap.* 7 *num.* 33; Pignatellus *consult. canon.* 114 *num.* 44 *tom.* 9; Monacellus *Formular. eccles. tom.* 1 *in append. pag.* 281 *num.* 15 *et* 16.

§. IX. Sunt hæc jure tradita, quibus parere et quæ sequi debent, qui beneficia conferunt. Sed et observandæ retinendæque sunt leges a fundatoribus constitutæ de ætate, meritis et qualitatibus beneficiatorum, quamquam inde regula canonum non quidem tollatur omnino, sed vel paulo lenior vel etiam severior evadat. Quare etiamsi vana sit lex, quæ ecclesiastica beneficia laicis adscribit, ea tamen retinenda est lex, per quam simplices etiam capellaniæ et canonicatus beneficia fiunt sacerdotalia, aut per quam beneficia quædam, quæ jure essent sacerdotalia, vel diaconalia, minoribus clericis conceduntur.

§. X. Atque hæc, quæ de fundatorum lege dicimus, dicta etiam volumus de constitutionibus singularum ecclesiarum. Nam eas pari modo spectare et servare decet in iis, quæ præcipiunt de canonicorum et ceterorum beneficiatorum qualitatibus.

§. XI. Illud postremo decet animadvertere, quod non tantum in conferendis beneficiis sacrisque magistratibus inspicere oportet gradum, ætatem, mores, doctrinam singulorum, sed etiam in ecclesiasticis officiis, quæ jure delegato mandantur. In quo tamen multum valet mandantis voluntas atque potestas; præterea necesse est indolem atque naturam jurisdictionis, quæ commissa fuit, diligenter expendere.

TITULUS VII.

Qui promoveri non possint.

I. Quid irregularitas sit, et unde procedat?
II. et III. Irregularitates ex crimine procedentes.
IV ad VI. Irregularitates ex defectu aut vitio corporis.
VII et VIII. Irregularitates ex defectu animi.
IX. Irregulares servi et indocti.
X et XI. Et qui alienum habent a lenitate animum.
XII. Et qui sana mente non sunt, atque infames.
XIII et XIV. Item nati extra nuptias.
XV et XVI. Et bigami.
XVII. Irregularitates quomodo et cujus auctoritate tollantur?

§. I.

Non aditus datur omnibus ad ordines suscipiendos, sed iis intercluditur, qui canonico impedimento laborant et quos irregulares vocamus. Quem recentior ætas ecclesiæ novo vocabulo irregularem dixit, cum Nicæni patres (1) *alienum a regula* appellarunt. Est autem alienus a regula, cui ecclesiastica regula impedimento est, quominus aut clero adscribatur, aut evehatur ad ordinem superiorem, aut in suscepto ordine ministret. Ex quibus facile educitur irregularitatis definitio. Non unum semper, pro varia ecclesiæ disciplina, fuit irregularitatis genus (2); sed hodie irregularitates omnes vel ex crimine, vel ex vitio aliquo, aut defectu procedunt.

(1) *Can.* 17 c. 331 *tom.* 1 *collect. Harduini.*
(2) Vide Thomassin. *vet. et nov. eccl. discipl. par.* 2 *lib.* 2 *a cap.* 57 *ad* 91.

§. II. Criminis puros ecclesiæ ministros Apostolus, omnesque græci et latini patres esse voluerunt (1).

Quare olim quisquis pro crimine publicam egerat pœnitentiam, cum non careret justa reprehensione, quæ dedecet sacrum ministerium, quo clericos fungi oportet, ab ordinibus repellebatur. Nunc laxata severitate antiquæ disciplinæ, ea dumtaxat crimina irregularitatem inducunt, quæ infamiam afferunt, ob maculam, qua inde criminosus adspergitur, vel quæ nominatim expressa sunt. Hujusmodi criminosi, qui nominatim a jure designantur, sunt serio ac scienter baptismum iterantes, et qui palam baptismi iterationi ministerium impenderunt (2); simoniaci (3); ordinati per saltum (4); qui in ordine non suscepto ministrarunt (5); qui ad suscipiendos ordines non approbati, nec vocati obrepserunt (6); qui ordines susceperunt, aut eorum jam susceptorum exercuerunt munera, cum majori excommunicatione, aliave censura tenerentur (7); qui voluntarium, atque injustum homicidium patrarunt (8).

(1) Apostolus *ad Titum I v.* 6 *et* 7, *I ad Timoth. III v.* 2 *et* 10; Conc. Nicæn. *can.* 2 *et* 9 *col.* 71 *et* 75 *tom.* 2 *col. Labbei can.* 55, 56, 58, 59 *et* 60 *dist.* 50; S. Gregorius M. *lib.* 3 *ep.* 49 *col.* 660, *et lib.* 4 *ep.* 10 *opp. t.* 2 *col.* 698, *ed. Paris.* 1705; S. Petrus Damian. *in Gomorrh. cap.* 3 *et seq. cap.* 64 *opp. t.* 3 *ed. Paris.* 1663. Atque olim quodlibet grave crimen, etiam illud, quod eluerat pœnitentia, irregularitatem inducebat. Origenes *contra Celsum lib.* 3 *cap.* 51 *opp. tom.* 1 *p.* 418, *ed. Paris.* 1733 tradit, lapsos, qui resipuissent, in communionem per pœnitentiam recipi consuevisse, *sed quia lapsi sunt, ab omni posthac dignitate et præfectura in ecclesia Dei arcentur.* Hinc illud concilii Carthaginensis IV *can.* 68 apud Labbeum *t.* 2 *col.* 1442 *ed. Venet. ex pœnitentibus* (*quamvis sit bonus*) *clericus non ordinatur.* Consentiunt S. Siricius *ep.* 1 *ad Himerium Tarraconen. num.* 18 apud Coustantium *col.* 636; Zosimus *decr. cap.* 3 apud Pithœum *cod. can. vet. eccles. Roman. pag.* 215, *edit. Paris.* 1687; S. Augustinus *ep.* 185 *num.* 45 *opp. tom.* 2 *col.* 660, *edit. Maurin. Venet.* 1729; S. Isidorus Hispalen. *de eccles. Offic. lib.* 2 *cap.* 5 *pag.* 579 *opp. edit. Paris.* 1601. Et vero gravia crimina non tantum publica et manifesta, sed etiam occulta irregularitatem inducebant. Sed orta deinceps inter pu-

blica et occulta crimina distinctione, quam probavit Gratianus post *can.* 32 *dist.* 50, omnibus firmum ratum esse cœpit, quod ex publicis, non autem ex occultis criminibus irregularitas exoriatur. Hodie nonnisi crimina occulta, quæ in jure expressa sunt et reliqua crimina publica, quæ infamiam afferunt, irregularitatem secum ferunt. Synodus Tridentina *sess.* 24 *cap.* 6 *de reform.* ortas ex occultis criminibus irregularitates agnovit, cum episcopo facultatem dedit relaxandi irregularitates et suspensiones *ex delicto occulto* provenientes, excepto homicidio voluntario

(2) *Can.* 65 *dist.* 50 *c. ult. de Baptism. cap.* 2 *de Apostat.*

(3) *Can.* 2 *dist.* 33 Sixtus V *Constit. Sanctum.* 140 *tom.* 5 *par.* 1 *pag.* 40 *bullar. ult. edit.*

(4) *Cap. un. de cleric. per salt. promot.*

(5) *Cap.* 1 *cler. non ordinat. ministr.*

(6) *Cap.* 1, 2, 3 *De eo qui furtiv. ordin. suscep.*

(7) *Cap.* 32 *De senten. excom.* Minoris tamen excommunicationis violatorem irregularem non fieri, decrevit Gregorius IX *in cap. ult. de cleric. excom. depos. inter ministr.*

(8) *Cap.* 1 *et* 10 *de Homicid. volunt. vel casual.*

§. III. Quod pertinet etiam ad eos, qui animatum mulieri partum abegerunt, sive id medicamentis, sive alio quovis modo effecerint (1); itemque ad eos, qui concilium, mandatum, opem alicui dederunt ut hominem interficeret (2). Fortuitum vero homicidium, quod admissum est ab eo, qui rei licitæ operam dabat (3); quemadmodum et homicidium, quod servato, ut inquiunt, *moderamine inculpatæ tutelæ* aliquis patrare coactus est, sui ipsius defendendi causa (4), aut quod commissum est ab amente, furioso, infante, irregularem facit neminem (5).

(1) *Cap.* 20 *de homicid.* Sixtus V. *in constit. Effrenatam* 134 *par.* 5 *tom.* 1 *pag.* 25 *bullarii edit. citat.* eadem pœna plecti voluit illos, qui mulieri partum adhuc anima carentem abegissent; verum hac in re, Sixti constitutione abrogata, jus antiquum servari jussit Gregorius XIV *Constit. Sedes Apost.* 10 *tom.* 5 *par.* 1 *pag.* 275 *bullar. d. ed.*

(2) *Cap.* 6 *eod., Cap.* 2 *de cler. pugnan., can.* 23 *dist.* 1 *de pœnit., can.* 80 *dist.* 50.

(3) *Cap.* 13, 14, 15, 24 *de homicid.* At vero irregularis

est, qui præter voluntatem hominem interfecit, non adhibita diligentia, quam adhibere oportet : *cap.* 7, 8, 12 *de homicid.*, quique fortuitum homicidium admisit, cum rem vetitam, sive illicitam gereret *cap.* 19 *eod.* Qui autem rem medicam, aut chirurgicam exercuerunt, cum recte periti artis essent, omnemque in curandis ægrotis curam ac diligentiam adhibuerunt, si paulo accuratius expendimus canonicam jurisprudentiam, irregulares non sunt, licet ægrotus aliquis decesserit. « Physici vel chirurgi, si periti sint in arte et nihil omiserunt de contingentibus, et habuerint super hoc sanam conscientiam, poterunt promoveri, si causa eorum aliquid in homine contigerit, » inquit S. Petrus Cœlestinus *in Opusc.* 7 *part.* 4 *sect.* 1 *cap.* 3 *tom.* 25 *Biblioth. PP., edit. Lugdun. p.* 822. Nihilo tamen minus cum hi ordinibus initiantur, quoniam « certo non sciunt, ut ait Benedictus XIV *de synod. diœces. lib.* 13 *cap.* 10 *num.* 4, semper usos fuisse omnibus ab arte præscriptis regulis ad expellendum morbum, qui ægrotum interemit, sibi tutius consulere cupientes, rescriptum, vel breve dispensationis ab irregularitate ad cautelam satagunt obtinere. » Et licet olim clerici non prohiberentur medicam artem exercere, nunc tamen id ipsis vetitum est : concil. Lateranense 22 *can.* 9 *col.* 1499 *tom.* 12, *concil. coll.* Labbei *c.* 3 *et* 10. *Ne cleric. vel monach.;* ideoque apostolica venia, sive indulto opus habent, ut artem illam exercere possint. Quæ venia conceditur certis adjectis ligibus, quas numerat Benedictus XIV *de synod. diœces. lib.* 13 *cap.* 10 *num.* 8.

(4) Olim nihil intererat, num quis dolo malo, an ob sui tutelam hominem interfecisset *can.* 8 *dist.* 50; quæ vetus disciplina viguisse videtur usque ad tempora decretalium, ut colligi potest ex *cap.* 24 *de homicid.* Sed Clemens V *in Clem. unic. eod. tit.* irregularem non esse respondit eum, *qui mortem aliter vitare non valens suum occidit, vel mutilavit invasorem.*

(5) *Clem. un. de homicid. volunt. vel casual.*

§. IV. Defectus sive vitium, vel est corporis, vel animi. Vitio corporis irregulares sunt, qui non habent ætatem, quam pro singulis ordinibus sacri canones constituunt et quam superiori loco descripsimus (1).

(1) Vide *tit.* 4 *sect.* 2 §. 15.

§. V. Sed potissimum ad hunc locum pertinent irregularitates eorum, qui insigni aliqua deformitate

notantur; et qui propter corporis impedimentum ordinis ministerium exercere non possunt. Ob deformitatem ordinibus prohibentur, qui ita deformes sunt, ut risum aut stomachum moveant, uti sunt illi, quibus abscissæ sunt nares, aut oculus erutus (1), qui lepra laborant (2), qui ridicule pusilli atque ita claudi sunt, ut sine fulcro incedere nequeant (3); non tamen illi, quorum leve vitium est, uti si quis maculam habeat in oculo, aut ungulam digiti amiserit (4).

(1) *Can. ult. dist.* 55.
(2) *Cap.* 4 *de cleric. ægrot.*
(3) *Cap.* 1 *dist.* 49.
(4) *Cap.* 2 *de corpor. vitiat.* Irregularitatis, quæ ex corporis deformitate procedit, vestigia sunt in veteri testamento *Lev. XXI v.* 18 *ad.* 20, ubi excluditur ab altaris ministerio, si quis « Cæcus fuerit, si claudus, si parvo vel grandi vel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel herniosus. » Verum cæremonialia hæc veteris legis præcepta desierunt. Antiqui ecclesiæ canones potius vitia mentis atque animi, quam corporis notari voluerunt, et huc spectat canon 77 et 78 apostolorum apud Cotelerium *PP. apostolic. tom.* 1 *pag.* 474 *et* 475, *edit. Amstelodami* 1724, et facit etiam id, quod Sozomenus *lib.* 6 *histor. cap.* 30 *pag.* 263, *edit. Valesii Cantabrig.* 1720, narrat de anachoreta Ammonio, qui licet abscissa esset auricula, tamen episcopatu dignus est habitus, et Palladius *in histor. Lausiac. cap.* 12 apud Rosweydum *vit. PP. pag.* 947 *Antverpiæ* 1615, episcopum memorat, qui profitebatur, *se paratum ordinare virum bonæ vitæ etiam naso amputato.* Vitio corporis ab ordinibus excludebantur, qui eorum munera obire non poterant, vel qui sibi sponte ac sine causa partem aliquam corporis absciderant. Sed sæculo V jam disciplina vigebat, per quam corpore vitiati ab ordinibus repellebantur, uti patet ex *canon.* 3 *dist.* 55.

§. VI. Ob impedimentum corporis irregulares habentur surdi, muti, cæci utroque oculo, vel sinistro solum, quem oculum *canonis* appellamus, vel qui eumdem ita læsum habent, ut, nonnisi indecore con-

versa facie, missæ canonem legere possint, paralitici, comitiali morbo laborantes, carentes aliquo membro, puta manu aut pede (1), quin etiam digito ad frangendam Hostiam necessario, pollice nimirum atque indice (2), qui pedibus stare et consistere non possunt (3), quibus volentibus virilia sunt secta (4), nisi id suasu medicorum, aut in cunabulis factum sit (5).

(1) *Can.* 6 *de corpor. vitiat. ordinan.* (2) *Cap.* 1 *eod.*
(3) *Can.* 57 *dist.* 1 *de consecr., ibique Glossa verb. cum baculo.*
(4) *Can.* 4 *et* 5 *dist.* 55, *cap.* 3 *et* 4 *de corpor. vitiat. ordin.* Conc. Nicæn. *can.* 1 *tom.* 2 *concil. col.* Labbei *col.* 33 *ed. Venet.*
(5) *Cap.* 3 *et* 5 *eod.* Sunt etiam irregularitatis expertes qui vel a natura, ut Dorotheus apud Eusebium *eccles. hist. lib.* 7 *cap.* 32 *p.* 366, *ed. Valesii Cantabrig.* 1720, Melitho et alii, vel a violentia, quales olim fuerunt Germanus et Ignatius eunuchi facti sunt. Ivo Carnotensis *ep.* 231 *opp. par.* 2 *pag.* 98, *ed. Paris.* 1647, loquitur de monacho Cluniacensi, qui propter languorem eunuchus factus fuit, neque irregularis evasit; multa hujusmodi exempla refert Theophilus Raynaud. *opp. de Eunuchismo.* Quare Nicænus canon. I ad eos pertinet, qui se ipsos absciderunt, ut Origenes et Leontius, quos imitati sunt Valesii, seu Valesiani hæretici apud Epiphanium *adver. hæres. lib.* 2 *hæres.* 38 *tom.* 1 *opp. pag.* 499, *ed. Petavii Paris.* 1622.

§. VII. Vitium aut defectus animi irregulares efficit illos, qui baptismum non acceperunt; et horum quidem ordinatio irrita est, quia cum ecclesiæ januam ingressi non fuerint, apti non sunt ad suscipiendos ordines et capessenda officia, quæ sunt ecclesiæ filiorum propria (1). Qui carent sacramento confirmationis ordinibus initiari non debent (2); verum si initiati fuerint, ordinatio rata firma est. Huc quoque referuntur neophyti, hoc est nuper baptizati, qui a majoribus ordinibus repelluntur quoniam eos cita ordinatio in superbiam raperet (3); item in ægritudine baptizati, nisi postquam convaluerint, suis operibus ostendant, se non metu mortis, sed studio pietatis et religionis baptismum suscepisse (4).

(1) *Cap.* 1 *et* 3 *de presbyt. non baptiz.*
(2) Concil. Trident. *sess.* 23 *cap.* 4 *de reform.*
(3) *Can.* 1 *dist.* 48 et concil. Nicænum *can.* 2 *col.* 33 *t.* 2 *collect.* Labbei. Quantum vero temporis sit necessarium, ut neophytus pro suscipiendis ordinibus satis probatus habeatur, inter Juris canonici interpretes non bene exploratum est. Alii annum unum satis esse arbitrantur, quia miles in Jure civili, exacto militiæ anno, veteranus dicitur, alii biennium postulant, quoniam Gregorius M. *lib.* 10 *ep.* 24 *opp. tom.* 2 *col.* 1056, *edit. Paris.* 1705 eos, qui Christi fidem amplexi fuerant, ordinari vetuit, *priusquam biennium in conversione compleant,* alii decennium requirunt, qnod hoc in jure longum tempus est; alii demum cum nullum ea de re certum tempus a Jure definitum sit, rem totam relinquunt arbitrio episcopi, cujus est videre, num recens baptizati tantæ sint virtutis, atque in fide constantiæ, ut iis ecclesiastica ministeria tuto committi possint.
(4) *Can.* 1 *dist.* 57. Idcirco Cornelius P. *ep.* 9 *ad Fabium Antiochen. num.* 4 apud Coustantium *col.* 151 irregularem habuit Novatianum, quod in lecto decumbens baptismum accepisset. Hi vero homines *clinici* dicebantur a græco verbo κλινη, quod *lectum* significat.

§. VIII. Pertinent etiam ad animum libertas, doctrina, lenitas, sana mens, fama integra, vacuitas ab omni sorde, atque ab omni incontinentiæ nota. Sunt hæc bona animi, quæque his adversantur faciunt aliquem irregularem.

§. IX. Itaque irregulares habentur servi (1), nisi a domino libertatem fuerint consequuti, ordinati autem sciente domino ingenui efficiuntur (2); præterea, qui ad servos videntur accedere, tutores, curatores et ceteri, qui tenentur onere rationum reddendarum, nisi eas antea reddiderint, atque ita omnem fraudis suspicionem excusserint (3); item illiterati et indocti (4); denique qui alienum ab ecclesiastica lenitate animum declaraverint.

(1) *Cap.* 1 *et* 2 *de serv. non ordin.*
(2) *Can.* 20 *dist.* 54.
(3) *Cap. unic. de obligat. ad ratiocin.*

(4) Illiteratos eodem jure ac corpore vitiatos censet Gelasius Pontifex in *can.* 1 *dist.* 36, *et inscios litterarum* synodus Toletana IV. *can.* 5 *dist.* 51. Ex quibus evidens est, eos ab ordinibus excludi, qui prorsus ignari sunt litterarum, non item eos qui mediocri scientia sunt præditi, uti respondit Innocentius III *in cap.* 19 *de elect.* Quantam autem in singulis ordinibus debeant episcopi scientiam exquirere, tradit synodus Tridentina *sess.* 22 *cap.* 2, *et sess.* 23 *cap.* 4, 11, 13 *de reform.*

§. X. Nam ministros suos, exemplo Christi, lenes esse voluit ecclesia; atque hinc inter episcoporum munera non illud postremum fuit, ut pro reis crimine damnatis intercederent apud magistratus (1). Itaque irregulares sunt, qui aliquid conferunt ad necandum, aut mutilandum hominem, quamquam is alterutra pœna merito plectatur, veluti judices, qui sententiam proferunt mortis aut mutilationis, modo eadem sententia ad exitum perducatur (2), item accusator; fisci patronus, testes in causa sanguinis, et ministri omnes qui sententiam exequuntur (3), cunctique demum, qui alienæ mortis aut mutilationis participes fuerint (4).

(1) S. Augustinus *ep.* 153 *ad Macedon. opp. tom.* 2 *col.* 524, *edit. Maurin. Venet.* 1729; S. Ivo Carnotensis *ep.* 246 *opp. par.* 2 *pag.* 106, *edit. Paris.* 1647; Conc. Sardicense *can.* 7 *et* 8 *tom.* 2 *col.* 662 *et* 663 *collec.* Labbei; concilium Toletanum IV apud Gratianum *can.* 29 *caus.* 23 *qu.* 8.

(2) *Cap.* 5 *et* 9 *Ne cleric. vel monach.*

(3) *Can.* 30 *cap.* 23 *qu.* 8, *cit. cap.* 5 *et* 9 *Ne cleric. vel monach.*

(4) *Cap.* 24 *de Homicid. volunt. vel casuali.*

§. XI. Quod si clericus, qui civile habet imperium in suos, criminales causas alteri committat, eumque *justitiæ debitum exequi* jubeat, irregularis non est, quamquam a judice mortis sententia proferatur (1). Ne quis autem ansam habeat ad vexandos impune clericos, statuit Bonifacius VIII (2), eos irregulares

non esse, cum illatas sibi a laicis injurias persequuntur, modo vere atque ex animo declarent, se non ultores injuriarum agere, ut sanguis effundatur.

(1) *Cap. ult. Ne cleric. vel monach.*
(2) *Cap. ult. De homicid. in* 6.

§. XII. Sunt etiam, uti dicebamus, irregulares ii, quorum mens sana non est, et huc vocantur amentes, furiosi, energumeni et quotquot, vel natura vel morbo, mente sunt imbecilliores (1); præterea qui bona fama non sunt, et huc referendi hæretici, schismatici, apostatæ, atque ii, quorum pater avusque hæretici sunt, vel hæretici decesserunt (2), itemque adulteri, perjuri, falsi testes, lenones et rei ceterorum criminum, quæ alicui infamiam inferunt (3). Crimina hæc aut nota omnibus, aut judicio probata, eorum reos ab ordinibus repellunt (4).

(1) *Can.* 3, 4, 5 *dist.* 33. Vide Conc. Aurelianense III *c.* 6 *col.* 1275 *tom.* 5, et Toletanum II. *can.* 1 *et* 3 apud Labbeum *tom.* 5 *col.* 879 *edit. Venet.;* S. Gregor. M. *dialog. lib.* 2 *c.* 19 *tom.* 2 *col.* 240 *edit. Parisien.* 1705.
(2) *Cap.* 15 *de Hæret. in* 6.
(3) *Can.* 17 *c.* 6 *qu.* 1.
(4) *Cap.* 4 *et ult. de Tempor. ordin.* ubi statuitur : « Si proposita crimina ordine judiciario comprobata, vel alias notoria non fuerint, non debent hi (præter reos homicidii), post pœnitentiam, in jam susceptis, vel suscipiendis ordinibus impediri. »

§. XIII. Vacuitas ab omni sorde eo spectat, ut ordines suscepturi nullum dedecus nullasque sordes ex nativitate contraxerint. Ea de causa ab ordinibus arcentur illegitimi (1), nisi postea nuptiæ inter eorum parentes rite concilientur (2), aut nisi religionem professi, monumento hoc pietatis natalium sordes eluerint, quia tunc recte ordinibus initiantur, licet a sui ordinis præfecturis, nisi primum ea lege soluti fuerint, abstinere se debeant (3). Sed et bona cum venia episcopi,

aut summi Pontificis ordines suscipere potest illegitimus, atque etiam consequi ecclesiasticos magistratus. In minoribus ordinibus et beneficiis simplicibus satis est venia episcopi (4); in ordinibus sacris, parochiis, dignitatibus, summi Pontificis venia desideratur (5).

(1) Hujus irregularitatis nullam antiqui canones rationem habuisse videntur. Nam *can.* 8 Nicephori confessoris apud Cotelerium *eccles. Græc. monum. t.* 3 *p.* 146. *Paris.* 1686 habentur hæc: « Qui ex concubina, aut bigamus, vel trigamis nati sunt, modo vitam exhibuerint sacerdotio dignam, ordinantur. » Consentiunt antiqui Patres, quorum testimonia Gratianus describit *dist.* 56; idque late demonstrat Christianus Lupus in *synod. General. et Provinc. tom.* 4 *c.* 12 *dissert.* 1 *proœm. p.* 36, *edit. Venet.* 1725. Irregularitatem hanc, quæ ex natalium vitio procedit, memorat Innocentius III *lib.* 1 *ep.* 444 *tom.* 1 *pag.* 460 *edit. Paris.* 1682; et ejus etiam antea meminerat decretum Urbani II *can.* 1 *dist.* 56, et canon synodi Pictaviensis *in cap.* 1 *de fil. Presbyt.* Tam canon hic, quam illud decretum pertinent ad exitum fere sæculi XI.

(2) *Cap.* 1 *et* 7. *Qui fil. sint legit.* Necesse tamen est, quod inter parentes consistere potuerit matrimonium cum filii concepti sunt ut postea per illud legitimi efficiantur. Vide litteras Benedicti XIV datas ad archiepiscopum S. Dominici, quæ exstant in ejus *Bullario tom.* 1 *pag.* 276 *constit.* 113, ubi ea de re solide copioseque disputatur.

(3) *Cap.* 1 *de fil. Presbyter.* Quæ autem servare oporteat, ut illegitimi regulare institutum recte suscipiant, explicant Gregorius XIV *constit. Circumspecta* 5 *pag.* 252 *tom.* 5 *par.* 1, et Clemens VIII *constit. In suprema* 268 *pag.* 409 *tom.* 5 *par.* 2 *bullarii*, quæ constitutiones mitigant et relaxant severitatem constitutionum ea de re a Sixto V editarum.

(4) *Cap.* 1 *eod. in* 6.

(5) *Cap. ult. eod., cap.* 1 *eod. in* 6.

§. XIV. Atque hæc quidem venia non latius explicanda, sed certos intra fines cohiberi debet, et ideo cui data copia est suscipiendorum ordinum, non ei data etiam videtur copia obtinendi beneficii, nec cui permissum est unum beneficium, licet plura obtinere (1). Decet autem hujus veniæ cupidum cuncta nar-

iare ac patefacere summo Pontifici, et potissimum significare oportet, num beneficium, quod illegitimus petit, situm sit in eadem ecclesia, in qua pater ejus ministrat vel ministravit; difficilius enim in hac ecclesia illegitimo beneficium permittitur; cum sacri canones, ut omnis a beneficiis imago hereditariæ successionis arceatur, et nulla sit reliqua memoria conjugii, beneficio potiri illegitimos vetent, aut aliquod obire munus in ecclesia, in qua eorum pater dignitatem aut beneficium obtinuit (2). Imo nec filius presbyteri legitimus, scilicet ex justo conjugio susceptus ante ordinationem, sine venia sedis Apostolicæ proxime succedere potest in beneficio patris, nisi media persona intercesserit, in quam illud post patrem collatum fuerit (3).

(1) *Cit. cap.* 1 *et cap.* 2 *de fil. Presb.* Vide *Rebuf in Prax. benefic. par.* 1 *tit. De disp. super defect. nat. n.* 47 *et seq.*

(2) *Cap.* 15 *et* 16 *de fil. Presb.;* Conc. Trid. *sess.* 25 *cap.* 15 *de ref.;* Clem. VII *const. ad canon.* 57 *t.* 4 *p.* 1 *pag.* 92 *bullar.*

(3) *Cap.* 7, 11 *et* 17 *de fil. Presb.* At filius presbyteri illegitimus, ne media quidem intercedente persona, ac numquam omnino consequi potest beneficium, quod ejus pater obtinuit, uti declaravit Clem. VII *cit. Const. Ad canonum.*

§. XV. Ob notam et suspicionem, quam præbuerunt, incontinentiæ (1), ab ordinibus arcentur bigami, qui scilicet plures nuptias contraxerunt. Triplex autem est bigamia : vera, interpretativa et similitudinaria. Vera bigamia est, quam modo descripsimus, nempe duplex conjugium; interpretativa, in qua non re, sed interpretatione quadam duplex matrimonium consideratur, veluti si quis ducat uxorem alio marito viduatam (2), aut ab alio corruptam, antequam suo se immisceret conjugi (3); similitudinaria est, cum quis solemni castitatis voto devinctus uxorem accipit, cumque ea liberis dat operam (4).

(1) Caput hoc irregularitatis, ex nota incontinentiæ repetunt græci patres, quibus et latinorum quidam assentiuntur. S. Joan. Chrys. *Hom.* 2 *in ep. ad Titum opp. tom.* 11 *p.* 758, *ed. Paris.* 1754 explicans illa apostoli verba, *oportere episcopum esse unius uxoris virum*, habet hæc: « Eademque opera impudicos castigat, non sinens eos post secundas nuptias ad ecclesiæ regimen assumi. » Eadem dicit S. Hieron. *in eamdem ep. ad Titum cap.* 1 *col.* 696 *opp. tom.* 7 *ed. Veronæ* 1737. Confer etiam Tertullian. *Ad uxor. lib.* 1 *cap.* 7 *p.* 165, *edit. Venet.* 1744. Esse autem ab ordinibus, tamquam bigamum, repellendum eum etiam, qui ante baptismum uxorem unam accepit, alteram post baptismum, docent Innoc. I *ep.* 17 *ad Macedon. episc. cap.* 2, apud Constantium *col.* 851, Leo M. *epist.* 6 *ad Anastas. Thessalon. cap.* 3 *opp. tom.* 1 *col.* 621, *edit. Venet. Ballerin.*, Ambros. *de Offic. ministr. lib.* 1 *cap.* 50 *opp. tom.* 3 *pag.* 78 *ed. Venet.* 1748, licet alia Hieronymi fuerit aliorumque sententia.

(2) *Can.* 39 dist. 50. (3). *Can.* 2 dist. 33 *can.* 11 *et* 12 *dist.* 34 *cap.* 1. *De bigam. non ordin.* (4). *Cap. ult. eod.*

§. XVI. Verum hoc irregularitatis genus vulgo repetimus a conjunctione Christi cum ecclesia, quam significare non potest bigami matrimonium (1). Propterea bigamus non habetur, qui alienam viduam, sed non compressam a viro accepit uxorem (2), nec qui plures fœminas in incestum, aut in stuprum illexit (3).

(1) Primus hanc irregularitatem ad effectum significationis sacramenti retulisse videtur S. Aug. *de Bon. conjug. cap.* 18 *opp. tom.* 6 *col.* 331 *ed. Maurin. Ven.* 1731, ac S. Leo *ep.* 12 *c.* 3 *opp. tom.* 1 *col.* 660 *edit. Ven. Ballerin.* Eadem sententia est Innoc. III *in cap.* 5 *de Bigam. non ordin.*, et ceterorum Pontificum in decretalibus et ideo nunc hujusmodi irregularitas ex hac ratione repetitur.

(2) *Cap.* 5 *de bigam. non ord.* (3) *Cap.* 6 *ib. can.* 7 *dis.* 34.

§. XVII. Irregularitates quædam perpetuæ sunt, quædam temporariæ, et hæ quidem statim desinunt sublata causa unde procedunt. Ita qui caret idonea scientia, ætate, libertate, cum liber est factus, cum ætatem et scientiam adeptus est, recte ordinibus initiatur. Perpetuæ irregularitates, quas induxit Jus eccl.,

tolluntur venia sedis Apostolicæ; verum in homicidio voluntario venia dari non solet, neque ei locus est, cum quis animi, aut corporis vitio non est aptus omnino ad suscipiendos ordines, atque ad obeunda munera, quæ eorum propria sunt. In occultis criminibus solvit lege etiam episcopus, excepto homicidio voluntario (1).

(1) Conc. Trident. *sess.* 24 *cap.* 6 *de reform.*

TITULUS VIII.

Quibus modis Potestas Jurisdictionis et ecclesiastica Beneficia amittantur.

I et II. Potestas jurisdictionis et ecclesiastica beneficia vel pœnæ causa, vel voluntate nostra amittuntur.

§. I.

Amittunt sæpe clerici ecclesiastica beneficia et amittunt jurisdictionem, quam acceperunt. Ordinis potestas semper in iis fixa hæret, uti hæret in animo character, qui semel impressus deleri non potest; licet interdum aliquis hujus potestatis usu prohibeatur. Verum potestas jurisdictionis, quæ tota pendet ex imperio in subditos, plane tollitur et exstinguitur, cum quis non amplius habet subditos, in quos illam exerceat.

§. II. Simili modo etiam ecclesiastica beneficia amittuntur. Cum enim ea consistant in jure percipiendi fructus bonorum ecclesiasticorum, in officio, in ho-

noris gradu, in jurisdictione, facile intelligitur hæc omnia tolli posse; iis vero sublatis, beneficia amittantur necesse est. Duobus autem modis beneficia et potestatem jurisdictionis amittimus; voluntate nostra, hoc est per renuntiationem, translationem, permutationem; atque extra voluntatem nostram ac pœnæ causa, scilicet per depositionem aut degrationem.

SECTIO I.

De Renuntiatione.

III. Duplex renuntiatio; qualis tacita?
IV. Qualis expressa est?
V. Auctoritas superioris, ut renuntiatio valeat.
VI. Justæ renuntiationis causæ.
VII. Discrimen inter renuntiationem loco tantum, ac renuntiationem loco et dignitati.
VIII. Beneficia coram quo dimittantur?
IX. Renuntiatio pura ac sub conditione.
X. Quæ in renuntiationibus observanda?
XI. Renuntiatio fit etiam per procuratorem.

§. III.

Renuntiatio, quæ et resignatio dicitur, definiri potest, ecclesiastici magistratus et beneficii, ex auctoritate superioris sponte ac legitime facta abdicatio. Ea vel tacita, vel expressa est. Tacita oritur ex facto ipso, atque a jure indicitur cum beneficiatus uxorem ducit (1), cum regularis instituti professionem emittit (2), cum beneficium consequitur, quod priori repugnat, sive, ut inquiunt, *incompatibile* est (3). Tunc enim vacant beneficia, quæ simul cum nuptiis, cum regulari instituto, cum altero incompatibili beneficio stare non possunt.

(1) *Cap.* 1 *et* 3 *de Cleric. conjug.* (2) *Cap.* 4 *de Reg. in* 6.
(3) *Cap.* 28 *de præben.*

§. IV Expressa est, quæ fit verbis dimittendi animum declarantibus, sive ea ore sint prolata, sive comprehensa litteris conceptis forma, quæ a jure præscribitur. De his expressis renuntiationibus agendum nobis est, quæ olim non probatæ sacris canonibus, in more esse cœperunt, potissimum Alexandro III Pontifice, justis allatis causis (1).

(1) *Cap.* 20 *de Renunt.*

§. V. Magistratibus et beneficiis se abdicare cuivis licet, etiam Pontificatu Maximo, uti Cœlestinus declaravit suo exemplo et constitutione, quam probavit Bonif. VIII (1). Sed tamen vires non habet renuntiatio, neque quis abdicatione sua beneficium amittit, nisi se abdicet auctore eo, a quo illud obtinuit, excepto summo Pontifice, qui supra se ex hominibus habet neminem. Hinc episcopi recte haud renuntiant, nisi renuntiatio sedi Apost. probata fuerit (2), ac nisi justas habeant renuntiandi causas.

(1) *Cap. de Renunt. in* 6.
(2) *Cap.* 2 §. *sicut de Translat. cap.* 1, *et tot. tit. de renunt.*

§. VI. Causæ sunt imbecillitas corporis, ob quam episcopus munera episcopalia exercere non potest; imperitia, ut regere nequeat ecclesiam; conscientia criminis, propter quod etiam post actam pœnitentiam munere carere debet; personæ irregularitas; pervicacia plebis, quæ cogi ad parendum nequeat; gravis offensio sive scandalum, quod nonnisi dimissa ecclesia removeri potest (1).

(1) Omnes has causas enumerat atque explicat diligenter Innoc. III *in cap.* 10 *de renunt.*, unde illa tracta sunt carmina :

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis,
Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit.

§. VII. Episcopus interdum loco tantum renuntiat, interdum loco et dignitati. Qui loco tantum renuntiavit, honorem retinet et dignitatem episcopalem, licet jurisdictionem exercere non possit, quoniam nullos amplius habet subditos; sed rogatus ab alio episcopo recte exequitur in ejus diœcesi, quæ sunt ordinis episcopalis. Qui loco simul et dignitate se abdicavit, quamquam retineat ordinis characterem. qui deleri non potest, nihil tamen agere potest eorum, quæ ejus ordinis propria sunt (1).

(1) *Cap.* 1 *de Ordinat. ab episc. qui renunt.*

§. VIII. Prælati episcopo inferiores, qui sacrum habent imperium et sedi Apostolicæ immediate subjiciuntur, opus habent venia summi Pont., qui eis copiam renuntiandi faciat (1). Dignitates, canonicatus, parochiæ et cetera beneficia, quorum collatio ad episcopum pertinet, coram eo dimittuntur. Curandum tamen est, ut intra unum mensem renuntiatio rata habeatur et simul ab episcopo beneficii collatio fiat; nam nisi eo temporis spatio totum illud negotium expediatur, ad summum Pont. jus conferendi transfertur (2).

(1) *Cap. ult. de Renunt.* (2) Gregorius XIII *Const. Humano vix judicio* 155 §. 7 *et* 8 *pag.* 42 *tom.* 4 *par.* 4 *bullar.*

§. IX. Beneficio renuntiamus aut pure ac sine ulla reservatione, aut sub conditione, hoc est cum nobis, aut aliis certam ex beneficio pensionem quovis anno servamus. Hujusmodi renuntiationes his obstrictæ legibus et conditionibus fieri nequeunt coram episcopo, sed Pontificiam auctoritatem postulant (1).

(1) S. Pius V *Const. Quanta* 80 *tom.* 4 *par.* 3 *pag.* 10 *bullarii* ubi late statuitur, quæ ab episcopis resignationes admitti debeant, et episcopi ipsi resignata beneficia aut suis, aut resi-

gnantium consanguineis, vel affinibus conferre prohibentur. De his resignationibus, quæ reservata pensione fiunt, est etiam in primis observatu digna constitutio *In sublimis* 30 Bened. XIV *pag.* 43 *tom.* 1 *ejus bull. ed. Romæ* 1754 edita adversus resignationes, quæ fiunt reservata pensione, et arcano pacto eam extinguendi per certam vim pecuniæ, quæ resignanti persolvitur. Hæ autem reservationes extinctionesque pensionum irritæ declarantur; præterea statuitur, ne intra sex menses a capta beneficii possessione pensiones deleri possint.

§. X. Multa vero in his renuntiationibus quæ alterius commodo emittuntur, observanda sunt, ut eæ vim atque exitum obtineant. Præcipua sunt, ut qui beneficium resignavit, non decedat infra viginti dies post actam renuntiationem (1); ut si beneficium sit juris patronatus, patronus assentiatur; ut beneficium non sit litigiosum, quia tunc tantum in alterum litigantem conferri potest, neque item sit conjunctum, vel unitum, etiam antequam unio exitum consequatur (2); denique ut beneficiorum episcopatu inferiorum resignatio publicetur intra certum tempus certisque in ecclesiis, cum populus magno numero ad eas confluit, secundum formam, quæ a Gregor. XIII constituta est (3).

(1) Regul. XIX. Cancell. quæ *de viginti* inscribitur.
(2) Conc. Trid. *sess.* 24 *cap.* 5, *et sess.* 25 *cap.* 18 *de reform.*
(3) Greg. XIII Const. *Humano vix judicio* 155 *tom.* 4 *par.* 4 *pag.* 41 *bullar.* Quam constitutionem confirmavit atque ad omnes avertendas fraudes explicavit Bened. XIV *in Constit. Ecclesiastica* 10 *pag.* 37 *tom.* 2 *ejus bullar.*

§. XI. Renuntiamus tam per nosmetipsos, quam per procuratorem, sive clericum, sive laicum, sive unum, sive plures; modo litteris consignetur peculiare mandatum, quo facultas resignandi et beneficii demonstratio contineatur (1). Facta et probata renuntiatione, frustra renuntiantem pœnitet eorum, quæ gessit (2);

cum omne amiserit jus in beneficio, quo se abdicavit et quod non nisi nova electione, aut collatione recuperare potest (3).

(1) *Clem. un. de Ren.* (2) *Cap.* 3 *de Ren.* (3) *Cap.* 2 *eod.*

SECTIO II.

De Translatione.

XII. Translationis definitio.
XIII. Translationes sine justa causa vetitæ.
XIV. Episcoporum translationes sine auctoritate S. Pont. fieri nequeunt.
XV. Justæ translationis causæ.

§. XII.

Translatio est modus alter, quo voluntate nostra beneficium amittimus. Definitur ecclesiastici magistratus de una in aliam ecclesiam facta mutatio.

§. XIII. Episcoporum translationes, quasi spirituale adulterium, improbant antiqui canones (1); sed hoc ita intelligendum est, nisi justa adsit causa (2); et ita statutum fuit in synodo Romana habita ab Joanne IX, in qua vindicata est memoria Formosi Pontificis, qui relicto episcopatu Portuensi Romanum acceperat. Neque enim desunt exempla episcoporum pietate et doctrina præstantium, qui ob utilitatem aut necessitatem ecclesiæ episcopatum mutarunt, et in ipsa Nicæna synodo Eustachius Berææ episcopus ad sedem Antiochenam translatus est (3).

(1) Concil. Nicænum *can.* 15 *col.* 39 *tom.* 2, Antiochenum *can.* 21 *col.* 594 *cit. tom.* 2, Sardicense *can.* 1 *et* 2 *col.* 658 *et seq.*

apud Labb. *tom.* 2 *mox relato edit. Venet.*, et alia permulta concilia, quorum canones ex parte refert Gratianus *in caus.* 7 *q.* 1. Apposite S. Hieron. *ep.* 69 *ad Oceanum num.* 5 *col.* 415 *tom.* 1 *opp., edit. Veron.* 1734: « Et hoc, inquit, in Nicæna synodo a patribus decretum, ne de alia in aliam ecclesiam episcopus transferatur, ne virginis pauperculæ societate contempta, ditioris adulteræ quærat amplexus. »

(2) Conc. Carthag. 4 *can.* 27 *tom.* 2 *col.* 1439 *coll. Labb.*

(3) Vide Pagium *critic. in Baron. ad an.* 324 *num.* 62 *tom.* 4 *pag.* 78, *ed. Lucæ* 1729. Similiter S. Gregor. Nazianz., relicto episcopatu, quem pridem habebat, Theodosio M. Imperatore, ad CP. et alii etiam episcopi ad alias ecclesias translati sunt. Ex quibus intelligitur, episcoporum translationes, quæ justam habebant causam, permissas fuisse.

§. XIV. Episcopi non nisi S. Pontificis auctoritate ad aliam sedem transferuntur (1). Et adeo quidem pendet a Pontificis potestate translatio, ut si quis, eo ignaro, mutet ecclesiam, non novam modo, sed etiam veterem, quam regebat, amittat (2); et si Pontifex episcopum ad majorem ecclesiam transferri permiserit, ad parem aut ad minorem transire non possit (3).

(1) *Cap.* 2 *de Transl. episc.* (2) *Cap.* 3 *eod.* (3) *Cap.* 4 *eod.*

§. XV. Transfertur episcopus vel utilitatis causa, si alterius ecclesiæ regimini utilior habeatur (1); vel necessitatis, si ipse populo in odium acerbissimum venerit, si infestum ejus loci aerem ferre non possit, si præsens ecclesia ab hostibus eversa sit (2). Minorum beneficiorum rectores transfert episcopus, cujus in loco ea sita sunt, factaque translatione vacat beneficium, cum sacri canones aliquem pluribus ecclesiis adscribi vetent, qua de re alius erit agendi locus.

(1) *Can.* 34 *c.* 7 *q.* 1. (2) *Can.* 42 *et* 44 *c.* 7 *q.* 1.

SECTIO III.

De Permutatione.

XVI. Permutationis definitio.
XVII. Quid in permutatione observandum?
XVIII. Quæ beneficia recte permutentur?

§. XVI.

Renuntiationi et translationi affinis est permutatio, quæ definitur mutua beneficiorum dimissio, seu resignatio, ut alter alterius dimittentis beneficium consequatur. Episcopatus sine auctoritate Sum. Pontificis, cetera beneficia sine venia episcopi, cujus in diœcesi sunt, permutari non possunt (1). Qui secus fecit, sententia Judicis beneficium amittit (2).

(1) *Cap.* 5 *de rer. permut., et cap. unic. eod.*
(2) *Cap.* 7 *de rer. permut.*

§. XVII. Episcopi esse debet, antequam permutationem fieri sinat, cognoscere causas, propter quas petitur; videre, ne qua fraus lateat (1), exigere consensum eorum, qui jus habent conferendi, eligendi, præsentandi; curare, ut permutatio publicetur, eaque serventur, quæ Gregoriana constitutione præscribuntur (2).

(1) Confer Bened. XIV *de synod. diœces. lib.* 13 *cap.* 24 *n.* 8 *et seq.*, qui plura habet, quæ ad permutationes beneficiorum pertinent. Quærit autem, num etiam permutationes comprehendantur *cit. Const. Quanta* 80 *S. Pii V*, per quam episcopi resignata beneficia suis, aut resignantium consanguineis et affinibus conferre prohibentur et eas comprehendi negat, modo fraus omnis ab his permutationibus procul absit.
(2) *Cit. Const. Humano vix judicio* Gregorii XIII.

§. XVIII. Dum spirituale cum temporali non permutetur, omnia beneficia permutari possunt (1), etiam curata cum simplicibus; exceptis beneficiis unitis, quæ scilicet cedere debent in incrementum alterius ecclesiæ, reservatis S. Pontifici, cujus consensu opus est, ut eorum permutatio recte expediatur, denique litigiosis (2).

(1) *Cap. de rer. permut.*
(2) Vide Pirhing *lib.* 3 *tit.* 19 §. 4 *per tot.*

SECTIO IV.

De Depositione et Degradatione.

XIX. Quid degradatio sit?
XX. Simplex depositio differt a degradatione.
XXI. Degradatio verbalis et realis.
XXII. Quibus præsentibus degradatio fiat?
XXIII. Quæ sint crimina, quæ locum degradationi faciunt?

§. XIX.

Pœnæ causa ecclesiastica beneficia et potestatem jurisdictionis amittimus per depositionem et degradationem. Exemplo militaris exauctorationis, quæ, detracto cingulo, quod erat insigne militiæ, absolvebatur, etiam ecclesia suorum militum, hoc est clericorum, exauctorationem induxit, quam degradationem vocamus, et in qua clerico a summo ad infimum singulorum ordinum insignia detrahuntur (1). Nullum olim inter depositionem atque degradationem discrimen fuisse videtur (2); sed hodie magnum inter utramque discrimen est (3).

(1) Vetus est mos detrahendi insignia, quæ ordinis propria sunt, cum quis deponitur. Adversus Irenæum episcopum Nestorio addictum constitutum est, ut *ornatuque et nomine sacerdotii penitus exutus, privatus in patrio tantum solo vivere* permitteretur, uti scribit Baron. *ad ann.* 448 *num.* 6 *tom.* 7 *pag.* 616 *ed. Lucæ.* Paulum Alexandriæ episcopum per ablationem pallii depositum, narrat Liberatus *in Breviar. cap.* 23 *pag.* 161, *edit. Paris.* 1675. Similia de depositione Ignatii patriarchæ CP. ex Nicetæ testimonio describit Baronius *ad an.* 861 *num.* 7 *p.* 535 *tom.* 14. Qui in conciliis deponebantur episcopi, ut impii, ut scelerati, per clamores probris afficiebantur. Socrates *Hist. eccl. lib.* 1 *cap.* 24 *pag.* 58, *edit. Cantabrig.* 1720. Confer du Cange *Glossar. med. et infim. latinit.*

(2) Hinc theologi et canonistæ complures degradationem cum depositione confundunt; quod quidem secundum veterem ecclesiæ disciplinam dici vere recteque potest, secundum disciplinam recentiorem non potest, uti observat Du Cange *Gloss. med. et infim. latinit. verb. degradatio.* Nunc enim depositio a degradatione distinguitur. Jam vero non una atque eadem erat degradationis ratio. Nam interdum clerici omnino degradabantur, hoc est omnibus privabantur juribus et privilegiis clericorum et prorsus laici habebantur. Interdum ex parte tantum degradabantur, quod pluribus modis fieri solebat. Quidam enim sui ordinis honorem et dignitatem retinebant, sed ejus munera exercere prohibebantur. Quæ pœna a conc. Ancyrano *can.* 1 *et* 2 *col.* 1486. *et seq. tom.* 1 *collect. Labbei* constituta est adversus presbyteros et diaconos, qui in idololatriam lapsi novo certamine confessores evaserant et concilio Nicæno *can.* 8 *col.* 38 *tom.* 2 *ejusd. coll.* adversus episcopos Novatianos, qui ad catholicam communionem redierant, quibus permissus est honor episcopi, sed ipsi tamen ad ordinem presbyterorum redacti sunt: denique a concilio Agathensi *c.* 1 *tom.* 5 *col.* 521. Eamdemque pœnam memorant Socrates *l.* 1 *c.* 9 *p.* 27; Sozomenus *lib.* 1 *cap.* 24 *p.* 42, *edit. Cantabrig.* 1720; Basilius *ep.* 199 *ad Amphiloch. c.* 27 *p.* 294 *opp. tom.* 3 *ed. Paris.* 1730. Quidam ex gradu, quem habebant, ad inferiorem dejiciebantur. Conc. Neocæsareense *can.* 10 *tom.* 1 *col.* 1517 *ibid.* diaconum impudicum ad ordinem subdiaconorum detrudi jussit et concil. Toletanum I *can.* 4 *tom.* 2 *col.* 147 *coll. indic.* subdiaconum, qui defuncta uxore aliam acceperat, ostiarii vel lectoris gradum obtinere voluit. Interdum clericis quædam tantum sui ordinis munera adimebantur, cetera autem relinquebantur, uti patet ex concilio Neocæsarecnsi *can.* 9 *c.* 1517, et Carthag. IV *can.* 68 *col.* 1442

tom. 2 *ib.*, et interdum etiam ultimi inter clericos sui ordinis sedere cogebantur, quæ pœna erat eorum, quos ambitio atque arrogantia rapiebat. Conc. Trullanum *can.* 7 *tom.* 7 *col.* 1550 *ibid.*, Conc. Nicænum II *can.* 5 *tom.* 8 *col.* 1250; atque hanc pœnam etiam inter monachos, in regulis SS. Pachomii et Benedicti obtinuisse, constat *ex regula Pachomii*, *art.* 161 apud Holstenium *col. reg. tom.* 1 *p.* 34 *et Benedicti c.* 43 *p.* 128 *ed. August.* 1759. Clerici ex parte degradati, proprie *regradati* dicebantur et eorum mentio est in conc. Toletano I *can.* 4 *loc. citat.*, Aurelianensi III *can.* 27 *tom.* 5 *col.* 1281., Matisconensi I *can.* 10 *et* 19 *tom.* 6 *col.* 660 *et* 662 *collect. cit.* Regradationis vocabulum sumptum est ex re militari *L.* 2 *cod. Theodos. de curs. public.*, atque erat rejectio militis in inferiorem militiam. Qui omnino degradabantur, ii proprie *degradari*, et *omnino deponi*, et *omnino de proprio gradu dejici*, et *deordinari*, *et ab ordine cleri amoveri*, *et a clero cessare et ad laicam communionem redigi* dicebantur. Conc. Carthag. IV *c.* 48, 49, 50 *tom.* 2 *col.* 1441; Antiochen. *can.* 5 *col.* 587; Ephesin. *can.* 6 *col.* 1527 *tom.* 3; Arelat. I *can.* 13 *col.* 1452 *tom.* 1; Nicænum *can.* 2 *col.* 34 *tom.* 2; Tarracon. *can.* 10 *col.* 699 *tom.* 5 *coll. Labbei.* De clerico, qui ad laicam communionem redigebatur, synodus Agathensis *can.* 50 *tom.* 5 *col.* 529 *laudatæ coll.* habet hæc: *ab officii honore depositus in monasterium detrudatur et ibi quamdiu vixerit*, *laicam tantummodo communionem accipiat.* Erat autem laica communio genus pœnæ, qua plectebantur clerici degradati et qua ipsi in conditionem laicorum redigebantur, quod patet ex conc. Aurelian. III *can.* 7 *et* 8 *tom.* 5 *col.* 1216 *coll. Labb.*, ex Martino Bracarensi *coll. can.* 26 apud Justellum *Biblioth. Jur. Can. tom.* 1 *in append. pag.* 20 *edit. Paris.*, ex Gratiano *can.* 52 *dist.* 60 *et can.* 13 *dist.* 55. Ita sentiunt Petrus de Marca *in dissert. select. Interpr. cap. clericus. q.* 4 *num.* 16 apud Baluzium *ad dialog. Anton. August. de emend. Gratian.*, Du Cange in Glossar. *verb. communio laica*, Rigaltius *in Cyprian. ep.* 52 *p.* 69 *ed. Paris.* 1666, Albaspinæus *observ. lib.* 1 *cap.* 4 *per. tot.*, card. Bona *rer. liturgic. lib.* 2 *cap.* 19 §. 3 *tom.* 3 *pag.* 416 *edit. August. Taurin.* 1752, Graveson *hist. eccl. IV sæcul. colloq.* 6, Bellot. *observ. ad rit. eccles. Laudun. pag.* 639, Fr. de Berlendis *de Oblation. com.* §. 3 *noviss. edit. pag.* 77 *et seq.* Neque vera esse potest opinio Bellarmini *de Euchar. lib.* 4 *cap.* 24 *opp. tom.* 3 *par.* 357 *edit. Ven.* 1721 putantis, laicam communionem fuisse communionem sub una panis specie, cum certum sit, olim laicos sub utraque specie eucharistiam accepisse. Similiter Lindanus *Panopl. l.* 4

cap. 58; Durant. *de rit. eccl. lib.* 2 *cap.* 55 *num.* 6; Vossius *Thes. Theolog. disp.* 23 *tit.* 5; Pithœus *Glossar. ad lib. capit. verb. communio peregrina* apud Baluzium *capitular. reg. Franc. tom.* 2 *pag.* 494 *edit. Venet.* 1773, qui laicam communionem explicant communionem, quam laici extra sanctuarium accipiebant, non satis clare ejus vim naturamque declarant. Erat et id proprium laicæ communionis, ut clerici ad eam redacti extra sanctuarium una cum laicis Eucharistiam acciperent; verum in isto solo nequaquam posita erant omnia. Nam si laicæ communionis vocabulum tantum æstimemus ex loco, quo Eucharistia dabatur, etiam presbyteri ægrotantes, cum ad eos in lecto decumbentes Eucharistia deferebatur, laicam communionem accepisse viderentur. Eamdem hanc pœnam memorant canon 15 apost. apud Cotelerium *PP. Apostol. t.* 1 *pag.* 444 ubi presbyter atque diaconus, qui ab episcopo vocatus ad suam ecclesiam redire noluerit, *tamquam laicus communicare* jubetur et S. Gregorius apud Gratianum *can.* 10 *dist.* 50, ubi agitur de clerico criminoso damnato *ad recipiendam inter laicos communionem.* Hinc aliquem laica etiam communione privare, idem erat ac excommunicare sacrisque interdicere et degradare. Quare S. Athanasius *hist. Arian. ad Monach. cap.* 28 *pag.* 284 *opp. tom.* 1 *par.* 1 *Patavii* 1777, de Leontio primum presbytero, mox et episcopo Antiocheno, homine Ariano inquit: « Leontius ille castratus, qui ne laici quidem nomine ad communionem admittendus erat, quod se ipse castrasset, ut libere cum quadam Enstolia dormiret, revera quidem ejus muliere, virgine autem dicta. » Quemadmodum vero clerici per laicam communionem redigebantur ad conditionem laicorum, ita *per communionem peregrinam* censebantur jure clericorum peregrinorum, qui sine litteris formatis vagabantur et qui suorum ordinum muneribus fungi non poterant. Alebantur hi quidem ecclesiæ sumptibus, uti scriptum est *canone* 26 *apost.* apud Cotelerium *PP. Apost. tom.* 1 *pag.* 446 *laudatæ edit.*, sed neque ad communionem admittebantur, neque ordinum munera exercere poterant, eo fere modo, quo nunc extraneis et ignotis sacerdotibus non permittitur rem divinam conficere, nisi litteras suæ ordinationis ostendant. Quare, ut *laicæ communionis* pœna omnis in eo erat posita, ut clerici non amplius clerici, sed laici haberentur, ita pœna *communionis peregrinæ* in eo consistebat, ut clerici non peregrini eodem, quo clerici peregrini, jure censerentur. Uno verbo *peregrina communio* non plena erat et perfecta dejectio, qualis erat *communio laica*, sed temporaria segregatio clericorum, qui post actam pœnitentiam, quæ privata esse debuit, quia publica

pœnitentia spem nullam restitutionis dabat, gradum suum repetebant. Ita Albaspinæus *obs. l.* 1 *cap.* 3; Sirmondus *in hist. publ. pœnit. cap. ult.*, quorum sententiam refert laudatque Card. Bona *rer. liturg. l.* 2 *c.* 19 §. 6 *pag.* 421 *ed. Taurin.*; Petavius *not. in Synesii ep.* 67 *cap.* 3 *pag.* 78 *ed. Paris.* 1633; de Marca *diss. in cap. clericus ad calcem Baluzii de emend. Gratian. pag.* 369 *ed. Paris.* 1681; Schelstrat. *not. in conc. Antioch. pag.* 397 *can.* 7 *cap.* 12 *art.* 3; Bencinus *in diss.* 1 *de litter. encycl.* §. 20 *num.* 11 *et seq. pag.* 301, 304, 308, quibus etiam assentitur Jos. Binghamus *origin. eccl. lib.* 7 *c.* 3 §. 7 *tom.* 8 *pag.* 17 *ed. Halæ Magdeb.* 1760, ita inquam explicant communionem peregrinam, licet alii minus probabiliter eam alio modo explicandam putent. Nam Binius *not. in. conc. Ilerdense cap.* 757 *tom.* 5 *conc.* Labbei *ed. Venet.*, Bellarm. *loc. cit.* Gratiani Glossator *in can.* 11 *cap.* 13 *q.* 2 inter laicam et peregrinam communionem nullum discrimen fuisse arbitrantur, quod revera maximum erat, cum clerici ad peregrinam communionem redacti, post actam pœnitentiam gradum suum et munera recuperarent, sed clericis in laicam communionem conjectis nulla ordinaria spes esset restitutionis. Idem Gratiani Glossator *loc. cit.* peregrinam communionem intelligi posse existimat communionem, quam homo in exitu vitæ suscipit, *cum recedit, vel peregrinatur de hoc mundo.* Verum vita, non mors, peregrinatio est, et conc. Agathense *can.* 2 *tom.* 5 *col.* 521 *coll. Labb.* diserte statuit, quod hi clerici post actam pœnitentiam *gradum suum dignitatemque suscipiant*, ex quo intelligitur, pœnam hanc fuisse clericorum, quos synodus bene sanos habebat, adeo ut suum gradum et dignitatem recuperare possent. Nullo demum antiquitatis monumento nituntur opiniones Gabrielis Henao *de Sacrif. missæ par.* 3 *disp.* 28 §. 49, qui peregrinam communionem fuisse putat peregrinationes sive perpetuas, sive temporarias, quas clerici criminosi pœnæ causa suscipere cogebantur et Gregorii Cassandri *de commun. sub utraque specie pag.* 1029, atque aliorum qui communionem peregrinam interpretantur oblationem Eucharistiæ, quæ extra statos dies peregrinorum causa fiebat. Memorat hanc pœnam concil. Regense *can.* 3 *tom.* 4 *col.* 534, Agathense *can.* 2 *et* 5 *col.* 522 *tom.* 5 *coll.* Labb., et canon 54 apost. *apud* Cotelerium *PP. Apostol. tom.* 1 *pag.* 446, ac conc. Carthag. I *can.* 7 *tom.* 1 *col.* 686 *coll. Harduini* præsertim explicant, quo jure peregrini vagantes sine episcopi litteris censerentur.

(3) Discrimen hoc agnovit Cœlest. III *in cap.* 10 *de Judic.*

§. XX Simplex depositio clericum perpetuo quidem arcet aut ab exercitio ordinum susceptorum, aut ab officio usuque ecclesiasticæ jurisdictionis, aut a beneficio, aut denique ab ordinis exercitio simul et officio et beneficio, sed non ei fori et canonis privilegium adimit, ideoque ipse, ut antea, subest ecclesiastico imperio, non laico subjicitur. At vero degradatio non tantum clericum perpetuo privat ecclesiastico ministerio, officio, beneficio, sed eum etiam obnoxium facit laicæ potestati, a qua post degradationem judicatur atque in carceres detruditur, ut laicorum more sustineat pœnas, quæ sunt ejus sceleri a jure constitutæ.

§. XXI. Duplicem degradationem distinguit Bonif. VIII. (1), *verbalem*, quæ etiam *depositio* dicitur, et *realem*, sive *actualem*, quæ proprie *degradatio* appellatur. *Verbalis* est ipsa sententia, per quam Judex ecclesiasticus clericum de gradu dimovet et laico foro addicit; *realis* autem est tristis ipse actus, seu funesta cæremonia, qua episcopus clerico, contra quem est lata degradationis sententia, detrahit insignia ordinum singulorum eumque sæculari curiæ puniendum tradit (2), adjunctis tamen precibus, ut quam mitissime tractetur. Tum vero clericus omnia amittit ordinis privilegia, et quamquam ejus retineat potestatem, quæ tolli non potest, eam tamen exercere nequit, amittit item omnia ecclesiastica officia, beneficia, jurisdictionem, et pœna plectitur, quam criminis sociam laicus Judex putat.

(1) *Cap.* 2 *de Pœnis in* 6.

(2) De clerico, qui Curiæ traditur, mentio fit in *L.* 59 *cod. Theod. de episc. et cleric., in L.* 53 §. 1 *eod. tit. cod. Justinian. et in novel.* 123 *cap.* 14. Ex his locis evidens est, clericum Curiæ tradi consuevisse, ut ei adscriberetur, atque ut *in posterum Curiæ ministraret*, ut loquitur Justinianus *in cit. Leg.* 53

§. I, non autem ut puniretur. Eodem modo rem explicat falsa decretalis, quam Fabiano Isidorus adscribit, quæque exstat *in can.* 31 *c.* 11 *q.* 1. Verum antiquitatis ignoratio fecit, ut hæc formula longe aliter intelligeretur, atque apud Canonistas aliquem tradere Curiæ sæculari idem esset ac puniendum dare. Serius tamen inducta est solemnis ille clerici degradati traditio judici sæculari, quæ nunc adhibetur, quæque in eo est posita, ut gravioris criminis reus pœna coerceatur; ac mihi quidem persuasum est, eam antiquiorem non esse Innocentio III, qui eamdem diserte constituit *in cap.* 8 *de crimin. falsi.* Regula erat ecclesiæ, quod clericus, qui ab ecclesiastico judice propter crimen gradu motus fuerat, non aliam deinceps a sæculari magistratu pœnam toleraret, ne duplex irrogaretur pœna, secundum canonem apost. apud Gratianum *can.* 12 *dist.* 81. Quæ regula proposita est in controversiis de ecclesiastica immunitate, quæ ortæ sunt Alex. III Pontifice, quasque sustinuit S. Th. Cantuariensis, uti narrat vetus scriptor apud Baron. *ad. an.* 1164 *num.* 36 *pag.* 232 et Pagium *in not. num.* 2 *pag.* 218 *tom.* 19 *ed. Lucæ.* Eamdemque ipse Alex. III *cap.* 4 *de Judic.* Salernitano episcopo proposuit, *sed non debet quemlibet depositum pro suis excessibus* (*cum suo sit functus officio, nec duplici debeat ipsum contritione conterere*) *judici tradere sæculari.* Nihilo tamen minus Alexandri successor Lucius III, ut graviori pœna persequeretur hæreses, quæ tunc late grassabantur, longe aliud constituit in clericos, qui in hæresim lapsi fuerant *cap.* 9 §. *præsenti de Hæret.* « Si clericus, inquit, est, vel cujuslibet religionis obumbratione fuscatus, totius ecclesiastici ordinis prærogativa nudetur: et sic omni officio et beneficio spoliatus ecclesiastico, sæcularis relinquatur arbitrio potestatis animadversione debita puniendus. » Atque hæc prima, meo quidem judicio, ecclesiastica lex est, qua clericus degradatus arbitrio relinquitur sæcularis magistratus, ut pœna afficiatur; et in hac ipsa Lucii constitutione animadvertendum est, quod clericus *non traditur curiæ,* sed tantum *relinquitur sæcularis arbitrio potestatis.* Qua in re nihil ipsa agit ecclesia, tantum impedimento non est quominus sæcularis magistratus in hunc clericum animadvertere possit. Urbanus III, qui post Lucium pontificatu maximo functus est, *in cap.* 3 *de crimin. falsi* clericos, qui *falsaverant sigillum regis Francorum* ab episcopo plecti voluit pœna, modo per eam neque mors inferretur, neque membrum aliquod amputaretur, jussitque præterea, ut iisdem *degradatis in signum maleficii characterem aliquem imprimi faceret;* verum eos sæculari curiæ puniendos tradi noluit. Clemens III, sive, ut alii putant, Cœlest. III *in cap.* 10 *de Judic.*

clericum in furto, homicidio, perjurio, aliove crimine deprehensum deponi voluit, tum excommunicari, « Si incorrigibilis fuerit, deinde contumacia crescente, anathematis mucrone feriri, » postremo, « Si in profundum, inquit, malorum veniens comtempserit, cum ecclesia non habeat ultra quid faciat, ne possit esse ultra perditio plurimorum, per secularem comprimendus est potestatem. » Ex quibus manifestum est, laicos in clericos criminosos nullam exercere jurisdictionem potuisse, etiam posteaquam hi depositi ab episcopo fuerant; nam si post depositionem adhuc in criminibus versari pergant, primum *excommunicantur*, deinceps *anathematis mucrone feriuntur;* tantum cum *in profundum malorum venerint et ecclesia non habeat ultra quid faciat,* tum demum *per sæcularem potestatem comprimuntur.* Itaque usque ad exitum sæculi XII, qua quidem ætate Pontificatum tenuerunt Alex., Lucius, Urban., Clem., Cœlestinus, nullum exemplum est clerici degradati, qui sæculari magistratui puniendus tradatur. Tantum Lucius clericum in hæresim lapsum *sæcularis potestatis arbitrio relinquit,* sed non eum ecclesia *tradit,* ut pœna afficiatur. Similiter Clemens, seu Cœlestinus clericum criminosum deponi jubet, deinceps excommunicari, et *anathematis mucrone feriri,* postremo eum *comprimi* vult a magistratu sæculari, sed non eam præscribit solemnem traditionem, quæ nunc degradationem sequitur. Primum, uti dixi, monumentum clerici degradati, qui sæculari judici traditur, est in *cap.* 7 *de crimin. fals.* Nam Innoc. III, ut severius animadverteret in clericos, qui falsi crimen commiserant, sancivit, ut ii « Omnibus officiis et beneficiis perpetuo sint privati ita quod qui per se falsitatis vitium exercuerint, postquam per ecclesiasticum judicem fuerint degradati, sæculari potestati tradantur, secundum constitutiones legitimas puniendi. » Constitutionem hanc ipse Innocentius clarius explicavit in *cap.* 27 *de verb. signific.* ut dirimeret controversias, quæ de recta ejus interpretatione ortæ fuerant. Atque ita factum est, ut deinceps clerici propter graviora crimina degradati, sæculari curiæ traderentur, et clericum curiæ tradere idem haberetur, ac dare puniendum sæculari potestati. Quæ nunc nobis eorum vocabulorum significatio est, quamquam olim, uti supra demonstravimus, longe aliud iis verbis intelligeretur. Formam autem, quæ adhibetur in reali degradatione clerici, describit Bonif. VIII *in cit. cap.* 2 *de Pœnis in* 6, et Pontificale Rom. *par.* 3 *tit.* 7 *et seq. pag.* 158 *et seq. ed. Romæ* 1740.

§. XXII. Olim episcopi degradatio postulabat duodecim episcopos, qui præsentes essent, presbyteros sex, diaconos tres (1); sed hodie criminales causæ episcoporum, quæ depositione aut privatione dignæ sunt, ab uno Rom. Pontifice noscendæ finiendæque sunt (2). Reliqui autem clerici de gradu dejiciuntur ab episcopo, ad concilium accitis, episcoporum loco, totidem abbatibus, usum mitræ atque baculi habentibus, sive aliis in ecclesiastica dignitate constitutis, qui et sint ætate graves, et Juris scientia commendentur (3). Minores autem clerici sola episcopi sententia degradantur.

(1) *Can.* 4, 5, 6, 7 *caus.* 15 *q.* 7.
(2) Conc. Trid. *sess.* 24 *c.* 5 *de ref.*
(3) Ib. *sess.* 15 *c.* 4 *de ref.*

§. XXIII. Degradatio gravissimum pœnæ genus est, et ideo non infligitur ex omnibus criminibus, sed tantum ex gravioribus, quorum causa reus sæculari curiæ puniendus traditur. Hujusmodi sunt crimen hæresis et apostasiæ cum pertinacia (1); falsationis litterarum apostolicarum (2); assassinii, ut vocant (3); aversæ veneris plus semel exercitæ (4); sollicitationis ad turpia in sacramentali confessione (5); celebratæ missæ auditæque confessionis sine ordine sacerdotali (6); patrati abortus, (7), falsæ aut vitiatæ monetæ aureæ, vel argenteæ (8); furti sacrilegi Sanctissimæ Eucharistiæ, sive cum sacra pixide, sive sine illa quis sacram Hostiam surripiat et apud se retineat, aut alio transferat (9).

(1) *Cap.* 9 *et* 15 *de Hæret.*, *cap.* 1 *et* 4 *eodem in* 6, Paulus IV. *Const. Cum quorumdam* 5 *tom.* 4 *par.* 1 *pag.* 322, et Clemens VIII *Const. Dominici gregis* 298 *tom.* 5 *par.* 3 *p.* 1 *bull.*, quibus duabus constitutionibus speciatim degradationis pœna plectuntur negantes mysterium Sanctissimæ Trinitatis, vel Chris-

tum Dominum sola Spiritus Sancti opera conceptum, vel ejus mortem, vel semper integram Deiparæ virginitatem.

(2) *Cap.* 7 *de Crimin. falsi, cap.* 27 *de Verb. signific.*

(3) *Cap.* 1 *de Homicid. in* 6.

(4) S. Pius V *Const. Horrendum* 95 *tom.* 4 *par.* 3 *pag.* 55.

(5) Pius IV *Constit. Cum sicut* 37 *tom.* 4 *par.* 2 *pag.* 77; Greg. XV *Const. Universi* 75 *tom.* 5 *par.* 5 *pag.* 54 *bullarii ed. Mainard;* Bened. XIV *Const. Sacramentum* 20 *tom.* 1 *pag.* 50 *ejus bullarii, edit. Romæ.*

(6) Clem. VIII *Const. Etsi alias* 260 *tom.* 5 *par.* 2 *pag.* 395; Urban. VIII *Const. Apostolatus* 259 *tom.* 6 *par.* 1 *p.* 113 *ed. cit.;* Bened. XIV *Const. Sacerdos in æternum* 97 *pag.* 208 *tom.* 1. Cum autem usu fori vigeret opinio damnandi ad triremes, aut ad carcerem perpetuum illos, qui in carceres conjecti statim crimen suum confitebantur, Bened. XIV hoc beneficio frui vetuit illos, qui crimen aperiunt carceribus detenti et coram Judice constituti, ne curiæ sæculari tradantur, uti patet *ex Const. Divinar.* 71 *pag.* 332. *tom.* 4.

(7) Sixtus V *Const. Effrenatam* 134 *t.* 5 *par.* 1 *pag.* 25. Sed cum Sixtus sua hac constitutione, animati et non animati partus abortum eodem jure censeret, Greg. XIV *Const. Sedes Apostolica* 20 *t.* 5 *par.* 1 *p.* 275, Sixtinam illam legem tantum ad abortum partus animati pertinere voluit.

(8) Urbanus VIII *Const. in suprema* 249 *tom.* 6 *par.* 1 *p.* 95, qua constitutione comprehenduntur omnes qui in Italiæ dumtaxat provinciis *aureas, vel argenteas monetas tondere, fabricare, colorare, vel alias adulterare, seu etiam quomodolibet adulteratas scienter erogare, aut exponere præsumpserint.* Atque hanc degradationis pœnam ab Urbano indictam Ben. XIV *Const. Ad curam.* 65 *pag.* 310 *t.* 4 ampliavit ad eos, qui idem falsi crimen admittunt in syngraphis, vulgo *cedole,* sac. Montis Pietatis Urbis, aut mensæ nummariæ S. Spiritus, quique eo in crimine suam dolose operam præstant.

(9) Alex. VIII *Const. Cum alias* 37 *tom.* 9 *p.* 97, qua confirmata est vetustior constitutio Innocentii XI, et utramque postea confirmavit Ben. XIV *Const. Ab Augustissimo* 93 *pag.* 190 *t.* 1. Inter graviora crimina, propter quæ clericus degradationis pœnam pendere debet, quidam recensent etiam contumeliam gravem, vel calumniam adversus episcopum, vel conspirationem in ejus necem. Scriptum id quidem est *in can.* 18 *cap.* 11 *q.* 1 ex sententia S. Pii Pontificis; sed hic canon eductus est ex falsis decre-

talibus Isidori mercatoris. Eo vero excepto canone, cujus nulla certa fides et auctoritas est, alius non exstat Juris Pontificii locus, quo adversus reum hujus criminis degradationis pœna constituatur. Quidam etiam maleficium seu sortilegium, cujus causa mors hominum evenerit, degradationem secum ferre arbitrantur, idque se colligere posse censent *ex Const. Omnipotentis Dei* 101 Gregorii XV *tom.* 5 *par.* 5 *pag.* 97; verum hæc constitutio nullum de clericorum degradatione verbum habet, uti observat Card. Albitius *de Inconstant. in fid. par.* 1 *cap.* 32 *num.* 150. Quidam denique etiam polygamiam degradationis pœna puniendam existimant, cum quis videlicet simulato nomine, viva uxore sua, aliam ducit: quoniam hujus criminis reos sæculari curiæ tradi jussit Urbanus VIII *in Const. Magnum* 557 *tom.* 6 *par.* 2 *pag.* 107. Sed hæc constitutio non pertinet ad clericos, neque ulla degradationis mentio in ea est. Sola igitur crimina specietim expressa degradationis pœna plectuntur; cetera graviora crimina eidem pœnæ subjici possunt, cum eorum rei plane emendari nequeunt, et postquam alias gradatim sustinuerunt pœnas, per quas moniti resipiscere et aliud sequi vitæ institutum possent; quæ communis est sententia omnium, qui hanc materiam scriptis illustrarunt.

TITULUS IX.

De Monachis et Regularibus.

I. Ascetæ a monachis diversi.
II et III. Monachorum origo.
IV. Monachi Orient. et Occidentales.
V et VI. Quæ initio, quæ tractu temporis fuerit monachorum regula?
VII. Canonici regulares, Dominicani, Fransciscani.
VIII. Reliqui ordines regulares deinceps instituti.
IX. Monachi initio laici erant.
X. Privilegia et jura regularium.
XI et XII. Eorum regula.
XIII. Professio regulæ tacita, vel expressa.
XIV. Vis professionis.
XV. Quemadmodum adversus irritam professionem reclamare liceat.
XVI. Renuntiationes ante professionem faciendæ.
XVII et XVIII. Moniales et earum clausura.
XIX et XX. Monialium regimen episcopo commissum.
XXI. Virgines sacræ monialibus antiquiores.
XXII et XXIII. Viduæ ecclesiasticæ et diaconissæ.

§. I.

Hactenus de clericis, quos *sæculares* dicimus, nunc agemus de regularibus, qui nimirum solemnibus emissis votis, regulare institutum amplexi sunt. Fuere semper inter christianos, qui durius quoddam et asperius vitæ genus sequerentur vacantes jejunio, precibus et meditationi rerum divinarum. Hi ab hac exercitatione *ascetæ* (1) dicti sunt; quos semper habuit ecclesia, et qui cum monachis confundi non debent.

(1) Ascetæ nomen tractum est a græco verbo ασκησις, quod *exercitationem* significat. Quisquis durioribus abstinentiæ ac virtutis regulis sese exercebat, asceta dicebatur. Quare asceta erat, qui a carnibus et vino abstinebat, ut corpus vexaret. Origenes *contr. Cels. lib.* 5 *num.* 39 *opp. tom.* 1 *pag.* 615 *edit. Paris.* 1733; canon apost. 43 apud Cotelerium *PP. Apostol.*

tom. 1 *pag.* 449 *ed. Amst.* 1724; qui in divino cultu atque in assiduis precibus tempus impendebat, et hinc Cyrillus Hierosolym. *catech.* 10 *num.* 19 *pag.* 146 *ed. Paris.* 1720, Annam Prophetissam ασκητριαν *ascetriam* vocat; qui duriorem agebat vitam, voluntariam amplexus paupertatem, et caduca despiciens, et hinc Hier. *de vir. illustr. cap.* 76 *opp. tom.* 2 *col.* 902 *ed. Veronæ* 1734, Pierium *ascetam et appetitorem paupertatis* dicit; et Athanasius, si vere est auctor *synopseos scripturæ num.* 77 *t.* 2 *opp. pag.* 156 *ed. Patav.* 1777, Lucianum martyrem μεγαλον ασκητην, *magnum ascetam* appellat propter duritiem, cui sese in carcere adsuefecerat. Quidam ex his ascetis duos, tresve dies jejunii agebant nihil prorsus cibi sumentes, et horum exempla sunt præsertim in Irenæo apud Euseb. *lib.* 6 *cap.* 24 *pag.* 256 *edit. Cantabrig.* 1720, Dionysio Alex. *ep. ad Basilidem episc.* apud Bevereg. *Pand. can. tom.* 2 *pag.* 5 *Oxonii* 1672, et Epiphanio *adv. hæres. in exposit. fid. num.* 22 *tom.* 1 *opp. pag.* 1104 *ed. Paris.* 1622. Memorant etiam ascetas apostolicæ constitutiones *lib.* 8 *cap.* 15 *pag.* 409 apud Cotelerium *PP. Apostol. tom.* 1, atque iis ad sacram mensam accedentibus locum tribuunt statim post lectores et cantores; «Post hæc, inquit, sumat et communicet episcopus; deinde presbyteri, diaconi, subdiaconi, lectores, cantores et ascetæ.» Erat autem hoc vitæ institutum proprium et marum et fœminarum; illi *ascetæ*, hæ vero *ascetriæ* dicebantur, illudque omnium ordinum hominibus libere permittebatur. Non igitur cum scriptores, qui tribus prioribus ecclesiæ sæculis floruerunt, Ascetas memorant, intelligendi sunt monachi, qui serius institui cœperunt, sed intelligendi sunt omnium ordinum homines, qui in ipsis civitatibus atque in media hominum societate austeram illam vitæ rationem iniverant, quod recte observarunt Valesius *not. in Euseb. de Martyr. Palæstin. cap.* 11 *pag.* 432 *ed. Cantabrig.* 1720; Cotelerius *not. in Const. apost. loc. cit. pag.* 408; Pagius *crit. in Baron. an.* 318 *num.* 24 *et seq. tom.* 3 *pag.* 645 *edit. Lucæ* 1738; Holstenius *præfat. ad regul. vet. monach. cap.* 1; Papebrochius *com. in acta Pachomii, maii* 14 *tom.* 3 *act. Sanct. p.* 295.

§. II. Serius instituti sunt monachi, et prima eorum initia referenda ad ætatem Decii imperatoris (1). Nam ea tempestate multi hominum, ut declinarent impetus eorum, quos ethnica superstitio in rem christianam agebat, receperunt se in montes atque in vicinas solitudines, ut ibi tutum haberent perfugium

a vexationibus, et liberius pietati considerationique, et contemplationi rerum divinarum dare operam possent. Genus hoc vitæ quibusdam eorum adeo jucundum fuit ut, etiam pace ecclesiæ reddita, mallent in desertis vivere, quam redire ad civitates, unde discesserant.

(1) Vide Thom. *vet. et nov. eccl. disc. par.* I *lib.* 3 *c.* 12, ac vide etiam Baron. *ad. an.* 328 *tom.* 4 *pag.* 209 *edit. Lucæ*, Pagium, Papebroch., Holsten. *loc. cit.*

§. III. Ex eorum numero fuere Paulus et Antonius, quorum alter ab Hier. anachoretarum vitæ *auctor*, alter *illustrator* dicitur (1). Nullæ tamen coaluerant societates hominum, qui suam ad certas regulas vitam conformarent, et nullum conditum erat Cœnobium (2), sed pauci tantum et singulares homines, huc illuc in desertis Ægypti dispersi, vitam traducebant, donec, pacata et tranquilla ecclesia, Pachomius quædam in Ægypti Thebaide monasteria ædificanda curavit (3). Ita monachi (4) eo sunt adducti, ut communem certisque obstrictam regulis vitam agerent, quod antea non fecerant.

(1) Hier. *ep.* 22 *ad Eustoch. cap.* 36 *tom.* 1 *col.* 119.

(2) *Cœnobium* a *Laura* differt. Nam *Cœnobium* est unum domicilium, quod plures comprehendit in societate viventes, et omnia habentes communia; at vero *Lauræ* nomine intelligimus solitudinem, in qua plures sunt divisæ omnes ac discretæ cellæ, in quibus singuli separatim vivunt. Lauram memorant Evagrius *lib.* 1 *cap.* 21 *pag.* 276 *ed. Valesii Cantabr.*, et Epiph. *hæres.* 69 *lib.* 2 *n.* 1 *pag.* 727 *tom.* 1 *opp. ed. Paris.* 1622.

(3) Illustre est testimonium auctoris vitæ S. Pachomii apud Henschenium et Papebrochium *die* 14 *maii tom.* 3; nam ita S. Antonius Sacchæum S. Pachomii discipulum alloquitur : « Quo ego tempore monachum cœpi agere, nullum uspiam exstabat cœnobium . . . postea pater vester *Pachomius* tantum bonum, Deo adjuvante, effecit. »

(4) Monachi ita sunt appellati, quia solitariam vitam agebant; nam vocabulum tractum est ex græco verbo μονος, quod latine

solum significat. Hinc illud Hier. *ep.* 58 *ad Paulin. cap.* 5 *t.* 1 *col.* 320 « Sin autem cupis esse, quod diceris monachus, id est, solus; quid facis in urbibus, quæ utique non sunt solorum habitacula, sed multorum? » Qui societatem hominum fugientes privatis in cellulis vitam traducebant *Anachoretæ*, qui in cœnobio, *Cœnobitæ* dicti sunt. Alia multa sunt monachorum nomina, de quibus omnibus singillatim dicere longum est ac non necessarium.

§. IV. Pachomii exemplum aliæ in Oriente regiones imitatæ sunt (1); ac denique sanctus Basilius monasticum institutum perfecit deditque regulas, quibus deinceps omnes fere orientales monachi paruerunt (2). In Occidentem instituta detulit monachorum sanctus Athanasius, qui cum Romam venisset, Romanis proposuit sancti Antonii vitam, ut eam sequerentur (3). Multa deinceps in Occidente condita sunt monasteria (4), sed denique sexto sæculo S. Benedictus primum Sublaci, quod est Æquorum oppidum in Latio, deinde in Monte Cassino monasteria posuit et certam constituit regulam, quam postea cuncti fere occidentales monachi sequuti sunt (5).

(1) Hilarion Antonii discipulus primus fuit monachus, qui in Syria vixerit, nec ante eum ullum in Palœstina monasterium fuit, ut scribit Hieron. *in vit. Hilar. cap.* 14 *col.* 19 *opp. t.* 2, *ed. Veronæ* 1735. *Apud Armenios et Paphlagonas, et accolas Ponti, Eustathius, Sebasteæ in Armenia episcopus, monasticæ conversationis auctor fuisse dicitur,* inquit Sozom. *lib.* 3 *cap.* 14 *pag.* 115, *edit. Cantabr.* 1720. Consule Holstenium *præfat. in Cod. regular. cap.* 2 *tom.* 1 *pag.* 9, *ed. Aug. Vindel.* 1759.

(2) Basilius non novum aliquem ordinem instituisse videtur, sed potius suis legibus perfecisse atque ordinasse, quos jam institutos invenit. Sed cum ipse præcipuus monastici instituti propagator fuerit, ejusque regulæ fere ubique probatæ in Oriente fuerint, vulgo habetur Orientalium monachorum pater, uti Occidentalium S. Benedictus. Non desunt tamen, qui *asceticos* libros *de virginitate et monastica vita,* non Basilio, sed Eustathio, Sebasteæ in Armenia episcopo, tribuendos putant.

(3) Marcellam nobilem mulierem primam Romæ monasticam vitam amplexam fuisse atque institutam ab Athanasio, qui Ro-

mam venerat, ut Arianorum insidias declinaret; ex viris autem primum Romæ monachum fuisse Pammachium senatorem, narrat Hieron. *ep.* 66 *col.* 393 *et ep.* 117 *col.* 947 *tom.* 1. Vide Baron. *ad an.* 340 *n.* 7 *t.* 4 *pag.* 342, *edit. Lucæ* 1739, quem perperam reprehendit Muratorius *Antichità Italiane diss.* 65, qui primum Mediolani monasterium a S. Martino Turonensi institutum putat, antequam ullum Romæ conderetur. Verum quidem est quod de monasterio a Martino Mediolani condito dicitur, idque diserte testatur Severus Sulp. *de vit. B. Martini num.* 6 *pag.* 113 *tom.* 1 *opp., edit. Veronæ* 1741 et August. etiam *Confess. lib.* 8 *cap.* 6 *opp. tom.* 1 *col.* 150. *ed. Venet.* 1792 memorat *monasterium Mediolani plenum bonis fratribus, extra urbis mœnia sub Ambrosio nutritore.* At Martinus suum illud monasterium constituit, posteaquam deseruerat militiam, qua functus fuerat sub Juliano apostata, qui imperator creatus est anno 361. Verum ante hoc tempus monasteria Romæ institui cœperunt, scilicet posteaquam ad eam urbem accessit Athanasius, quod evenit anno 340. Si verum esset, quod affirmat Ferd. Ughellius *Ital. sacr. tom.* 4 *col.* 40, *ed. Ven.* 1719 *ante an.* 313 a Mirocle Mediolan. antistite monasterium conditum fuisse, nullum foret in tota Italia antiquius monasterium. Ambros. *ep.* 63 *ad Vercell. eccl. num.* 66 *opp. tom.* 6 *pag.* 213, *edit. Maur. Venet.* 1781, Eusebio Vercellensi episcopo eam laudem attribuit, quod « Primus in Occidentis partibus diversa inter se conjunxit, ut et in civitate positus instituta monachorum teneret et ecclesiam regeret jejunii sobrietate. Verum Ambrosius nullum ab Eusebio monasterium institutum memorat, tantum dicit eum, fretum exemplis Eliæ, Elisæi ac Baptistæ in suis clericis monasticam vitam cum clericali conjunctam voluisse. Martinus, qui illud Mediolani monasterium instituerat, posteaquam Turonensis episcopus creatus est, non procul a civitate sibi monasterium constituit, uti narrat Severus Sulp. *in ejus vit. pag.* 17 *tom.* 1 *edit. indic.*, ejusque opera ita brevi propagatum est monachorum institutum, ut ad ejus funus fere duo millia illorum convenisse scribat ipse Sulpitius *ep. ad Bassulam. cit. tom. pag.* 56.

(4) Multa hæc monasteria in Galliis, in insula Capraria, Mediolani, atque alibi memorant S. August. *Conf. lib.* 8 *cap.* 6 *col.* 150 *et de Morib. eccl. cap.* 31 *et seq. col.* 710 *tom.* 1 *opp. edit. Venet.* 1729; S. Ambr. *epist.* 5 *num.* 19 *col.* 800 *opp. t.* 3 *edit. Maur. Ven.* 1751; Cassianus *de instit. cœnob. lib.* 2 *c.* 2 *pag.* 13 *edit. Francof.* 1722; Orosius *hist. lib.* 7 *cap.* 36 *pag.* 564 *ed. Lugd. Batav.* 1738; Sever. Sulpitius *in vit. S. Martini loc. citat.* Romæ ætate sancti Hieron., ut ipse

inquit *ep.* 127 *n.* 8 *col.* 956 *opp. tom.* 1 *ed. Venet.* 1766, *crebra* erant *virginum monasteria, monachorum innumerabilis multitudo.* In Africa nullum ante Augustini episcopatum monasterium fuisse ostendit Christianus Lupus *in not. ad Tertull. de Præscr. cap.* 2 *pag.* 29 *tom.* 9 *ed. Ven.* 1728. De monasteriis, quæ ante S. Benedictum in Occidente erant, late disputat Mabillonius *Annal. Bened. lib.* 1 *tom.* 1 *num.* 9 *pag.* 5 *et* 6 *ed. Lucæ an.* 1739.

(5) Vide *Annal. Bened.* a Jo. Mabillonio conscriptos. Quatuor autem S. Benedictus *regul. monach. c.* 1 apud Holstenium *cod. regular. tom.* 1 *pag.* 115 *ed. Aug. Vind. an.* 1759 distinguit monachorum genera, *cœnobitas, anachoretas, sarabaitas et gyrovagos.* Duo hæc posteriora genera, tamquam ecclesiæ dedecus et opprobrium, vehementer improbat, ac de *sarabaitis* eadem prorsus dicit, quæ S. Hier. *ep.* 22 *ad Eustoch. cap.* 34 *tom.* 1 *opp. col.* 116 et Cassianus *collat.* 18 *cap.* 7 *pag.* 521 *edit. Francof.* 1722; his vero omissis sese *ad cœnobitarum fortissimum genus* accedere declarat.

§. V. Præcipua monastici instituti ratio erat, ut monachi, rerum omnium tractatione et cogitatione relicta, animum ad divina intenderent, atque ut procul a populi tumultu viventes (1) præpositis obedirent (2), sibique manuum labore victum quærerent (3) et corpus castigarent (4). Habebant tamen singula monasteria propriam ac peculiarem regulam; quædam scriptis legibus utebantur; quibusdam regulæ loco erat vivendi ratio, probata majorum consuetudine ac traditione; quibusdam autem abbatis voluntas, quæ explicabatur, uti sese dabat occasio (5). Sed quoniam omnium regularum unum erat propositum, ut scilicet monachi, procul a cura et sollicitudine rerum humanarum, divinis vacarent, idcirco rectorum arbitrio nova etiam in uno monasterio regula interdum recipiebatur, et interdum plures in uno eodemque cœnobio obtinebant regulæ, aut additis, aut demptis, quæ temporum ac locorum ratio postulare videbatur (6).

(1) S. Hier. *epist.* 125 *ad Rustic. cap.* 8 *t.* 1 *opp. col.* 931 reprehendit monachos, qui in civitate vivere cupiebant. « Quid

desideramus, inquit, urbium frequentiam, qui de singularitate censemur? Antonium dicere solitum tradit Sozom. *l.* 1 *cap.* 13 *p.* 28 *ed. Valesii Cantabr.* 1720, Pisces quidem aqua nutriri, monachis vero ornamento esse solitudinem, et quemadmodum illi, simul atque terram attigerint, vitam amittunt, sic istos, cum ad urbem accedunt, monasticam gravitatem perdere. » Agitur etiam ea de re *in leg.* 1 *cod. Theod. de monachis, L.* 29 *cod. Justin. de episc. et cleric., et in novell.* 113 *c.* 42.

(2) *Prima apud eos,* inquit Hier. *ep.* 22 *ad Eustoch. c.* 35 *tom.* 1 *opp. col.* 117, *confœderatio est, obedire majoribus, et quidquid jusserint, facere.* Quare monachi, qui hæc præfectorum jussa despexissent, Eucharistia, sacrisque omnibus interdicebantur, ac censuris aliisque ecclesiasticis pœnis plectebantur. Cassianus, *de instit. Cœnob. lib.* 2 *cap.* 16 *p.* 27, *lib.* 4 *c.* 16 *et* 20 *p.* 58 *et* 62. *et collat.* 2 *c.* 5 *p.* 240 *ed. Francof.* 1722; Socrates *lib.* 4 *cap.* 23 *p.* 238 *cit. ed. Valesii.*

(3) Laborem hunc manuum, in quo sese monachi exercebant, tum ut sibi victum compararent, tum ut aliis opem ferrent, tum denique ut omne otium procul haberent, memorant Cassianus *instit. lib.* 10 *cap.* 23 *p.* 169; Hier. *ep.* 125 *ad Rustic. cap.* 11 *tom.* 1 *opp. col.* 933 *et ep.* 22 *ad Eustoch. loc. cit.;* Epiphanius *hæres.* 80 *num.* 6 *p.* 1072 *opp. tom.* 1 *ed. Paris.* 1622; Sozom. *lib.* 6 *cap.* 28 *pag.* 257; Aug. *de Morib. eccles. cap.* 31 *col.* 710 *opp. tom.* 1.

(4) Hinc Hier. *adv. Vigilantium cap.* 16 *col.* 401 *opp. t.* 2 monachi institutum *vitam plangentis* appellat, *et Præfat. in regul. Pachomii col.* 53 *cit. t.* 2 insulam Canopum, ubi Tabennenses monachi vitam agebant, vocat insulam *metanœæ,* hoc est insulam pœnitentiæ.

(5) Testatur Cassian. *de instit. cœnob. lib.* 2 *cap.* 2 *pag.* 13 quod *tot propemodum typi ac regulæ* erant *quot cellæ ac monasteria.*

(6) Mabil. *in Præf. ad Annal. Bened. n.* 18 *t.* 1 *p.* 34.

§. VI. In tanto hoc regularum discrimine magna tamen erat inter omnes monachos consensio animorum, una societas, unumque corpus, nulla prorsus vestium diversitate discretum (1). Quare facilis ac promiscuus erat ex uno in aliud monasterium transitus, non modo latinorum inter se, sed etiam latinos inter et græcos, quibus satis erat in novo monasterio stabilem firmamque moram constituere. Verum sanctus

Benedictus monachos suos obstrictos perpetuo voluit regula, quam semel essent amplexi, atque ita sublatum est rectorum arbitrium, et monachis adempta libertas, quam pridem habebant mutandi regulam et monasterium (2).

(1) « Verum illo ævo, inquit Mabillon. *l. citat. num.* 19, cum unus esset monasticus ordo, necdum in varias classes divisus; illa regularem diversitas, quæ uniformes censebantur, nullam inducebat ordinum diversitatem : uti nec modo diversæ in eamdem regulam constitutiones, quas variæ unius ejusdemque ordinis congregationes sibi præscribunt, unitati ordinis haud officiunt. »

(2) S. Bened. *regul. cap.* 58 *tom.* 1 *pag.* 131 *ed. cit.* Vide Jo. Mabillon. *cit. num.* 19 *et num.* 28 *pag.* 38, ubi adversus Lucam Holsten. demonstrat, S. Benedictum non tantum dedisse regulam Cassinensi Cœnobio, sed etiam ordini universo; et vide etiam eumdem Mabillon. *Acta Sanct. ord. S. Bened. præfat. ad sæc. 4 par.* 1 *tom.* 5 *num.* 52 *et seq. pag.* 17 *et seq.*

§. VII. Sæculo XI instituti fuerunt canonici regulares, quorum multa sunt nomina, sed celeberrimi sunt, qui in Lateranensi basilica ab Alexandro II recepti, Lateranensium nomen acceperunt. Ex canonicis regularibus processit S. Dominicus, qui ordinem instituit prædicatorum ad eliminandas hæreses Albigensium, publicisque concionibus pravos hominum mores corripiendos, quem ordinem probavit Innoc. III, et Honorius item III confirmavit. Eadem tempestate suum etiam creavit ordinem cum lege summæ paupertatis, exemplo Christi atque Apostolorum, S. Franciscus Assisiensis, et eum etiam idem Honorius approbavit.

§. VIII. Annis autem consequentibus alii instituti sunt ordines regulares, ut certa charitatis officia præstarent, atque ut clericis opem ferrent in iis, quæ clericalis muneris propria sunt. Nec prætereundi ordines equestres et militares, qui præsertim a cruciatis,

atque expeditionibus in Saracenos ortum habuerunt, et quos inter celeberrimi sunt equites Hierosolymitani, qui Rhodo pulsi nunc habent Melitam, acceptam a Carolo V, et in quos potissimum Anastasius IV multa contulit privilegia.

§. IX Monachi olim ordinibus initiati non erant (1), et ideo si quis eorum gravioris criminis reus esset, plectebatur pœna excommunicationis, non suspensionis aut degradationis, quæ ad clericos pertinebant (2). Sed interdum eorum aliquis episcopi beneficio inter clericos referebatur, præsertim ut in sacello monasterii rem divinam conficeret (3). Denique propter utilitatem ecclesiæ receptum est, ut monachi sacris initientur ordinibus (4); et ideo nunc passim monachi clerici sunt, exceptis illis, qui famulatui ac vilibus ministeriis reservantur, quos vulgo *laicos* appellamus.

(1) *Alia*, inquit S. Hieron. *ep.* 14 *cap.* 8 *tom.* 1, *monachorum est causa*, *alia clericorum*. Idem habent S. Leo M. *ep.* 94 *cap.* 6 *par.* 2 *opp. pag.* 361, *edit. Romæ* 1755, Conc. Chalced. IV, *can.* 2 *et* 4 apud Labb. *tom.* 4 *col.* 1682 *et seq. ed. Venet.*, et Trullanum *can.* 24 *col.* 1358 *tom.* 7 *ejusd. coll.* ubi monachi a clericis distinguuntur. Verum eos non meros laicos fuisse, constat ex *can.* 3 *Chalced.* ubi monachi æque ac clerici, sæcularia negotia exercere prohibentur.

(2) Conc. Chalced. *loc. cit. can.* 2. « Si quis, inquit, sequester, et intercessor adeo turpibus et nefariis lucris apparuit, hic quoque, si sit quidem clericus, proprio gradu excidat : si sit autem laicus, vel monachus, anathematizetur. »

(3) Monachos clericos memorant Cassianus *collat.* 3 *cap.* 1 *pag.* 254, *collat.* 4 *cap.* 1 *pag.* 267; Sozom. *lib.* 2 *cap. c.* 23 *pag.* 74; Liberatus *Breviar. cap.* 11 *pag.* 61, *edit. Garnerii Paris.* 1675; S. Athan. *ep. ad Dragont. cap.* 7 *et* 8 *tom.* 1 *p.* 1 *pag.* 110, *ed. Patavii* 1777; S. August. *ep.* 60 *col.* 148 *tom.* 2 *ed. Maur. Venet.* 1729; S. Epiph. *expos. fid. num.* 21 *tom.* 1 *pag.* 1104, *ed. Patavii Paris.* 1622; Zosimus *in Decret. cap.* apud Pithœum *cod. canon. eccles. Rom. pag.* 214 *Paris.* 1687; conc. Agathense *can.* 27 *col.* 526 *tom.* 5, et Ilerdense *can.* 5 *col.* 751 *tom.* 5 apud Labbeum. Præsertim cum monasterium ita aberat ab episcopali aut parochiali ecclesia, ut monachi ad

illam commode accedere non possent, unus aut alter eorum ordinabatur presbyter, qui divina perageret in sacello monasterii; et sæpe episcopi vocatos ex eo monachos in ecclesiæ ministerium ordinabant, et huc spectat *L.* 32 *cod. Theod. de episc. et cleric.;* quam in legem consule notas Jac. Gothofredi *cod. Theod. lib.* 13 *tit.* 2 *tom.* 6 *par.* 1 *pag.* 76, *ed. Lipsiæ* 1743. Quin etiam exempla monachorum, qui ad episcopatum delati sunt, habet Athan. *loc. cit.*, Severius Sulp. *in vit. S. Martini num.* 10 *tom.* 1 *pag.* 17, *edit. Veron.* 1741, et Jo. Moschus *cap.* 124 *pag.* 893 apud Rosweydum *vit. PP. Antv.* 1615. Ita Basilius *ep.* 218 *ad Amphilochium pag.* 331 *opp. tom.* 3 *ed. Paris.* 1730 meminit Alex. Corydalis in Lycia, qui ex monacho episcopus factus est; uti etiam Severus ex monacho episcopus evasit, sicuti narrat Marcellinus *in Chronico indic. VI Clement. et Prob. coss. p.* 529 *tom.* 6 *Biblioth. PP. ed. Lugd.*

(4) Quod *ad ampliationem divini cultus* perpetua lege constituit Clemens V *in Clem.* 1 *de Stat. monach.*

§. X. Regulares omnes, quatenus clerici sunt, habent ea, quæ sunt clericis communia, propterea fruuntur clericalibus privilegiis, iis præsertim, quæ *fori et canonis* nuncupantur. Quatenus vero sunt regulares, habent ea quæ sunt regularium propria. Eorum quædam peculiaria sunt, et propria cujusvis ordinis, quædam communia universis.

§. XI. Propria sunt ordinum singulorum privilegia, quæ in illos præsertim Romani Pontifices contulerunt. Est etiam cujusvis ordinis proprium institutum et regula, quam semel rite susceptam quilibet servare ac retinere debet (1). Communia autem non pauca sunt.

(1) Primus S. Benedictus mutandæ regulæ licentiam coercuit, adempta monachis libertate deserendi institutum quod semel susceperant; atque eum vel primum, vel inter primos fuisse, qui professionis formam modumque præscripsit, inquit Mabillon. *cit. præfat.* 1 *in par. sæc.* 4 *Bened. num.* 53 *pag.* 18.

§. XII. Primum est, ut præter peculiarem regulam, quam profitentur, castitatem (1) etiam, obedientiam (2) et paupertatem servare debeant omnes

regulares (3), iisque sese voto obstringere (4); alterum, ut quisque profiteatur ordinem ab Apostolica sede approbatum (5); tertium ut domus quæque regularium suos ministros habeat et præfectos, omnesque uni capiti, tamquam summo moderatori, subjiciantur; quartum, ut quælibet regularium familia propriam habeat ecclesiam, seu sacellum, ubi non solum illi preces Deo fundant, sed etiam privilegio sedis Apostolicæ liturgiam celebrare, et plura sacra facere possint, quæ propria sunt ecclesiarum cathedralium et parochialium; quintum, ut regulares omnes sint exempti ab episcopi potestate, et sedi Apostolicæ subjecti (6), quod intelligendum secundum mentem conc. Tridentini, et recentiores constitutiones Pontificum Romanorum (7). Ac præsertim episcopi jurisdictio sese exserit in regulares animarum curam exercentes, qui in iis, quæ ad hanc curam et sacramentorum administrationem pertinent, illius jurisdictioni, visitationi et correctioni immediate subsunt (8).

(1) Castitatis votum non tantum in co positum est, ut regulares domitas habeant libidines, quod christianis omnibus commune est, verum etiam ut se a nuptiis abstineant. Agam ea de re copiose in Libro II.

(2) Tria potissimum in monachorum obedientia desiderat S. Bened. *regul. cap.* 5 apud Holsten. *cod. regul. tom.* 1 *pag.* 118, scilicet ut monachi parcant suis præpositis *sine mora, non tepide et cum bono animo.*

(3) Paupertatis, quam profitentur, causa nihil proprium habere possunt regulares et si quid tale aliquis habuerit, invito vel inscio præposito, fracti voti reus utriusque suffragii jure biennio privabitur et aliis etiam pro criminis gravitate pœnis mulctabitur, moriens autem, nisi res omnes numerato dimiserit, sepelietur extra commune cœmeterium *cap. 4 de Stat. monach. conc. Trid. sess.* 25 *c. de regul.* Atque huc spectat regula, quod quidquid acquirit monachus ad monasterium pertinet.

(4) *Cap. 16 de regular.*

(5) *Cap. un. de vot. in* 6 *et cap. ultim. de relig. dom.*

(6) Exemptionis ab episcopi jurisdictione, quam regularibus

summi Pontifices concesserunt, exempla sunt apud S. Greg. M., aliosque antiquissimos SS. Pontifices, illaque sæpe, ipsis rogantibus principibus, attributa fuit; quæ omnia accurate describunt Thomass. *vet. et nov. eccles. disc. par.* 1 *lib.* 3 *c.* 30 *et seq.*, Bianchius *dell' esterior polizia della Chiesa lib.* 2 *cap.* 2 §. 5 *tom.* 4 *pag.* 360 *et seq.* Multa etiam habes hujusmodi exceptionum monumenta apud Duchesne *hist. Franc. tom.* 1 *p.* 662; Ughellium *Ital. sac. tom.* 4 *col.* 995; *ed. Ven. an.* 1719; Mabillon *Annal. Bened. tom.* 1 *lib.* 13 *num.* 3 *pag.* 345 *et in App.* 2 *ejusd. tom. num.* 17 *et* 18 *pag.* 633 *et* 634, *ed. Lucæ* 1739 *et Acta SS. Bened. in vit. S. Bertulfi. num.* 7 *tom.* 2 *pag.* 151, *edit. Venet.* 1733 *et de re diplom. lib.* 1 *cap.* 3 *num.* 12. Præcipuas vero, easque justissimas exemptionum concedendarum causas enumerat Pet. Blesensis *ep.* 68 *ad Alex. III pag.* 105 *edit. Paris.* 1667. *Scimus*, inquit, *quod ob quietem monasteriorum et episcoporum tyrannidem has exemptiones plerumque RR. Pontifices indulserunt.* Earumdem querelarum contra episcopos, qui regulares vexabant, unde harum exemptionum origines repetit ipse Espenius *par.* 3 *tit.* 12 *cap.* 2, mentio est in conc. Toletan. IV *can.* 51 *tom.* 6 *conc. coll.* Labbei *col.* 1463, et in conc. Tolet. IX *cap.* 2 *tom.* 7 *col.* 466 *ed. Venet.* Sed ea de re sermo redibit II Libro, cum de monasteriis agemus. Graviter autem et copiose, præter eos, quos supra descripsi, de regularium exemptione disputant Mamachius *contra auctor. opusc. Quid est Papa? ep.* 3 §. 14 *tom.* 1 *pag.* 272 *et seq.*, et Zaccaria *in Anti-Febr. par.* 2 *lib.* 5 *cap.* 1 *n.* 5 *et seq., et in Anti-Febron. vindic. dissert.* 10 *cap.* 4.

(7) *Tit.* 2 *sect.* 1 §. 13 *et seq.* omnem explicavimus delegatam jurisdictionem, quam episc. in regulares habet.

(8) Conc. Trid. *sess.* 25 *cap.* 11 *de regul.*, Gregor. XIV *Const. Inscrutabili* 50 §. 4 *tom.* 5 *pag.* 1 *bullar.* Qua Tridentina lege capellanos etiam religionis Hierosol. curam animarum exercentes obstrictos declaravit S. Pius V *Const.* 104 *et* 187 *pag.* 49 *et* 180 *par.* 3 *tom.* 4 *bullar. edit. citat.*, et Gregor. XIII *Constit.* 125 *eodem loc. p.* 456, itemque parochos regulares Indiarum orientalium et occidentalium, Bened. XIV *Const. Quamvis* 1 *tom.* 2 *ejus bullar. pag.* 1. Vide etiam Const. *Firmandis* ejusd. Bened. XIV *in ejus bullar. tom.* 1 *pag.* 265, in qua describitur quidquid præstari potest ab episcopo visitationem obeunte in ecclesiis regularium, quibus animarum cura conjuncta est.

§. XIII. Professio regulæ facit aliquem regularem (1). Ea vel tacita, vel expressa est; tacita, quæ ex perspi-

cuis certisque actibus educitur (2); expressa, quæ fit palam ac publice coram regularis familiæ moderatore, recitata formula professionis, adhibitis etiam aliis solemnitatibus, secundum receptos ordinis cujusque ritus. Ut professio vim habeat, fieri debet post sextum decimum (3), et post exactum probationis annum (4), eumque integrum atque perpetuum, gestato habitu, actaque vita toto illo temporis cursu intra claustra designati monasterii, in quo tyrones instituendi sunt (5); debet esse libera, non extorta vi metuque gravi (6), facta ab homine, qui suæ voluntatis habeat arbitrium, non a servo, invito domino (7), non ab episcopo, ignaro S. Pontifice (8); non a viro qui sospitem habet uxorem, ea dissentiente (9), denique regularis instituti nomine accipienda est ab eo, cui jus est accipere ratamque habere professionem (10).

(1) Diu viguit disciplina, quam memorant Hieron. *ep.* 107 *ad Lætam. num.* 3 *et* 6 *col.* 674 *et* 678 *tom.* 1 et Salvianus *adv. avarit. lib.* 1 §. 4 *pag.* 231, *ed. Pedeponti* 1745, ut parentes infantes filios non modo clericatui offerrent, uti demonstratum supra est, sed etiam monasterio; pro qua disciplina acerrime pugnarunt Petr. Damian. *Opusc.* 16, et Rabanus Maurus singulari libello, quem composuit adv. quosdam, qui eidem disciplinæ resistebant : idque argumentum late persequitur Gratian. *caus.* 20 *q.* 1. Atque hi quidem pueri a parentibus monasterio oblati, cum puberes evaserant, discedere non poterant ab eo vitæ instituto, cui semel addicti fuerant. Hinc illud Tolet. concilii, quod etiam memorat Clem. III *in c.* 12 *de regul. monachum aut paterna devotio, aut professio facit,* et conc. Wormatiense an. 868 *can.* 22 apud Labb. *tom.* 10 *col.* 459 *edit. Venet.*, « Si pater, inquit, vel mater filium filiamque intra septa monasterii in infantiæ annis sub regulari tradiderint disciplina, non liceat eis, postquam ad pubertatis pervenerint annos, egredi et matrimonio copulari. » *Et can.* 23 » Monachum ergo, ait, aut paterna devotio, aut propria professio facit. Quidquid horum fuerit, alligatum tenebit, proinde huic ad mundum reverti intercludimus aditum, et omnes ad sæculum interdicimus regressus. » Solemnis formula ejus oblationis ex S. Benedicti regula *cap* 59 apud Holstenium *cod.*

cit. regul. tom. 1 *pag.* 132 *edit. August. Vind.* 1759 erat, ut manus pueri oblati in altaris palla involveretur, quæ erat mappa altari superimposita, idque testimonium erat oblationis, qua sic involutus puer Dei obsequio addicebatur. Gratian. *can.* 4 *c.* 20 *q.* 2. Lambertum quemdam oblatum memorat, qui tum propter non servatam solemnem hanc formulam oblationis, tum propter alias causas votis solutus declaratus fuit; et S. Bern. *ep.* 1 *n.* 8 *tom.* 1 *ed. Venet.* 1765, Robertum consanguineum suum ob neglectos solemnes illos ritus, oblatione parentum obstrictum negat. Rothardus *in reg. S. Bened. delect. actor. col.* 318 *tom.* 2 *edit. Lugd.* 1706 describit formulam, iu qua Pater dicebat : *Volo tradere filium meum Deo omnipotenti ad serviendum sibi in hoc monasterio :* tum Abbas præsentibus ajebat: *Auditis, fratres, et videtis qui iste dicat;* hi respondebant : *Audimus et videmus.* Abbas benedictionem dabat oblato, qui ita cooptatus censebatur in ordinem monachorum, in quo deinceps vitam omnem traducere debebat. Confer Rabanum Maurum *in eamd. regul. cap.* 59 *t.* 6 *pag.* 321 *ed. Colon. Agrip.* 1626 et confer etiam Mabillon. *Analect. pag.* 155; ubi variæ describuntur formulæ oblationis puerorum. Neque solum filios jam natos vovebant parentes, sed eos etiam, qui nondum nati in matris utero latebant, cujus rei multa collegit exempla Baluzius *in not. ad Salvian. adv. avarit. lib.* 2 *pag.* 428 *edit. Pedeponti* 1745. Confer Mabillon. *in præf. ad sæcul. VI Bened. n.* 56 *p.* 148 *et tom.* 2 *Analect. pag.* 530; Muratorium *antiq. Ital. medii ævi, diss.* 65 *col.* 380 *et seq. tom.* 5; Calmetum *in reg. S. Bened.* 59; Haeftenum *disq. monast. p.* 2 *lib.* 4 *tr.* 2 *disq.* 5. Hæc de filiis monasterio offerendis disciplina viguit usque ad ætatem Cœlestini III P., qui eam moderatius temperavit, dicta lege, ut puer monasterio oblatus, cum *ad annos discretionis pervenerit, et habitum retinere noluerit monachalem, si ad hoc induci nequiverit, non est ullatenus compellendus,* uti sancitum est *cap.* 14 *de regular.*, *et* consentit Innoc. III *lib.* 15 *epist.* 116 *ad episc. Lugd. pag.* 644 *tom.* 2 *edit. Baluzii Paris.* 1682. Licet autem Cœlestinus huic disciplinæ modum imposuerit, non eam tamen sustulit aut abrogavit; quinimo nunc etiam, nisi obstent et impediant peculiares leges, quibus regularia instituta reguntur, aut recentiores Pont. constitutiones, quæ iis tantum, qui certam ætatem nacti sunt, in monasterio pernoctare sinunt, secundum jus decretalium vetitum non est offerre filios impuberes monasticæ vitæ instituto, integro semper jure, quod de ætate ac tempore tyronicii, et professionis a synodo Trid. constitutum est. Quæ oblatio efficit primum, ut filius impubes a religione recipi possit; deinde ut pater in ipsum

patria potestate amplius uti nequeat, ut eum ad sæcularem vitam revocet: denique ut etiamsi filio impuberi ante annos pubertatis monasterii claustra deserere non liceat, (quod tamen ipse facere potest, cum ad eam pervenit ætatem, in qua plenum habet suæ voluntatis arbitrium) potest tamen religio proprio jure uti, ut eum dimittat etiam ante annos pubertatis, nisi forte se onere obstrinxerit eum retinendi, donec pubes evadat. Confer Bened. XIV in litteris datis ad Petr. Hier. Guglielmum, quæ exstant in ejus Bullar. *Const.* 54 *tom.* 3 *pag.* 239 *ed. an.* 1754, et confer etiam Petri Magagnotti dissertationem *de antiquo ritu offerendi Deo pueros adhuc impuberes, præsertim sub regula S. Benedicti* apud Fleuryum *disc. populi Dei, tom.* 5 *diss.* 48 *pag.* 239 *edit. Venet.* 1782.

(2) *Cap.* 23 *de regul., cap.* 1 *eod. in* 6. Tacitæ professionis exemplum est in eo, qui per quinquennium tacuit, cum irritam emisisset expressam professionem, vel quia vi metuque coactus, vel quia nondum justam ætatem attigerat. In ceteris tacita professio tantum obtinet in iis ordinibus, in quibus in habitu professorum et non professorum nullum discrimen est.

(3) S. Basil. *regul. fus. tract. cap.* 15 *pag.* 337 *tom.* 2 *Paris.* 1722; S. Ambr. *de Virgin. c.* 7 *num.* 39 *col.* 275 *tom.* 3 *edit. Venet.* 1751, et Alex. III *in cap.* 8 *de regul.* ætatem postulant perfectæ et absolutæ rationis. Capitula Theodori Cantuariensis apud Harduinum *t.* 3 *conc. c.* 1778 *cap.* 118 in maribus an. 15, in fœminis 13 aut 17, constituunt; ipse Basilius *ep. ad Amphiloc. can.* 18 *pag.* 292 *tom.* 3 annum memorat 16 aut 17; denique conc. Trid. *sess.* 25 *cap.* 15 *de regul.* annum 16 exactum definivit. Vide Pallavic. *hist. conc. Trid. lib.* 24 *c.* 6. Verum Trid. Patres cum ætatem constituerunt annorum sexdecim, minime improbarunt peculiares quorumdam ordinum constitutiones, quibus major ætas requiritur, quod et Sac. Congr. concilii declarasse, testatur Fagn. *in cap. Nullus de regul. n.* 15.

(4) Monasterium ingressi apud Orientales, in eo per triennium manere debebant, antequam professionem emitterent, quod testatur Justinianus *Novell.* 5 *cap.* 2, idque a S. Pachomio institutum fuisse scribit Palladius *in Lausiac. cap.* 38 *pag.* 736 *cit. edit. Antv.* Idem jus in Occidente interdum obtinuisse constat ex *can. un. dist.* 53, *et can.* 3 *cap.* 17 *q.* 2, puta si non satis explorati essent mores ejus, qui professionem emittere debebat. Interdum vero requirebatur biennium, uti patet ex *can.* 6 *c.* 19 *q.* 3. At S. Bened. regula annum præfinivit, quod probavit synodus Trid. *loc. cit.*

(5) Clemens VIII *Constit. Nullus omnino* 242 *tom.* 3 *par.* 2

pag. 340; Urbanus VIII *Const. Sac. Congregatio* 77 *tom.* 5 *p.* 5 *pag.* 271, *et Const. Religiosis* 363 *tom.* 6 *p.* 1 *pag.* 271. Confer Pirhing *jus canon. lib.* 3 *tit.* 31 *sect.* 2 §. 3.

(6) *Cap.* 1 *De his quæ vi metusve.* Et synodus Trid. *sess.* 25 *cap.* 18 *de regul.* anathemati subjicit omnes, qui invitam mulierem cogunt. « Præterquam in casibus in jure expressis, ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscumque religionis, vel ad emittendam professionem. » quique in eo facinore opem, concilium, auctoritatem, consensum præbent.

(7) Conc. Chalced. *can.* 4 *col.* 1685 *t.* 4 *conc. coll.* Labbei. *can. Si quis c.* 17 *q.* 2.

(8) *Cap.* 18 *de regul., cap.* 10 *de renunc.*

(9) *Cap.* 12 *de Convers. conjugat.* Confer S. Basil. *regul. fus. tract. cap.* 12 *opp. tom.* 2 *pag.* 354 *edit. Paris.* 1722; S. Hier. *epist.* 122 *ad Rusticum cap.* 4 *opp. tom.* 1; S. Aug. *ep.* 127 *ad Armentar., et Paulin. col.* 373, *et ep.* 262 *ad Ecdiciam cap.* 1 *et* 2 *col.* 889 *opp. tom.* 2. Hinc S. Paulinus *epist. ad Celantiam cap.* 28 *in app. opp. cap.* 741 *edit. Veronæ.* 1736 vehementer improbat mulieres, quæ viros sine ipsorum consensu deseruerant. Conjugum vero, qui mutuo consensu voverunt castitatem, exempla sunt apud Socratem *hist. lib.* 4 *cap.* 23 *pag.* 236 *edit. Valesii Cantabr.* 1720; Heribertum Rosweydum *vit. PP. lib.* 1 *cap.* 9 *pag.* 158, *lib.* 6 *num.* 3 *pag.* 652 *et lib.* 10 *cap.* 108 *pag.* 888 *Ant.* 1615; Victorem Uticen. *de persec. Afric. lib.* 1 *pag.* 678 *tom.* 8 *Biblioth. PP. ed. Lugd.*

(10) *Cap.* 16 *de regul.*

§. XIV. Cum hæc omnia servata sunt, prohibetur quis in posterum deserere institutum, quod semel amplexus est, nisi aut arctius amplectatur (1), aut a summo Pontifice veniam obtineat (2). Præterea nihil amplius acquirere sibi potest, et amittit beneficia, si quæ habet; dirimitur matrimonium ratum, non consummatum; tollitur patria potestas (3), et vis exstinguitur simplicium votorum, quæ ante professionem emissa sunt (4).

(1) *Cap.* 18 *de regul., extrav.* 1 *eod. tit. Int. communes.* Ita S. Bernardus *ep.* 382 *num.* 3 *opp. tom.* 1 *pag.* 148 Thomam de S. Audomaro a Benedictinis ad Claravallenses transire volentem

non esse prohibendum docet, quod *votum parentum* (qui filium in monasterio obtulerant) *integrum manet et oblatio eorum non est exinanita, sed cumulata.* Quid autem servari debeat, ut quis arctiorem regulam rite ac recte suscipiat, explicat Schmalzgrueb. *Jus eccl. univ. lib.* 3 *par.* 4 *tit.* 31 §. 8 *n.* 225 *et* 226. Nunc ut ea res exitum habeat celeriorem, regularibus, qui in arctiorem religionem conferre se cupiunt, « Postquam voluntatis suæ causas, ut inquit Giraldus *expos. Jur. Pont. par.* 2 *sect.* 50 *pag.* 865 *tom.* 3, coram competentibus Apostolicæ sedis tribunalibus exposuerint atque probaverint, haud ægre a Romano Pontifice indulgentur opportunæ facultates in quibus derogatio super consensu Superioris ordinis laxioris includitur.

(2) Summum Pont. regularibus tribuere posse facultatem deserendi institutum suum, ac redeundi ad hominum communem vitam, sive, ut inquiunt, *ad sæculum,* inter omnes constat. Sunt tamen e Theologorum familia, qui, auctore præsertim S. Thoma 2. 2 *q.* 88 *art.* 11, negant, eum solvere regularem posse solemnibus votis, quæ emisit; sed contra hos disputant Schmalzgrueb. *loc. cit.* §. 7 *n.* 211 et Pirhing *jus canon. lib.* 3 *tit.* 31 *sect.* 3 §. 8 *num.* 144.

(3) *Auth. ingressi C. de Sacros. Eccles., Auth. presbyteros C. de episc., et cleric.*

(4) *Cap.* 4 *de vot. et vot. redempt.*

§. XV. Quod si aliquid prætermissum est eorum, quæ servare oportebat, irrita est professio, et qui eam emisit, reclamare intra quinquennium potest (1), elapso quinquennio non potest, nisi ex justa causa fuerit a Pontifice restitutus (2). Nemo autem audietur, qui regularem habitum dimisit, nisi primum cum denuo susceperit ac redierit ad monasterium, unde discesserat (3). Nam qui habitum et monasterium sua sponte deseruit, tamquam apostata habetur et punitur pœnis quibus puniuntur apostatæ (4), quales sunt illi, qui prorsus retinendæ religionis animum abjecerunt.

(1) Conc. Trid. *sess.* 25 *cap.* 19 *de regul.*

(2) Vide *Const. Si datam* 47. Bened. XIV *pag.* 256 *t.* 2 *ejus Bull.,* ubi etiam accurate præscribitur judicii ratio, quam servare oportet, cum quæritur de nullitate professionis.

(3) Conc. Trid. *loc. cit., et cit. Const.* 47. Bened. XIV.

(4) Apostatarum pœnas diligenter enumerat Lucius Ferraris *Biblioth. verb. apostata num.* 50 *et seq.*

§. XVI. Et quoniam regulares, antequam vota suscipiant, suis sese bonis abdicare solent, eaque in alios conferre, idcirco constitutæ sunt certæ leges, ut eorum renuntiationes recte expediantur. Nimirum corum obligationes ac renuntiationes non valent, nisi emittantur cum venia episcopi, aut ejus vicarii generalis intra duos menses proximos ante professionem, et tantum post eamdem editam vim atque exitum habent, ita ut nullius momenti sint, nisi professio absolvatur.

(1) Concil. Trident. *sess.* 25 *cap.* 16 *de regul.*

§. XVII. Monachorum instar sunt moniales, seu sanctimoniales, fœminæ scilicet, quæ solemnibus votis emissis (1) sese Deo consecrarunt; et quæ certa obstrictæ regula vitam ducunt in monasterio, sub regimine episcopi et interdum etiam regularium. Eadem tempestate, qua monachorum, etiam monialium cœnobia instituta sunt (2). Præcipua earum est clausuræ lex; qua moniales egredi prohibentur e septis monasterii, nisi cogat exire vis major, quæ superat legum potestatem, ut magnum incendium, vel morbus lepræ aut epidemiæ; qui morbus, præter superiorem cui monialis subest, etiam episcopo cognitus scriptoque probatus esse debet (3).

(1) De solemnibus hisce votis, quorum originem aliqui a S. Ambrosio repetunt, adeundus est Orsius *Istoria eccles. lib.* 17 *num.* 82 *pag.* 528 *seq. tom.* 7 *ed. Rom.* 1752.

(2) Vide Thomass. *pag.* 1 *lib.* 3 *cap.* 44 *et seq.;* Muratorium *diss.* 66 *pag.* 106 *tom.* 5 *part.* 2 *ed. Romæ;* Ballerin. *in Zenon. diss.* 3 *cap.* 1 *pag.* 127 *tom.* 1 *edit. Aug.* 1758.

(3) *Cap.* 1 *de Stat. regul. in* 6, S. Pius V *constitut. Circa pastoralis* 15 *pag.* 292 *tom.* 4 *par.* 2 *et Constit. Decori* 159 *pag.* 96 *tom.* 4 *par.* 3 *bullarii.* Cum autem S. Pius V tres hasce

causas expresserit *magnum incendium, lepram, epidemiam* hoc est morbum contagiosum, quo ceteræ moniales infici possunt, quæsitum est ab interpretibus Juris canonici, num alia etiam possit esse causa, propter quam monialibus exeundi e monasterio facultas concedatur. Late ea de re disputat Bened. XIV *de synod. diœc. lib.* 13 *c.* 12 *n.* 26 *et seq.*, ubi ostendit, alias etiam ob causas cum venia sedis Apostolicæ moniales exire posse e septis monasterii, puta si qua earum gravi correpta morbo suasu medicorum locum mutare debeat, ut convalescat. Quod autem de incendio dicitur, id etiam pertinet ad aquarum inundationem, hostium impetum, monasterii ruinam, et similia, quæ subitam fugam postulant, *cum ab omni lege extrema necessitas sit exempta*, ut inquit Pontifex *in cap.* 3 §. *profecto de verb. signific. in* 6.

§. XVIII. Ceteris vero eadem ingredi claustra vetitum est, sine venia episcopi et regularis superioris, si cui subest monasterium (1); atque hæc venia concedenda est ex justis et necessariis causis, puta propter commune servitium, aut valetudinem, aut salutem animarum (2). Quæ salus ut bene considerata atque provisa sit, præter communem et ordinarium confessarium, debent moniales bis aut ter in anno extraordinarium obtinere, cui liberius intimos animi sensus patefaciant (3).

(1) Conc. Trid. *sess.* 25 *cap.* 5 *de regul.* licentiam postulat episcopi vel superioris, et ideo quæsitum est, num ingressuro monasterium regularibus subjectum satis sit venia regularis superioris. Sed tum ejus, tum episcopi veniam desiderari, ut quis hujusmodi monasteria ingrediatur, nisi diuturna consuetudo unius episcopi veniam postulet, plus semel responsum est a S. Congr. concilii, uti patet ex *lib.* 14 *decr. pag.* 300 *lib.* 15 *pag.* 14 *et* 465, *lib.* 16 *pag.* 86 *et seq.*, *lib.* 17 *pag.* 320 *et seq.*

(2) Ad hanc clausuræ legem diligenter custodiendam pertinent *Const. Ubi gratiæ* 44 Greg. XIII *bullar. tom.* 4 *par.* 3 *p.* 598, *Const. Facultatem* 117 Pauli V *pag.* 246 *tom.* 5 *par.* 3, ejusdemque *Const. Monialium* 203 *pag.* 102 *tom.* 5 *par.* 4, *Constit. Apostolatus* 198 Clem. X. *pag.* 330 *t.* 7, *et Const. Salutare* 40 Bened. XIV *pag.* 64 *tom.* 1 *ejus bull., ed. Romæ.* 1754.

(3) Conc. Trid. *sess.* 25 *cap.* 10 *de regul.* Vide Const. *Pastoralis* 56 Bened. XIV *pag.* 281 *tom.* 2, ubi multa habentur de

extraordinario confessario, qui non solum universis monialibus, sive toti monasterio dandus est, sed etiam singulis, quæ illum ex justa causa petunt; præterea superiores regulares jubentur, saltem semel quotannis, monialibus sibi subjectis concedere extraordinarium e sæculari clero confessarium, vel ex altero regulari instituto sacerdotem, iisque id negligentibus, episcopus efficere debet, quod regularis superior præstare debuisset.

§. XIX. Monialium regimen, quod præsentem custodiam postulat, totum est permissum episcopis, vel ut ordinariis, vel ut sedis Apostolicæ delegatis, si monasteria exempta sunt, et sedi Apostolicæ immediate subjecta, nisi vel a certis capitulis, vel ab aliis regularibus gubernentur (1). Verum in his quoque monasteriis, quæ regularibus subsunt, episcopo, una cum regulari superiore, quovis anno reddenda est gestæ administrationis ratio, et episcopus ipse malum administratorem ab officio dimovet, nisi ab eo monitus superior id pridem fecerit, atque etiam animadvertit in regulares, qui in bonorum monasterii administratione deliquerunt (2).

(1) Conc. Trid. *sess.* 25 *cap.* 9 *de regul.*
(2) Greg. XV *Const. Inscrutabili* 50 *t.* 5 *p.* 5 *pag.* 1 *bull.*

§. XX. Atque hæc episcopi cura et sollicitudo in moniales, non tantum sese explicat in illa, quam diximus, bonorum administratione, atque in clausura diligenter custodienda, quæ tota est ejus juri commissa, ordinario in monasteriis sibi subjectis, delegato in exemptis (1), adeo ut recte puniat ipsos quoque regulares, qui peccant in clausuram monialium sibi subjectarum (2); sed etiam in electione abbatissarum, quæ monasterio præficiuntur. Nam episcopo nunciandus est futuræ electionis dies, etiam cum monasteria subsunt regularibus et ipse una cum regulari superiore interesse ac præesse electioni potest (3).

(1) Conc. Trid. *sess.* 25 *c.* 5 *de regul. Const. Gravissimo* 12 Bened. XIV *tom.* 3 *pag.* 57, ubi multa habentur de iis, qui ad monasteria accedunt, ut cum monialibus colloquantur.

(2) Greg. XV *cit. Constit. Inscrutabili* §. 4. Atque huc etiam spectat *Const. Felici.* 492 Alex. VII *t.* 6 *par.* 6 *pag.* 34 *bullar.*, qua sancitum est, ut superior regularis semel tantum in anno visitationis causa monasterii septa ingrediatur; quod si necessitas eum pluries ingredi cogat, id ei tantum licet, præsente episcopo, aut aliquo ecclesiastico viro, quem episcopus speciatim constituit.

(3) *Cit. Const.* Greg. XV §, 5. Monet tamen Bened. XIV *de synod. diœces. lib.* 5 *c.* 12 *num.* 4, satius esse episcopo semel in synodo declarare animum suum, quod ipse scilicet semper velit abbatissarum etiam exemptarum electionibus interesse, quam id præstare singulis vicibus, quibus electio facienda est.

§. XXI. Monialibus tempore præeunt virgines sacræ, quarum origo vel ab ipsis ecclesiæ primordiis est repetenda (1). Eadem pene intra domesticos parietes illarum vivendi ratio, quæ postea monialium fuit. Eas episcopus, aut aliquis ejus mandato sacerdos (2) præcipuo aliquo festo die (3) solemniter in ecclesia consecrabat, eisque imponebat vestem, quæ sacrarum virginum propria erat (4).

(1) Quemadmodum fuerunt in ecclesia ascetæ, antequam essent monachi, ita fuerunt mulieres, quæ palam ac manifesto virginitatem vovebant, antequam moniales instituerentur. Atque hæ sunt virgines sacræ, quas sæpe memorant Cypr. ac Tertull., et quas Sozom. *lib.* 8 *cap.* 23 *pag.* 355 appellat *virgines ecclesiasticas*, Socrates autem *lib.* 1 *cap.* 17 *p.* 47 *virgines in matricula ecclesiæ adscriptas*, quoniam descriptæ erant in ecclesiæ libris, seu canone; atque hinc interdum etiam *canonicæ* dicebantur. Vide Valesium *not. in Sozom. l.* 8 *c.* 23 *pag.* 355; Albaspinæum *not. in conc. Eliberit. can.* 13 *p.* 165; Cotelerium *not. in Const. Apost. lib.* 8 *cap.* 13 *pag.* 408.

(2) Etiam presbyterum mandato episcopi virgines consecrasse, ostendit conc. Carthag. III. *can.* 36 *t.* 2 *col.* 1404 *coll.* Labbei, cum inquit : *presbyter inconsulto episcopo virgines non consecret.* quod quidem habet Fulg. Ferrandus *breviar. canon. can.* 91 apud Pithœum *codex canon. vet. eccl. Rom. p.* 308 *Paris.* 1687.

(3) « Devotis quoque virginibus, inquit P. Gelasius *in decr.*

cap. 12 apud Pithœum *l. cit p.* 267, nisi aut in Epiphaniorum die, aut in albis paschalibus, aut in apostolorum natalibus, sacrum minime velamen imponant, nisi forsitan, sicut de baptismate dictum est, gravi languore correptis, ne sine hoc munere de sæculo exeant, implorantibus non negetur. Vide S. Ambr. *de virg. lib.* 3 *cap.* 1 *col.* 208, *et de laps. virg. cap.* 5 *col.* 386 *t.* 3 *ed. Venet.* 1751.

(4) Conc. Carth. IV *can.* 11 *col.* 1438 *tom.* 2 *collect.* Labbei. Atque hunc sacrarum virginum habitum memorat etiam Arcudius *l.* 4 *c. de episcop. audien.* ubi *mimæ*, *et quæ ludibrio corporis quæstum faciunt,* prohibentur uti *publice habitu earum virginum, quæ Deo dicatæ sunt.* Erat hujus habitus pars una *sacrum velamen;* unde *velatæ virgines* apud Innoc. *ep.* 2 *ad Victric. cap.* 13, apud Coust. *ep. Rom. Pont. col.* 756 sunt virgines Deo consecratæ.

§. XXII. Ut virgines ita etiam ecclesiasticas viduas (1) habuit ecclesia, antequam monachorum et monialium institutum agnosceret. Ex his autem viduis, ut plurimum, eligebantur diaconissæ (2); quamquam sæpe etiam perpetuas virgines eo munere functas fuisse constat (3). Earum origo ab ipsa apostolorum ætate repetenda est (4).

(1) Hier. *ep.* 58 *cap.* 4 *col.* 173 *et epist.* 69 *cap.* 7 *col.* 499; Conc. Arausic. *can.* 27 *tom.* 4 *col.* 705 *coll.* Labbei; auctor *Constit. Apost. lib.* 8 *cap.* 25 apud Cotelerium *PP. Apostol. pag.* 414 *tom.* 1 *ed. Amstelod.* 1724; ubi tantum *cooptari in gradum vidualem* jubetur quæ, *jamdiu virum amisit, et caste et laudate vixit, et domesticorum diligenter curam habuit.*

(2) Quare interdum diaconissæ *viduæ* dicuntur, et earum officium *viduarum* appellant Tertull. *lib.* 1 *ad uxor. c.* 7 *p.* 165 *et de Veland. virg. c.* 9 *pag.* 178 *ed. Ven.* 1744; S. Epiph. *hær.* 79 *num.* 4 *p.* 1060 *tom.* 1 *opp. Paris.* 1622; S. Ignatius *ep. ad Smyrn. n.* 13 apud Cotel. *PP. Apostol. t.* 2 *pag.* 58; S. Hier. *ep.* 123 *ad Ageruchiam de monogam. cap.* 6 *c.* 905 *tom.* 1 *opp.*, eamdemque ob causam eas Epiph. *loc. cit.*, et conc. Laodic. *can.* 11 *tom.* 1 *col.* 1534 *et* 1551 *collect.* Labbei πρεσβυτιδας *viduas seniores* vocat. Sunt tamen distinguendæ diaconissæ a viduis ecclesiasticis, quarum paulo ante facta mentio est. Non enim omnes hæ viduæ erant diaconissæ, quamquam plerumque ex illarum corpore eligerentur, quæ diaconissarum munus exercerent.

(3) Virgines, quæ diaconissæ factæ sunt, memorant S. Ign. *loc. cit.* ibique Coteler. S. Epiph. *expos. fid. num.* 21 *pag.* 1104 *ed. Paris.* 1722, Auctor *Const. Apost. lib.* 6 apud Cotelerium *tom.* 1 *pag.* 350 *ed. cit.*, Justinianus *novell.* 6 *cap.* 6, Sozom. *lib.* 8 *c.* 23 *pag.* 355 *indic. ed.*, Zonaras et Balsamon *ad. c.* 19 *Nicæn.* apud Beveregium *Pandec. canon. tom.* 1 *pag.* 82 *et* 83 *Oxonii* 1672, ac Torrigius *de sac. Crypt. vatican. p.* 2 *pag.* 557 *ed. Romæ* 1639 memorat S. Martinam virginem et martyrem, quæ diaconissa fuit.

(4) S. Paul. *ad Rom. XVI* 1 memorat Phœben, quam Διακονον *ministram* eccl. Cenchrensis appellat. Etiam Plinius Junior *l.* 10 *ep.* 96 *ad Trajan. pag.* 287 *ed. Oxonii* 1703 loquitur de duabus Christianis fœminis, quas ministras vocat, « Qui magis, inquit, necessarium credidi ex duabus ancillis, quæ ministræ dicebantur, quid esset veri et per tormenta quærere.

§. XXIII. Non nisi viduis unius viri, quæ jam erant ætate provectæ (1), inter diaconissas dabatur locus. Munera earum erant sacerdoti fœminas baptizanti præstare operam, ut sexus pudori consuleretur ea ætate, qua baptismus per immersionem conferebatur (2), catechumenas ad rem christianam domi instituere (3), fœminas ægrotas invisere (4), opem ferre martyribus et confessoribus carcere detentis, cum ad eum diaconis aditus non patebat (5), stare ad januas, per quas mulieres ecclesiæ navem ingrediebantur (6), et suum in ea locum cuique tribuere (7). His muneribus addicebantur diaconissæ per manuum impositionem (8), quæ tamen non sacramentum erat, sed ecclesiæ cœremonia, ad instar benedictionis, quam mulieres illæ accipiebant (9).

(1) De ætate diaconissarum Apost. I *ad Tim. V v.* 9 habet hæc: « Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens.... si omne opus bonum subsecuta est. » Ad hunc Pauli locum respexit Theodosius Imp. in *L.* 27 *cod. Theod. de episc. et cleric.*, cum scripsit: « Nulla, nisi emensis sexaginta annis, cui votiva domi proles sit, secundum præceptum Apostoli ad diaconissarum consortium transferatur. » Ipsam hanc ætatem annorum 60

memorant Tertull. *de Virg. velan. cap.* 9 *p.* 178 *ed. cit.*, et S. Basil. *ep.* 199 *can.* 2 *ad Amphiloch. can.* 24 *t.* 3 *pag.* 295 *ed. Paris.* 1730, et S. Hier. *comm. in Isaiam lib.* 2 *cap.* 3 *t.* 4 *col.* 53 *et ep.* 69 *ad Salvinam cap.* 2 *et* 7 *col.* 495 *et* 500 *tom.* 1. Sed labentibus annis Chalced. Concilio *can.* 15 *col.* 1707 *et* 1726, *t.* 4 *coll.* Labbei, sancitum est, ut diaconissæ quadraginta annorum eligi possent, quam ætatem probavit etiam conc. Trull. *can.* 14 *tom.* 7 *col.* 1354 *coll.* Labbei et Justinianus *novella* 123 *cap.* 13. Ipse Justinianus *novella* 6 *cap.* 6 in diaconissis ætatem requirit annorum 50, quam eamdem ætatem definit in *L.* 9 *cod. de episc. et cler.*, si vera est lectio, quæ vulgo traditur. Nam Contius legendum esse putat non 50, sed 60, atque ita ab erroris et negligentiæ nota liberat Tribonianum, qui certe liberari non potest, si retineatur vulgata lectio, quæ his est concepta verbis: *Nulla, nisi emensis* 50 *annis secundum præceptum Apostoli ad diaconissarum consortium transferatur.* Non enim *præceptum Apostoli* annos *quinquaginta*, sed *sexaginta* constituit. Contra sub Nectario patriarcha CP. fuisse Olympiadem diaconissam quadraginta annis minorem scribit Sozom. *lib.* 8 *c.* 9 *pag.* 337. Ex quibus intelligitur, non unam semper eamdemque regulam fuisse et multum ea in re episcopi arbitrio datum. Quæ olim in diaconissis requirebantur, explicat Jac. Gothofredus *in comment. ad cit. L.* 27 *C. Theod. de episc. et cler. t.* 6 *p.* 1 *pag.* 68 *ed. Lipsiæ* 1734.

(2) Just., *Novell*, 6 *cap.* 6 et auctor *Const. Apost. lib.* 3 *c.* 16, ibique Cotel. *PP. Apost. t.* 1 *pag.* 291.

(3) Auctor commentariorum in epistolas, sub nomine Hier. *com. in ep. ad Rom. XVI v.* 1 *col.* 898 *opp. Hier. tom.* 11., Conc. Carthag. IV *can.* 12 *col.* 1498 *t.* 2 *coll.* Labbei.

(4) S. Epiph. *Hæres.* 79 *num.* 3 *pag.* 1060 *t.* 1 *opp. edit. Paris.* 1622, S. Hier. *epist.* 52 *ad Nepotian. cap.* 5 *col.* 258 *tom.* 1, auctor *Const. Apost. lib.* 3 *c.* 15 *pag.* 290 *loc. cit.*

(5) Vide Cotel. *in Const. apost. lib.* 3 *c.* 15 *p.* 290 et Jac. Gothofr. *loc. cit.*

(6) Auctor ep. ad Antiochenos, quæ Ignatii nomine circumfertur *num.* 12 apud Cotel. *PP. Apost. t.* 2 *p.* 152, auctor *Const. Apost. lib.* 2 *c.* 57 *pag.* 266 *et lib.* 8 *c.* 28 *pag.* 416 *loc. cit.* Per januas autem intelligendæ sunt portæ inferiores, per quas aditus patebat ad ligneos parietes, quibus mulieres a viris in ecclesia dividebantur. Dicam ea de re late libro II.

(7) Auctor *Const. Apost. lib.* 2 *c.* 58 *pag.* 270.

(8) Diaconissas nullam manuum impositionem accepisse quidam putant, atque ex eorum numero sunt Baron. *ad ann.* 54

n. 285 *pag.* 215 *tom.* 1 *edit. Lucæ* et Vales, *not. in Sozom. lib.* 8 *cap.* 9 *pag.* 337. Moventur *canone* 19 Conc. Nicœni *t.* 2 *coll.* Labbei, cujus hæc verba sunt : « Diaconissarum autem meminimus, quæ in habitu quidem censentur, quoniam nec ullam habent manuum impositionem, ut omnino inter laicos ipsæ connumerentur. » Quisquis tamen hunc canonem paulo diligentius expendat, facile deprehendet, eum non ad omnes generatim diaconissas pertinere, sed ad eas tantum, quæ habitum sine ulla manuum impositione inter Paulianistas acceperant. Ceterum ipse canon non obscure declarat, reliquas diaconissas manuum impositionem habuisse, quod recte observarunt viri eruditi, præsertim Joan. Gaspar Suicerus *Thesaur. tom.* 1 verb. Διακονισσα *num.* 3 *pag.* 867 *Amst.* 1682; Arcudius *Concord. eccl. occid. et orient. lib.* 6 *c.* 10; Cristian. Lupus *schol. in eumd. can. Nicæn. opp. tom.* 1 *pag.* 265 *ed. Venet.*; Gabr. Albaspinæus *not. in eumd. can. pag.* 199 *edit. Neap.*; Car. Fabrotus *not. ad Balsam. coll. const. lib.* 3 *tit.* 1 apud Justellum *Biblioth. Jur. canon. tom.* 2 *pag.* 1417 *Paris.* 1661; Gaspar Juenin *de Sacr. diss.* 8 *de Sacr. ordin. in comm. q.* 5 *c.* 1 *pag.* 532; Nat. Alex. *hist. eccles. sæc.* 3 *cap.* 3 *art.* 6 *num.* 21 *pag.* 21 *p.* 145 *tom.* 3 *edit. Ven.* 1776. Revera concilia et scriptores, qui de diaconissarum ordinatione loquuntur, manuum impositionem diserte memorant. Earum ordinatio *can.* 15 conc. Chalced. *col.* 608 *tom.* 2 *coll.* Hard. vocatur χειροτονια et χειροθεσια, *manuum impositio;* quo eodem vocabulo utitur conc. Trull. *c.* 14 *col.* 1665 *tom.* 3 *ejusd. coll.*, et Sozom. *lib.* 8 *c.* 9 *pag.* 337 cum de Olympiæ ordinatione disputat. Auctor *const. Apost. lib.* 8 *cap.* 19 *pag.* 412 *loc. cit.* diaconissas ab episcopo ordinari jubet, cum manuum impositione certaque oratione, quæ ibi describitur. Apud Latinos etiam hujus manuum impositionis meminit concil. Wormatiense *can.* 76 *col.* 747 *tom.* 3 *coll.* Hard., et Fortunatus *in vit. Radegund.* apud Surium 13 *August. lib.* 1 *cap.* 6 *tom.* 4 *pag.* 655 *edit. Colon.* 1579, de Medardo episcopo dicit hæc: *Manu superposita consecravit diaconam.* Confer Coteler. *in const. apost. loc. indic.* Erat tamen hæc manuum impositio non sacramentum, sed ecclesiæ cœremonia, quæ nullum imprimebat ordinis characterem, ad quem suscipiendum mulieres aptæ et idoneæ non sunt. Apposite S. Epiph. *hæres.* 79 *Collyrid. n.* 3 *p.* 1060 *tom.* 1 *edit. cit.* « Quamquam vero, inquit, diaconissarum in ecclesia ordo sit, non tamen ad sacerdotii functionem, aut ullam ejusmodi administrationem institutus; sed ut muliebris sexus honestati consulatur, sive ut baptismi tempore adsit; sive ut inspiciat, si quid passa sit, aut molestiæ pertulerit, sive ut

cum nudandum est mulieris corpus, interveniat; ne virorum, qui sacris operantur, adspectui sit exposita, sed a sola diaconissa videatur. » Consule Justellum *Bibl. Jur. can. tom.* 1 *not. in conc. Nicæn. can.* 19 *pag.* 75 *Paris.* 1661; Nat. Alexand. *loc. cit.;* Juenin *de Sacram. diss.* 8 *de sacr. ordin. in commun. q.* 5 *cap.* 1; Salam *in not. ad Bonam. lib.* 1 *c.* 25 §. 15 *p.* 358 *tom.* 2 *ed. Taurin.* 1749. Ritum a Græcis observatum in diaconissarum ordinationibus describit Jac. Goarius *in Eucholog. Græc. de diaconissis pag.* 262 *Paris.* 1647. De ordinandis autem tum Latinorum, tum Græcorum diaconissis agit Morinus *de sac. ordin. par.* 3 *exerc.* 10 *cap.* 1, *et seq.* Diaconissarum *consecrationes* sæc. XI memorat Joan. XIX, litteris datis ad episcopum Silvæ Candidæ apud Mabillon. *Mus. Ital. ord. Rom. XI pag.* 156 *tom.* 2 *Paris.* 1724. Exstat etiam apud Syros diaconissarum ordinatio, quam una cum earum officio et potestate accurate describit Assemanus *in diss. de Monophysitis num.* 10 *tom.* 2 *Bibl. Orient.*

(9) Duo postremo sunt observanda, antequam hanc de diaconissis tractationem absolvamus: primum est, quod non uno et eodem tempore earum usus ubique sublatus fuit, qua de re videndi sunt Bona *rer. liturg. lib.* 1 *c.* 25 §. 15 *t.* 2 *pag.* 353, ibique Robertus Sala *in not. p.* 359; Morinus *de Sacr. ordin. par.* 3 *exerc.* 10 *c.* 3; Thomass. *vet. et nov. eccl. disc. p.* 1 *lib.* 3 *cap.* 51 *num.* 1 *tom.* 1; Juenin. *de Sacram. de ordin. in spec. diss.* 9 *q.* 5 *cap.* 2. Alterum est, quod interdum diaconissæ etiam dicebantur diaconorum uxores ante diaconatum ductæ, eodem modo, quo illæ, quæ uxores presbyterorum fuerant, presbyteræ, quæ episcoporum, episcopæ vocabantur, atque huc spectat conc. Turon. II *can.* 13 *et* 19, *col.* 537 *et* 539 *tom.* 6 *coll.* Labbei, et Antissiodor. *can.* 21 *col.* 644 *eod. loc.* Vide Rob. Salam *in not. ad card. Bonam. loc. cit.*

INSTITUTIONUM

CANONICARUM

LIBER SECUNDUS.

Sicut a persona B. Petri apostoli episcopatus sumit initium, ita necesse est, ut disciplinis competentibus sanctitas vestra singulis ecclesiis, quid observare debeant, evidenter ostendat.

S. Cæsarius Arelatensis *epist. ad Symmach. P. tom.* 2 *Conc. col.* 956 *coll.* Harduini *ed. Paris.*

TITULUS I.

De Rerum Divisione.

I et II. Res ecclesiastica quid? ejus partitio.

§. I.

Alter hic liber pertinet ad res ecclesiasticas, quarum latissime patet nomen. Nam quidquid est in ecclesia extra personas et judicia, id rei nomine comprehendimus. Sunt autem res ecclesiasticæ, quas Jus canonicum respicit, vel spirituales, vel temporales. Spirituales sunt, quæ ad animarum salutem æter-

namque earum beatitatem, tamquam ad finem et terminum, totæ referuntur; atque huc spectant sacramenta, preces, jejunia, dies festi, indulgentiæ, cetera generis ejusdem. Pertinent etiam ad spirituales res sacræ, quæ scilicet Deo et religioni sunt consecratæ, ut divinus cultus exerceatur, veluti ecclesiæ, sacraque vasa et ornamenta; itemque res religiosæ, domus scilicet et loca, in quibus vel regulares vitam traducunt, vel pauperes atque ægroti curantur, vel fidelium cadavera sepeliuntur. Res temporales ecclesiasticæ sunt reditus et fundi ecclesiarum, quibus aluntur clerici et pauperes, omniaque ad religionis usum necessaria comparantur (1).

(1) Ecclesiastica quidem prædia aliquando spiritualia dicuntur, non quod ea revera sint, quæ nobis hoc loco spiritualia esse diximus, sed quod spiritualibus inserviunt, et eo referuntur.

§. II. De spiritualibus agentes non dicemus de gratia, fide, charitate, ceterisque virtutibus, quæ sunt anima christianæ religionis, quoniam ad theologos pertinet tota hæc disputatio. Nos de iis agemus, quæ propria Juris canonici sunt; et ordiemur a Sacramentis, quæ Christus Dominus ad æternam hominum salutem instituit.

TITULUS III.

De Sacramentis.

I. Sacramentum quid?
II. Vis et natura sacramenti.
III. Antiquorum sacramentorum a novis diversitas.
IV. Divisio sacramentorum legis veteris.
V. Sacramentorum novæ legis numerus.
VI et VII. Eorum materia et forma.
VIII. Gratia et character.
IX. Gratia ex opere operato procedit.
X. Sacramenta vivorum et mortuorum.
XI. Quæ sacramenta characterem imprimant?
XII. Sacramenta alia necessaria, alia singulis non necessaria.
XIII et XIV. Sacramentorum minister.
XV et XVI. Ejus intentio qualis esse debeat?
XVII. Intentio suscipientis sacramentum.
XVIII ad XX. Ritus et cæremoniæ sacramentorum.

§. I.

Sacramenti in re cum civili tum ecclesiastica multiplex significatio est. Nam et jusjurandum (1) et pecunia, quam olim litigantes apud Pontificem, aut in æde sacra deponebant (2), et arcanum (3) atque mysterium (4), et interdum etiam sacer quilibet ritus ac cæremonia sacramentum appellatur (5). Nos hoc loco sacramentum dicimus invisibilis gratiæ visibile signum ad sanctificationem nostram divinitus institutum (6).

(1) *Auth. Sacramenta puberum cod. si advers. vendit.* Hinc jusjurandum, quo milites suam Imperatori fidem obligabant, sacramentum militare et milites ipsi sacramento obstricti dicebantur *Leg.* 8 *ff. de Accusat. L.* 11 *ff. L. Jul. de Adulter., Leg.* 13 *ff. de re militar., L.* 14 *ff. de His quas ut indign., Leg.* 8 §. 1 *Cod. ad L. Jul. majest.*

(2) Litigantes initio judicii certam pecuniæ vim apud Ponti-

ficem, aut in æde sacra deponebant ea lege, ut victor, peracto judicio, suam repeteret, victus autem pœnæ causa ærario relinqueret. Unde et hæc pecunia deposita, et inita super ea stipulatio sacramentum dicebatur. Confer Jac. Gutherum *de Jur. Pontif. lib. 4 cap.* 21.

(3) Apost. *ad Ephes. IX v.* 11 *Ut notum faceret*, inquit, *sacramentum voluntatis suæ;* Tob. XII *v.* 7 *Sacramentum regis abscondere bonum est;* et Daniel *c.* XI *v.* 18 *Ut quærerent misericordiam a facie Dei cœli super sacramento isto.*

(4) Apost. *ad Coloss. I v.* 27 incarnationem Christi D. appellat sacramentum. S. August. *Serm.* 227 *col.* 973 *tom.* 5. *ed. Maur. Ven.* 1731 memorat exorcismi sacramentum et *lib.* 2 *de peccator. merit. et remiss. cap.* 26 *col.* 62 *tom.* 10 panem benedictum et salem catechumenis dari solitum, sacramentum vocat; quo eodem verbo utitur concil. Carthag. III *can.* 5 apud Labb. *tom.* 2 *col.* 1400 *edit. Ven.* Similiter S. Paulinus *ep.* 50 *num.* 4 *et* 15 *col.* 288 *et* 294, *ed. Muratorii Veronæ,* mysterium sacramentum appellat.

(5) Ita *orationis Dominicæ sacramenta* dixisse videtur S. Cypr. *de Orat. Dominic. pag.* 189, *ed. Rigaltii Paris.* 1666. Communes christianorum preces in divinis celebrandis officiis similiter a patribus dictæ sunt sacramenta; et huc spectat S. Ambr. *lib.* 3 *de Virgin. cap.* 3 *tom.* 3 *col.* 215, *ed. Maur. Ven.* 1751.

(6) Definitionem huic simillimam Augustini nomine proponit Gratianus *in can.* 32 *dist.* 2 *de Consecr. Sacramentum*, inquit, *est invisibilis gratiæ visibilis forma:* quæ definitio his concepta verbis apud August. nusquam exstat, sed tamen, ut in eum locum monent Romani correctores, ex Augustini verbis *in libro de catechiz. rud. cap.* 26 *col.* 293 *tom.* 6 *ed. indic.* desumpta est. Explicatius Catechismus Rom. *par.* 1 *cap.* 1 *num.* 11 Sacramentum definit, *rem sensibus subjectam, quæ ex Dei institutione sanctitatis et justitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habet.*

§. II. Tria igitur sunt, quæ ad sacramentum pertinent, divina institutio, visibile signum et invisibilis gratia, quæ externo illo signo confertur et designatur. Nam summus dominator et artifex rerum Deus, ut quæ occulta ejus virtute efficiuntur, facilius imbecillitas fragilitasque humani generis intelligeret, eam ipsam virtutem declaravit signis, quæ sub sensus cadunt (1),

eaque esse voluit quasi pignora divinarum promissionum (2), et remedia ad animarum salutem vel tuendam, vel recuperandam (3), et vincula christianæ societatis, notasque et symbola, quibus ejus fidem testatam faceremus (4), quibusque fideles internoscerentur (5).

(1) Præclare S. Joan. Chrysost. *Hom.* 82 *in Matth. num.* 4 *pag.* 787 *tom.* 7, *ed. Montfauc. Paris.* 1727. « Si incorporeus, inquit, esses, nuda tibi illa et incorporea dona tribuisset; sed quia corpori conjuncta est anima, in sensibilibus spiritualia tibi largitur. »

(2) Egregie Cathechismus Rom. *par.* 2 *cap.* 1 *n.* 13. « Quemadmodum, inquit, in veteri testamento Deus fecerat, ut magni alicujus promissi constantiam signis testificaretur; ita etiam in nova lege Christus Salvator noster cum nobis peccatorum veniam, cœlestem gratiam, Spiritus Sancti communicationem pollicitus est, quædam signa oculis et sensibus subjecta instituit, quibus eum quasi pignoribus obligatum haberemus, atque ita fidelem in promissis futurum dubitare numquam possemus.

(3) Confer S. Ambr. *de Sacram. tom.* 3 *pag.* 440.

(4) Sacramentis enim fidem nostram in hominum conspectu declarare, atque omnibus illustrem ac manifestam facere videmur; et huc spectat Apost. *ad Rom. X. v.* 10 *: Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*

(5) « In nullum nomen religionis, inquit S. August. *contra Faustum lib.* 19 *c.* 11 *col.* 319 *tom.* 8, seu verum, seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligenter. » Utrumque igitur præstant novæ legis sacramenta; scilicet et fideles ab infidelibus distinguunt, et ipsos fideles inter se sancto quodam vinculo conjungunt.

§. III. Sua etiam sacramenta habuit V. T., eaque umbræ, et figuræ erant venturi servatoris; verum sacramenta N. L Christum jam natum exhibent (1). Scilicet tantum fide in Christum servari homines possunt (2). Itaque, ut hanc fidem sustineret, abundans misericordia et clementia, Deus instituit sacramenta, quæ vel venturum Christum adumbrarent, vel jam

natum ostenderent; et vero tum ante, tum post Christi adventum, fides in servatorem illustrius excitari foverique non poterat, quam externis signis, quibus homines fidem suam manifestam facerent.

(1) *Sacramenta novi testamenti*, inquit S. August. *in Ps.* 73 *col.* 769 *tom.* 4 *dant salutem, sacramenta veteris testamenti promiserunt Salvatorem.*

(2) Apost. *II ad Cor. V. v.* 19, *et ad Gal. II* 16. « Itaque ab exordio generis humani, inquit August. *ep.* 102 *ad Deogratias col.* 277 *tom.* 2, quicumque in eum (Christum) crediderunt, eumque utcumque intellexerunt, et secundum ejus præcepta pie et juste vixerunt, quandolibet et ubilibet fuerint, per eum proculdubio salvi facti sunt. » Confer eumd. S. Aug. *ad Bonif. contr. duas epist. Pelagian. lib.* 3 *cap.* 4 *col.* 450 *tom.* 10, *et de Nuptiis et concup. lib.* 2 *cap.* 11 *col.* 313 *eod. tom.* 10; S. Ignatium mart. *ep. ad Magnes.* apud Cotelerium *pag.* 153 *tom.* 2 *PP. Apostol., edit. Amstelod.* 1724; S. Justin. *Dialog. n.* 64 *p.* 161, *ed. Paris.* 1642; S. Th. *in Sum. par.* 3 *q.* 61 *art.* 3.

§. IV. Sacramentorum legis Mosaicæ multiplex erat genus. Quædam enim pertinebant ad consecrationem, sive institutionem populi, aut ministrorum in cultu Dei, ut *circumcisio et sacerdotum consecratio;* quædam sacrarum rerum usu constabant, ut *agni Paschalis in azymis comestio* quoad populum, *oblatio victimarum, esus panum propositionis etc.* quoad sacerdotes; quædam denique erant, per quæ divini cultus impedimenta removebantur, nimirum legales sordes et crimina, ut *purificationes* ac *lustrationes,* et *sacrificia piacularia* præsertim *vaccæ rufæ* et *hirci emissarii* (1). Verum hæc sacramenta Hebræis tantum divina lege erant necessaria, non item reliquis gentibus, quæ etiam sine his externis signis æternam salutem consequi poterant, modo cum aliqua mediatoris fide, legem naturalem observarent (2).

(1) Divisionem hanc sacramentorum antiquæ Legis tradit S. Thom. 1. 2 *q.* 102 *art.* 5. Consule Nat. Alexandrum *Hist. eccl.*

in IV mundi ætatem diss. 3 *art.* 4 *tom.* 1 *pag.* 561, *ed. Venet.* 1776. De hirco emissario vide Levit. *c.* XVI *v.* 7 *et seq.* ibique Calmet. *in Comment.*

(2) Vide S. Aug. *de civ. Dei lib.* 18 *cap.* 47 *col.* 530 *tom.* 7; Theodoretum *Interrog.* 68 *in Genes. opp. tom.* 1 *pag.* 55, *ed. Paris.* 1642; S. Gregor. M. *Præfat. in lib. Job. col.* 9 *tom.* 1 *ed. Maur. Paris.* 1705. Iisdem tamen judaicis sacramentis tenebantur etiam proselyti *Exod. XII v.* 48, advenæ scilicet, qui ex gentibus ad Judæos transiverant.

§. V. Sublatis Christi morte sacramentis et cæremoniis Hebræorum, quoniam cessare oportebat umbras adventu ejus, quem figurabant (1), christiana sacramenta, jam nati mediatoris symbola, Christus Dominus instituit. Ea vero septem numero sunt, scilicet Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, Eucharistia, Extrema Unctio, Ordo, Matrimonium (2). Quæ singula vera esse catholicæ ecclesiæ sacramenta, nec plura quam septem hæc a Christo esse instituta, explorata fidei doctrina est (3).

(1) Prima sacramenta, inquit Aug. *Contr. Faustum lib.* 19 *cap.* 13 *col.* 320 *tom.* 8, quæ observabantur et celebrabantur, ex lege, prænuntiativa erant Christi venturi. » Itaque hæc sacramenta ideo sunt ablata, quia ea suo adventu Christus implevit, uti pergit Aug. *loc. cit.*, « quæ cum suo adventu Christus implevisset, ablata sunt; et ideo ablata, quia impleta. . . . . et alia sunt instituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora. » Quod etiam tradit *lib. de vera Religion. cap.* 17 *tom.* 1 *col.* 758; *de Doctr. Christ. lib.* 3 *cap.* 9 *tom.* 3 *par.* 1 *col.* 49, *et ep.* 54 *tom.* 2 *col.* 124.

(2) Conc. Trid. *sess.* 7 *can.* 1 *de Sacram.*

(3) Late de hoc catholicæ fidei dogmate contra Lutheranos, Calvinianos ceterosque hæreticos disputant Juenin *de Sacr. diss.* 1 *de sacram. in gener. q.* 2, *cap.* 4, Drouin *de re Sacram. lib.* 1 *q.* 3 *c.* 2., aliique scriptores rerum theologicarum.

§. VI. Jam duabus veluti partibus constant sacramenta, signo sensibili, quod sensibus subjicitur, et re invisibili, quæ sensus fugit. Signum sensibile constat

ex *materia*, hoc est ex re, qua conficitur sacramentum, et ex *forma*, nimirum ex verbis, quæ in eo conferendo adhibentur (1). Atque in hoc ritu, qui ex rebus et verbis divina auctoritate conficitur, sacramentum consistit, cum res a verbis sejunctæ sacramenta non sint, sed per verba ad sacrum usum determinentur (2).

(1) Voces *materia* et *forma* ex peripatetica philosophia arreptæ sunt, atque ea primus usurpasse videtur Guilielmus Antissiod. qui sæc. XIII vitæ usura fruebatur; eum postea sequuti sunt Alex. de Hales, Albertus M., D. Thomas ac denique ecclesia universa. Ante hoc tempus in sacramentis res et verba distinguebantur. Ita Tertull. *de præscr. cap.* 40 *pag.* 216 *edit. Venet.* 1744 ait, dæmonem in suis idolorum mysteriis *res sacramentorum divinorum* æmulari. Dicebantur etiam communiter mystica symbola, sacra signa, religionis initia, seu initiationes et sacramenta. Paulo distinctius interdum designabantur per elementum et verbum; quo sensu Aug. *in can.* 54 *c.* 1 *q.* 1 ajebat: *Accedit verbum ad elementum et fit sacramentum.* Sed primum latinos, postea græcos vocabula illa *materiam* et *formam* usurpasse ostendit Morinus *de Sacram. ordinat. part.* 3 *exerc.* 1 *c.* 3

(2) « Detrahe verbum, inquit August. *in can.* 54 *c.* 1 *q.* 1, *et* quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum et fit sacramentum. »

§. VII. Materia vel remota, vel proxima est; remotam dicimus rem ipsam, quam in conferendo sacramento adhibemus, qualis est aqua, oleum etc.; proximam vocamus ipsum rei usum, uti est ablutio, unctio etc. Forma aut pura sive absoluta est, aut conditionalis. Hæc in iis sacramentis adhibetur, quæ iterari non possunt, cum incertum est, rectene collata fuerint, an secus (1).

(1) Conditionalis formæ expressa mentio primum occurrit VIII sæculo in statutis S. Bonifacii episcopi Moguntini, quæ condita sunt circa an. 745, exstantque apud d'Achery *Spicileg. tom.* 1 *cap.* 28 *pag.* 508 *edit. Paris.* 1723, itemque in capitularibus Caroli M. apud Baluzium *lib.* 6 *cap.* 184 *tom.* 1 *col.* 685 *edit.*

Venet. 1772, unde idem decretum excerpsit suæque canonum collectioni *tit.* 11 *cap.* 17 adjecit Isaac episc. Lingonensis apud Harduin. *coll. concil. tom.* 5 *col.* 447 *ed. Paris.* Ex quo recte colligit Edm. Martenius *de antiquis eccl. ritib. tom.* 1 *lib.* 1 *cap.* 1 *art.* 16 *num.* 10 *pag.* 59 *edit. Antv. seu Venet.* 1763, quantum a vero aberraverint, qui conditionalem hanc formam primum a scholasticis inventam, atque in ecclesiam invectam putarunt, cum ea revera multo ante scholasticorum ætatem adhiberetur. Ante sæcul. VIII sacramenta, quæ repeti nequeunt, nulla adjecta expressa conditione repetebantur, cum plane incertum erat, collatane et an recte collata fuissent. Non inde tamen confici potest, quod aliquibus visum est, antiquam ecclesiam sine ulla prorsus conditione conferre consuevisse sacramenta quæ iterari non possunt. Non erat quidem disertis verbis concepta conditio, quæ tantum VIII sæculo expressa esse cœpit, sed erat tamen conditio tacita, quæ eodem redibat; et ecclesia, quæ semper rebaptizantium hæresim damnavit, baptismum repeti voluit, quatenus non constaret, num collatus, aut num recte collatus fuisset. Nam « *Non monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur rite peractum*, » uti loquitur S. Greg. M. *ep.* 17 *lib.* 14 *ad Felic. col.* 1279 *tom.* 2. Quod ante Gregorium docuerat S. Cypr. *ep.* 69 *ad Magnum pag.* 297 *ed. Amst.* 1700, cum de vi baptismi clinicorum per aspersionem dati interrogatus fuisset, itemque S. Leo M. *ep.* 139 *p.* 490 *par.* 2 *ed. Rom.* 1755, et Patres conc. Carthag. V, qui, cum quæreretur quid agendum esset de pueris, qui num baptizati essent, nemo certo sciebat, responderunt *can.* 6 *col.* 987 *t.* 1 *coll.* Harduini, « Absque ullo scrupulo eos esse baptizandos, ne ista trepidatio eos faciat sacramentorum purgatione privari. » Placuit hæc canonis verba describere, ut facile deprehendatur error auctoris *Delectus auctor. eccl. univ.* qui *in notis ad eumd. can. tom.* 2 *col.* 169, *trepidationem et dubitationem* interpretatur *conditionem*, quasi omnis conditio a Carthag. Patribus rejecta fuerit. Trepidatio et dubitatio Patribus est incertus ancepsque animus, propter quem illam ad synodum controversiam detulerant, qui dubitabant, num in illo rerum discrimine baptismum repetere oporteret. Evellunt hunc scrupulum concilii Patres ajentes, baptismum esse repetendum, *ne ista trepidatio* (quod certe de conditione intelligi nequit) *eos faciat sacramentorum purgatione privari.* Idem quoque de iisdem infantibus respondit Greg. II *epist.* 2 *num.* 9 *col.* 1859 *tom.* 5 *coll. con.* Harduini. Ecclesia igitur, cum eorum baptismum repeti volebat et simul etiam damnabat hæresim rebaptizantium, non aliter illud fieri voluit, quam cum tacita animoque retenta

conditione: *Si non es baptizatus.* Quæ conditio, uti dixi, sæculo VIII verbis expressa esse cœpit, eamque disciplinam sua jam ætate multis in locis receptam probavit et ubique servari jussit Alex. III *in cap.* 2 *de Bapt.* ac denique confirmavit Joan. XXII apud Raynald. *ad an.* 1333 *n.* 42 *t.* 5 *pag.* 566 *ed. Lucæ* 1750. Nunc igitur conditionalis forma adhibetur in sacramentis, quæ iterari non possunt; verum ea non temere et inconsulto adhibenda est, sed cum adest probabilis dubitatio, ac re primum cognita, et quæsita diligenter, uti monet Catechismus Rom. *part.* 2 *c.* 2 *num.* 57. Confer Bened. XIV, qui ea de re late disserit *in Instit. eccles. inst.* 8 *et* 84 *et de synod. diœc. lib.* 7 *cap.* 6. Disputant theologi, num etiam in sacramento pœnitentiæ conditionalis absolutio tribui possit, cum scilicet incertum est, num minister necessaria verba pronunciaverit, aut num is, qui absolutionem obtinet, ad eam suscipiendam aptus et idoneus sit. Hujus conditionalis formæ in sacramento pœnitentiæ initium plerique repetunt a sæculo XIV, sed revera ejus est expressa mentio apud Joan. Gerson., qui ineunte sæc. XV vitam agebat, *in tract. de Schism. p.* 79 *de unit. eccl. p.* 118 *in resp. ad interrog. Carthusian. pag.* 461 *num.* 1 *opp. edit. Antverpiæ* 1706. Vide Juenin *de sacram. diss.* 1 *de sacram. in genere quæst.* 3 *cap.* 5 *art.* 2; Tournelyum *Prælect. theolog. tom.* 7 *de sacram. in gener. q.* 1 *art.* 4 *concl.* 2 et Bened. XIV *de synod. diœc. lib.* 7 *cap.* 15, qui de ea re copiose disputant.

§. VIII. Res invisibiles, quas signa illa externa significant et continent, duæ præcipuæ sunt, gratia et character. Gratia communis est omnibus sacramentis. Nam quisquis ea rite et recte suscipit, hoc est nullo posito, aut contrariæ voluntatis aut pravæ dispositionis, obice, is gratiam accipit, quam theologi *sanctificantem* appellant. Hæc autem *non solum peccata remittit; sed justificat et renovat interiorem hominem, qui ex injusto fit justus, et ex inimico amicus Dei, ut sit heres secundum spem vitæ æternæ*, uti docet synodus Tridentina (1).

(1) *Sess.* 6 *de Justificat. cap.* 7.

§. IX. Gratiam sacramenta conferunt suapte vi et natura, sive, ut inquiunt theologi, *ex opere operato* (1).

Itaque non ex meritis suscipientis aut conferentis sacramentum vis ejus æstimatur, sed ea tota profluit a Christo, qui per ipsum opus, quod minister rite conficit, divinam gratiam hominibus tribui voluit (2). Qua in re sacramenta novæ legis valde differunt a veteribus, quæ tantum mediatoris fidem sustinebant, cum salus esset a fide suscipientium aut parentum, neque sua vi gratiam conferebant (3).

(1) Conc. Trid. *sess.* 7 *de Sacram. can.* 8.

(2) S. Aug. *lib.* 4 *contr. Cresc. cap.* 16 *col.* 493 *tom.* 9, *ed. Venet.* 1733 « Non eorum meritis docet, a quibus ministratur, nec eorum, quibus ministratur, constare baptismum, sed propria sanctitate atque veritate, propter eum, a quo institutus est. » Eadem habet Anastasius P. *ep. ad Anastas. imper. cap.* 8 *pag.* 274 apud Pithœum *cod. canon. Paris.* 1687. Consentiunt græci et latini Patres, quos cumulat Drouin *de re Sacramen. q.* 4 *cap.* 1. Ecclesia, ut hæc catholica veritas planius populo fideli proponeretur, invenit vocabulum *operis operati*, quo circa ætatem D. Thom. Aquinatis uti cœpit. Disputant vero inter se thomistæ et scotistæ de modo, quo sacramenta gratiam elargiuntur. Illi nimirum sacramenta causam *physicam* gratiæ esse contendunt, hi vero tantum causam *moralem*, hoc est non ipsis sacramentis velut inditam esse gratiam, sed per ea moveri Deum ad gratiam elargiendam; excepta Eucharistia, quæ ex se gratiam effundit, quoniam ipsum gratiarum fontem Christum continet.

(3) Apost. *ad Gal. IX v.* 9 vetera sacram. *infirma et egena elementa* vocat.

§. X. Non eodem modo sese gratia explicat in omnibus sacramentis. Nam quædam hominem mortuum veneno peccatorum, excitant et revocant ad vitam spiritualem, uti sunt Baptismus et Pœnitentia, quæ conferunt *primam gratiam*, et *mortuorum* sacramenta appellantur. Reliqua sacramenta *vivorum* dicuntur, quod dantur iis, qui vivi sunt gratiæ, eaque superfundunt *gratiam secundam*, prioris incrementum et robur.

§. XI. Præter gratiam, quæ communis est omnibus sacramentis, quædam sunt, quæ conferunt etiam characterem, hoc est notam quamdam impressam et insculptam animo, quæ deleri non potest (1). Hujusmodi sunt Baptismus, Confirmatio, Ordo, per quæ sacramenta, fixa certaque nota, efficimur aut Dei filii, aut Christi milites, aut christianæ religionis ministri ac sacerdotes. Et quia character semel animo impressus semper manet, idcirco tria hæc sacramenta nefas est iterare, iterantur cetera, quæ non imprimunt characterem.

(1) Concil. Trid. *sess.* 7 *can.* 9 *de Sacram.* Hujus signi et characteris satis perspicue meminit Apost. II *ad Cor. I. v.* 21 *et* 22 « Qui unxit nos Deus, ait, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris; » *et ad Eph. I v.* 13 *et* 14, *IV. v.* 30 « In quo et credentes, inquit, signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius. Nolite contristare Spiritum S. Dei, in quo signati estis in diem redemptionis. » Apostolicam hanc doctrinam explicatius tradiderunt antiqui Patres, præsertim S. Hermas pastor *lib.* 3 *simil* 9 *n.* 16 apud Cotel. *PP. Apost. p.* 120 *t.* 1 *ed. Amst.* 1724; S. Cypr. *ep.* 68 *p.* 258, *ed. Amst.;* S. Cyril. Hierosol. *catech.* 17 *n.* 35 *p.* 282, *et procatech. n.* 16 *p.* 12 *ed. Par.* 1720, quorum primus baptismum *sigillum filii Dei,* alter *signum* Dei, postremus *signaculum sanctum et indelibile* appellat. Diserte etiam S. Epiph. *hæres.* 8 *lib.* 1 *n.* 6 *t.* 1 *p.* 19 *ed. Colon.* 1682; S. Basil. *in exhort. ad Bapt. hom.* 13 *tom.* 2 *pag.* 117 *edit. Montfauc. Paris.* 1721; S. Joan. Damasc. *de fid. orthod. lib.* 4 *cap.* 9 *tom.* 1 *pag.* 261 *ed. Lequienii Venet.* 1748; S. Ambr. *de Spiritu S. lib.* 1 *cap.* 6 *n.* 79 *tom.* 4 *col.* 22 et S. Aug. *de Bapt. l.* 1 *c.* 1 *col.* 79 *et lib.* 6 *cap.* 1 *col.* 161 *lib.* 2 *contr. ep. Parmen. cap.* 13 *col.* 44 *et* 45, *et in Serm. ad Cæsareen. eccl. plebem, num.* 4 *col.* 620 *opp. tom.* 9 memorant characterem dominicum, seu sacramentalem, per quem Christiani distinguuntur. Falsus igitur est Espenius *par.* 2 *jur. eccl. tit.* 1 *de Sacram. in gener. cap.* 1 *num.* 11 *et* 13, cum apud Patres, aut in antiquis canonibus, de hoc charactere nihil solidi occurrere asseverat, adeo ut antiqui scholastici, cum pro charactere pugnarunt, tantum niti potuerint decretali Innoc. III *in cap.* 3 *de Bapt.* qua expresse definitum est Baptismo imprimi characterem.

§. XII. Rursus alia sacramenta singulis sunt necessaria vel omnino et *necessitate medii*, ut inquiunt, ita ut sine illis nemo æternam salutem consequi possit, qualia sunt Baptismus, qui necessarius est omnibus, ac pœnitentia, quæ est necessaria iis, qui post Baptismum crimen aliquod perpetrarunt; vel sola *necessitate præcepti*, quo fit ut contemni quidem, aut oblata refutari sine animæ detrimento nequeant, at, eorum suscipiendorum non oblato loco, impune omittantur. Hujusmodi sunt Confirmatio, Eucharistia et Extrema Unctio. Reliqua duo sacramenta, Ordo scilicet et Matrimonium, necessaria quidem sunt universo corpori ecclesiæ, non tamen singulis, cum nulla necessitas cogat singulos homines aut ordines suscipere, aut nuptias conciliare (1).

(1) Conc. Trid. *sess.* 7 *can.* 4 *de Sacram.*

§. XIII. Omnia sacramenta ministrum postulant et subjectum, illum scilicet, qui ea conferat, et illum, qui ea suscipiat. Utrumque soli homines præstant (1); sed non omnis homo ea conferendi habet potestatem, verum ii tantum, quibus id munus divina et ecclesiastica auctoritate datum est (2). Generatim sacramenta conferre episcoporum est et sacerdotum. Quædam tamen exigunt ministrum consecratum, quædam ministrum quemlibet habere possunt (3). Consecratum ministrum sacramenta omnia postulant, excepto Baptismo, qui a quocumque collatus valet (4), et excepto matrimonio, si vera est opinio illorum, qui putant, ejus ministros esse ipsos contrahentes (5).

(1) Quæsitum est in scholis, num soli viatores homines, an etiam Cœlites atque Angeli, sacramentorum ministri sint? Certe viatoribus tantum hominibus id munus a Christo datum, sacræ litteræ ostendunt, quod præ ceteris animadvertit Chrysostomus *de sacerd. lib.* 3 *n.* 5 *tom.* 1 *pag.* 383 *ed. Montf. Paris.* 1718, ideoque ab eo ministerio Cœlites atque Angelos exclusos habere

debemus; quamquam, uti docet D. Thom. *par.* 3 *q.* 64 *art.* 7 possit Deus, ubi velit, etiam Angelis extra ordinem hoc munus committere.

(2) Conc. Trid. *sess.* 7 *can.* 10 *de Sacram.*

(3) Discriminis ejus causas accurate cumprimis enucleateque nuper illustravit V. Cl. Fr. Hermanus Dominicus Christianopolus, Ord. Præd. in libro *della Nullità delle assoluzioni ne' casi riservati cap.* 2 *section.* 1 §. 3 *pag.* 142 *seqq.*

(4) *Can.* 21, 23, 24 *de Consecr. dist.* 4

(5) De hac quæstione suus erit agendi locus paulo post, cum de matrimonio disputabimus.

§. XIV. In conficiendis sacramentis ministri media tantum salutis exhibent et tractant, neque suam gerunt personam, sed Christi, qui eadem instituit, et a quo vis eorum procedit (1). Quare sive bonis, sive pravis imbuti sint moribus, sacramenta conficiunt et conferunt, modo id faciant, quod in sacro illo explendo munere catholica ecclesia fieri jubet. Hinc mali ministri sibi quidem æternam perniciem et mortem afferunt, cum sancta tractant impure, sed impedire non possunt fructum gratiæ, qua donantur, qui sacramenta recte suscipiunt (2).

(1) Conc. Trid. *sess.* 7 *de Sacram. can.* 12 *et sess.* 7 *de Bapt. can.* 4. *Magnum quidem est baptisma,* inquit S. Jo. Chrysost. *Hom.* 3 *in* 1 *ad Cor. num.* 2 *pag.* 18 *tom.* 10, *ed. Paris.* 1752, *sed non illud magnum facit is qui baptizat, sed qui in baptismate invocatur.* Confer etiam S. August. *de Baptismo contr. Donat. lib.* 3 *cap.* 10 *col.* 113 *et contr. Crescon. lib.* 3 *cap.* 8 *col.* 439 *tom.* 9, et S. Greg. Nazianz. *Orat.* 40 *in S. Baptisma pag.* 656 *tom.* 1, *edit. Paris.* 1690. Atque huc spectat S. Joan. I *v.* 33, et S. Paul I *ad Cor. I v.* 11 *et seq. et III v.* 4 *et seq.*

(2) « Memento ergo, ait Aug. *lib.* 2 *contr. litter. Petil. cap.* 47 *col.* 253 *tom.* 9, sacramentis Dei nihil obesse mores malorum hominum, quo illa vel omnino non sint, vel minus sancta sint. » Et *tr.* 5 *in Joan. n.* 18 *tom.* 3 *part* 2 *col.* 328 « Dedit baptismum, inquit, Judas, et non baptizatum est post Judam; dedit Joannes, et baptizatum est post Joannem. Quia si datus est a Juda baptismus, Christi erat; qui autem a Joanne datus est, Joannis erat. Non Judam Joanni, sed baptismum Christi, etiam per

Judæ manus datum, baptismo Joannis, etiam per manus Joannis dato, recte præponimus. » Atque hæc causa erroris fuit Novatianis, Donatistis, S. Cypriano et ceteris, quod non distinguentes externum sacramenti opus humanum ab interno effectu divino, perperam existimarint, effectum sacramenti necessarium ab homine ministrante, non a sacrificante Deo procedere, uti observat Aug. *de Bapt. contr. Donat. l.* 6 *c.* 1 *c.* 161 *t.* 9.

§. XV. Quamquam autem sacramenta opus non habeant ministri sanctitate, postulant tamen ejus intentionem, hoc est deliberatam voluntatem id quod agitur conficiendi (1). Quam intentionem scholæ triplicem faciunt *actualem,* quæ præsto est, cum ad id, quod agimus, animum appellimus et nihil omnino aliud cogitamus : *virtualem,* quæ adesse dicitur, cum ad aliquid primum animum adjunximus, neque postea voluntatem hanc revocavimus, sed adhuc in eo perseveramus, licet aliud cogitemus, cum rem ipsam agimus; denique *habitualem,* quam habet, qui nulla animi deliberatione, sed tantum consuetudine proclivis ad sacrum ministerium, atque alio distracto animo sacramentum administrat. Sane *actualis* voluntas efficacissima est, *virtualis* sufficit ad vim sacramenti, *habitualis* autem plane inutilis est (2).

(1) Conc. Trid. *sess.* 7 *can.* 11 *de Sacram.*

(2) S. Th. *part.* 3 *q.* 64 *art.* 8 sufficere ait *habitualem* intentionem *ad perfectionem sacramenti,* sed ei voluntas *habitualis* est, quam nos hodie *virtualem* appellamus.

§. XVI. Nam sacramentalis actio humano modo fieri debet; scilicet non more pecudum, sed certo ac deliberato animo, quod est proprium hominis, qui particeps rationis est. Atqui modum humanum non præstat habitualis intentio, quam habent etiam amentes, dormientes, ebrii, qui certe non humano agunt modo, nec cum judicio rationis, quidquid agunt. Ferri voluntas debet in ea, quæ Christus jussit quæ-

que facit ecclesia (1), eaque in hoc opere conficiendo, seria ac deliberata esse debet (2). Nam sacramenta, mimice et per jocum aut risus causa administrata, nulla et inania sunt.

(1) Conc. Florent. *in Instruct. ad Armenos* apud Labbeum *tom.* 18 *conc. col.* 547, *edit. Venet.*, concil. Trid. *sess.* 7 *de Sacram. in gener. can.* 11. Hinc inter ceteras propositiones ab Alexand. VIII proscriptas illa etiam refertur: « Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit, non intendo quod facit ecclesia. » Quamquam vero minister sacramentum conficiens debeat intendere, quod facit ecclesia, necesse tamen non est, eum etiam intendere id, quod ipsa intendit ecclesia, quæ per illum actum verum conferri sacramentum et gratiam sacramentalem docet. Scilicet si quis improbus minister, intus inclusa cogitatione, putet sacramentum non eam vim habere, quam habere censet ecclesia, sed tamen serio velit hos ipsos, quos ecclesia adhibet, externos ritus peragere, hæc intentio faciendi id, quod facit ecclesia, non quod ea intendit, satis quidem habetur ad vim sacramenti. Audiendus ea de re D. Thom. *par.* 3 *q.* 64 *art.* 9, cujus hæc verba sunt: « Si quis patiatur fidei defectum circa ipsum sacramentum, quod exhibet, licet credat per id quod agitur exterius, nullum sequi interiorem effectum, non tamen ignorat, quod ecclesia catholica intendit per hujusmodi, quæ exterius aguntur, præbere sacramentum. Unde non obstante infidelitate, potest intendere facere id, quod facit ecclesia, licet æstimet id nihil esse. Et talis intentio sufficit ad sacramentum. » Ita ecclesia ratum firmum habuit baptismum collatum a Pelagianis, licet ipsi non cogitarent de delendo originali peccato, quod negabant; et ita S. Pius V approbavit baptismum Calvinianorum, licet ipsi intentionem non haberent baptizandi in remissionem peccatorum. Nam *ad sacramenti integritatem nihil interesse* docet August. *de Bapt. lib.* 7 *cap.* 53 *col.* 202 *tom.* 9, quæ sit fides ministrorum. Confer etiam eumdem Aug. *ep.* 98 *ad Bonifac. num.* 5 *col.* 265 *t.* 2. Ambros. Catharinus e Dominicanorum familia in eo, quem in vulgus edidit, cum Trid. synodus haberetur, libello *de intentionis externæ sufficientia*, contendit, ad sacramentum rite et recte administrandum satis esse, quod minister intentionem habeat serio perficiendi ritum externum, qui ab ecclesia adhibetur, quamquam interius dicat se nolle facere quod facit ec-

clesia, modo exterius serio agat, nulloque signo pravam suam voluntatem ostendat. Sententia hæc a Trid. synodo damnata non est, sicuti monet Card. Palavicinus *in Hist. conc. Trid. lib.* 9 *cap.* 6 *num.* 2; sed tamen a decreto Alexandri VIII, cujus nunc facta mentio est, *grave vulnus* accepit, uti inquit Bened. XIV, qui de *syn. diœc. lib.* 7 *cap.* 4 ea de re accurate disputat. Sunt tamen, qui Catharini sententiam ita explicant, ut eam nullo modo proscriptam atque improbatam fuisse defendant; et hi præsertim sunt Hyacinthus Serry *in vindic. Catharin.;* Juenin *de Sacram. dist.* 1 *q.* 5 *art.* 3; Drouin *de re Sacram. lib.* 1 *q.* 7 *cap.* 3 *sect.* 2 §. 1 *et* 2.

(2) Lutherus *lib. de Captiv. Babylon. cap. de Bapt.,* quique ejus deliramenta sequutus est Kemnitius *par.* 2 *exam. concil. Trid.* etiam per jocum collatum sacramentum valere existimarunt. Sed gravissimum errorem damnavit Leo X *in bulla Exurge Domine* 44 *art.* 12 *pag.* 498 *tom.* 3 *bull. Rom. ed. ult. indic.,* et conc. Trident. *sess.* 14 *de Sacram. pœnit. can.* 6. Quod de S. Athan. narrant Socrates *Hist. eccles. lib.* 1 *cap.* 15 *pag.* 44, et Sozom. *lib.* 2 *cap.* 17 *pag.* 67 *edit. Vales. Cantabr.* 1720, id vel falsum est, vel si etiam verum sit, baptismus ab Athanasio, non per jocum, sed serio ac vere collatus haberi debet, sicuti observant PP. Maurini *in vit. Athanasii tom.* 1 *pag.* 9. *ed. Patavii* 1777. Fabulosum est etiam, quod de mimico Genesii ac Dioscori baptismo narratur; qua de re vide Juenin *de Sacram. diss.* 1 *quæst.* 6 *cap.* 1 *de Sacram. in genere.*

§. XVII. Nec tantum dantis, sed etiam accipientis sacramentum intentio est necessaria, ut illud valeat. In infantibus et perpetua amentia laborantibus nulla voluntate opus est; sed hi in fide, in voluntate Christi et Ecclesiæ sacramentum recte suscipiunt (1). Adulti, qui integra mente sunt, habere debent intentionem sacræ in ecclesia rei suscipiendæ (2); iis vero, quos ratio defecit, vel quod in amentiam inciderunt, vel quod vi graviore morbi opprimuntur, sacramenta tribuit ecclesia, cum in vitæ discrimine versantur, modo cum bene valebant, sacramenti suscipiendi voluntatem significaverint (3).

(1) *Can.* 7, 8 *et* 74 *dist.* 4 *de Consecr. c.* 3 *de Bapt.;* Conc. Trid. *sess.* 7 *de Bapt. can.* 13 *et* 14; Catechismus Rom. *part.* 2 *cap.* 2 §. 33; S. Th. *p.* 3 *q.* 68 *art.* 9.

(2) Quamquam enim sacramentum accipiens patiatur actionem, quam minister exercet : « Non est tamen, inquit D. Th. *par.* 3 *q.* 68 *art.* 7, passio illa coacta, sed voluntaria, et ideo requiritur intentio recipiendi id, quod ei datur. » Vide etiam decretalem Innoc. III *in cap.* 3 *de Bapt.*

(3) Conc. Arausic. I *can.* 12 apud Labb. *tom.* 4 *col.* 703 *ed. Venet.;* S. Leo M. *ep.* 84 *ad Theodor. episc. cap.* 4 *pag.* 329 *par.* 2 *edit. Romæ* 1755; S. Thomas *opusc.* 65 §. *de extrem. unct. et in summa par.* 3 *quæst.* 68 *art.* 12; Catechismus Rom. *par.* 2 *cap.* 2 §. 39; Rituale Pauli V *tit. de Baptismo adult.* Quod si voluntas, quam pridem habebant æger aut amens, ita incerta sit et obscura, ut nemo de ea testimonium ferre possit, tunc morienti danda potius, quam deneganda sacramenta censet Aug. *de Conjug. adulterin. lib.* 1 *cap.* 26 *col.* 403 *tom.* 6, licet alii id quidam negent, ex illo Christi præcepto, apud Matth. VII *v.* 6 : « Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos. »

§ XVIII. Sacramentorum omnium, uti diximus, auctor Christus (1), ipseque constituit singulorum materias et formas, quæ *substantiales* dicuntur (2). Quæ a Christo sunt constituta, mutari ab ecclesia nequeunt; sed tamen ipsa potest, salva sacramentorum substantia, quibusdam addere certas conditiones, quas omnino servare oportet, ut sacramentum valeat (3). Ritus etiam et cæremonias sacramentorum, accepta a Christo potestate, Ecclesia constituit (4) et hi ritus, aut cæremoniæ sine piaculo omitti non possunt; quamquam si omittantur, valeat sacramentum, quoniam intimam rei naturam non attingunt (5).

(1) « Si quis dixerit, inquit synodus Trid. *sess.* 7 *can.* 1 *de Sacram. in gen.*, omnia sacramenta novæ legis non fuisse a Jesu Christo Domino nostro instituta, anathema sit. » Quibus verbis synodus catholicum dogma stabilivit, sed expresse noluit definire, mediatane, an immediata omnium sacramentorum institutio a Christo sit repetenda. Nam Alex. de Hales, Hugo a S. Victore, Petr. Lombardus, aliique nonnulli theologi concilio Tridentino antiquiores, putarunt confirmationis et extremæ unctionis immediatum auctorem non esse Christum, quoniam nullus est Scripturæ locus, quo hæc divina institutio referatur. Trid., inquam,

syn. id expresse noluit definire, sed tamen multa sparsim constituit, ex quibus patet, Christum immediatum omnium sacramentorum auctorem esse habendum; in primis autem *sess.* 14 *cap.* 1 *de extr. unct.* expressis verbis declaravit, sacramentum extremæ unctionis fuisse *a Christo Domino nostro institutum et a B. Jacobo apostolo promulgatum.* Quibus verbis Christo institutio, Jacobo tantum promulgatio tribuitur. Atque omnes quidem, qui post conc. Trid. floruerunt, theologi immediatum omnium sacramentorum auctorem Christum esse defendunt et contrariam sententiam vix jam temeritatis notam effugere posse sentiunt. Consule Tournelyum *prælect. theolog. de Sacram. in gener. q.* 5 *art.* 1, Juenin *de Sacram. diss.* 1 *q.* 4 *de Sacram. in gener.*, et Drouin *de re Sacram. lib.* 1 *qu.* 6 *per tot.* Neque obest silentium Scripturæ, cum id doceat divina traditio, ac verbum Dei, sive scriptum, sive traditum, parem habeat auctoritatem; et huc referendus D. Th. *p.* 3 *q.* 64 *art.* 2 *ad* 2.

(2) Atque hæc quidem, quæ a Christo stabilita est materia et forma sacramentorum, quæ *substantialis* dicitur, mutari non potest. Ita in baptismo alia nequit adhiberi materia, quam aqua naturalis, neque aliis verbis hoc sacramentum conferri potest, quam illis, quæ Christus constituit, scilicet *in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti.* Modo tamen integra sit materiæ et formæ substantia veritati sacramenti nihil detrahit mutatio, quæ *accidentalis* dicitur. Ita in baptismo nihil refert, num aqua sit frigida, an calida; atque in Eucharistia tum azymum, tum fermentum rite consecratur. Similiter græci in quibusdam sacramentis adhibent deprecativam formam, quæ latinis indicativa est; sed utraque forma vim eamdem habet et utraque eodem redit, licet verba diversa sint. Confer Juenin *de Sacram. diss.* 1 *qu.* 3 *cap.* 3, et Drouin *de re Sacram. lib.* 1 *q.* 1 *cap.* 1 §. 5.

(3) Conc. Trid. *sess.* 21 *cap.* 2 *de Commun.*

(4) Apostolos sacrorum rituum instituendorum potestatem a Christo accepisse, manifestum est ex Paulo I *ad. Cor. XI,* ubi postquam multa de Eucharistiæ institutione, ejusque celebratione a Domino accepta præscripsit, *Cetera,* inquit *vers.* 34, *cum venero disponam.* Ipsa hæe verba expendenti Augustino *ep.* 54 *seu lib.* 1 *ad inquisit. Januar. cap.* 6 *col.* 127 *tom.* 2, *ed. Maurin. Ven.* 1729, videtur Dominus *ideo non præcepisse quo deinceps ordine sumeretur* Eucharistia, *ut apostolis per quos ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum.* Atque potestatem a Christo datam apostolis in spirituali fidelium regimine, legitima successione ad ecclesiam transmissam, inter omnes constat. Atque hanc sibi quidem inesse potestatem, Ecclesia et declaravit et fac-

tis demonstravit. Synod. Trident. *sess.* 21 *cap.* 2 « Declarat hanc potestatem perpetuo in ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum veneration, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire judicaret. » Quam potestatem habere se Ecclesia verbo declaravit, eamdem quovis tempore exercuit, uti ex antiquis scriptorum eccl. monumentis perspicuum est. S. Justin. M. *Apol.* 1 *num.* 65 *pag.* 82 *seqq. ed. Paris.* 1742 cæremonias memorat ab ecclesia præscriptas in Eucharistia conficienda ac distribuenda. Baptismi ritus describit Tertull. *de Bapt. n.* 7 *et seq. pag.* 226 *ed. Venet.* 1744. Cyrillus Hierosol. in suis mystagogicis catechesibus cæremonias, quæ apud Orientales vigebant, catechumenos docet. Aug. non semel explicat vim exorcismorum, qui ante Baptismum adhibebantur. Mitto ceteros Patres. Tantum indicabo testimonium Tertull., qui *lib. de Corona cap.* 3 *pag.* 102 *ed. cit.*, traditionis necessitatem vindicat, exemplo rerum multarum, quas sua ætate ecclesia observabat, quamquam scriptæ non essent. Idem quoque confirmant euchologia græcorum et rituales libri latinorum, ex quibus intelligimus, multas lapsu temporum cæremonias ab ecclesia institutas, earumque observandarum legem ministris impositam. Confer Claris, Zaccariam *Bibl. Ritual. diss. de jur. liturgic. tom.* 1; Laur. Bertium *de Theolog. discipl. lib.* 30 *cap.* 23 *tom.* 5 et Salam *in not. ad Bonam rer. liturgic. lib.* 1 *cap.* 18 §. 1 *pag.* 2 *t.* 1 *ed. Taurin.* 1749, ubi plura etiam discribuntur testimonia hæreticorum, qui hanc veritatem plus semel fateri debuerunt.

(5) Conc. Trident. *sess.* 7 *de Sacram. in gener. can.* 13 et Catechismus Rom. *p.* 2 *c.* 1 §. 13. Quid tamen agendum sit, cum necessitas non omnes adhibere sinit cæremonias ab ecclesia præscriptas, rituales libri demonstrant.

§. XIX. Ab ipsa sane apostolorum ætate sacramentis extrinsecus accesserunt solemnes quidam ritus et cæremoniæ, quibus major ipsis adjungitur reverentia, et eorum sanctitas altius in hominum animis imprimitur et necessarius in ecclesia ordo sustentatur (1). Earum cæremoniarum non eadem omnium antiquitas est. Quædam enim ab ipsis apostolis originem repetunt (2), atque has propter auctoritatem, unde manarunt, ubique retinet ac diligenter custodit Eccle-

sia, quamquam sacramenti naturam non constituant. Sic ex. gr. signum crucis in omnium administratione sacramentorum ubique præscribitur (3), et ubique etiam sacramentorum materiæ mysticis benedictionibus consecrantur.

(1) Confer conc. Trid. *sess.* 22 *cap.* 5 *de Sacrif. Miss.*, et Catechismum Roman. *lib.* 2 *cap.* 1 §. 18, et confer Drouin *de re Sacram. lib.* 1 *quæst.* 7, et Gagliardum *Inst. can. lib.* 2 *tit.* 3, qui de sacris his ritibus et cæremoniis late contra hæreticos disputant.

(2) Protrita est Augustini *ep.* 54 *ad Januar. num.* 1 *tom.* 2 regula, quod ab Apostolis repetenda sunt ea, quæ semper in ecclesia observata esse constat, et quorum initium demonstrari non potest. Atque huc refer Tertul. *de Corona cap.* 4 *pag.* 102 *ed. Rigaltii Paris.* 1675; S. Basil. *de Spiritu Sanct. cap.* 27 *tom.* 3 *pag.* 55 *edit. Paris.*; S. Cypr. *ep.* 63 *ad Cæcilium pag.* 100 *edit. Paris.* 1666.

(3) « Quod signum nisi adhibeatur, inquit S. August. *Tr.* 118 *in Joan. col.* 801 *tom.* 4 *par.* 2, sive frontibus credentium sive ipsi aquæ, qua regenerantur, sive oleo, quo chrismate unguntur, sive sacrificio, quo aluntur, nihil eorum rite perficitur. »

§. XX. Quasdam autem cæremonias consequenti ætate adjunxit ecclesia et hæ quidem non eædem ubique sunt. Nam suos habent peculiares ritus Latini, Græci, Orientales : quin et in Occidente non una omnium ecclesiarum ea in re consensio est. Non enim in omnibus rebus iidem sunt ritus ecclesiæ Romanæ, Mediolanensis, Hispanicæ, Gallicanæ; quod in ceteris etiam Orientis atque Occidentis partibus evenire, ex omnium libris ritualibus compertum est. Romana ecclesia, reliquarum mater et magistra, permittit aut tolerat hanc rituum diversitatem, quæ non officit unitati fidei (2), quæ omnibus una est, licet dissimiles sint populorum mores et consuetudines (2).

(1) « In una fide nihil officit sanctæ ecclesiæ consuetudo diversa, » inquit S. Greg. M. *ep.* 43 *ad Leandr. lib.* 1 *col.* 532

tom. 2. Ad hunc locum pertinent etiam Aug. *ep.* 36 *ad Casulanum cap.* 9 *col.* 77 *tom.* 2 cum ait: « Omnis enim pulchritudo filiæ regis, intrinsecus; illæ autem observationes, quæ varie celebrantur, in ejus veste intelliguntur. Unde ibi dicitur: in fimbriis aureis circumamicta varietate. » Vide etiam S. Hier. *ep.* 71 *ad Lucinum Bœticum num.* 6 *col.* 432 *opp. tom.* 1.

(2) De græcis, qui latinis subjecti episcopis in Italia finitimisque insulis commorantur, multæ sunt editæ summ. Pontificum constitutiones, per quas ipsis sui ritus permittuntur, ac præterea cavetur, ut neque græcus ad latinum ritum, neque latinus ad græcum sine auctoritate sedis Apost. transire possit. Sed omnium celeberrima est *Const. Et si pastoralis.* 57. Benedicti XIV *tom.* 1 *ejus. bullar. pag.* 101 qua omnia, quæ ad hanc rem pertinent, accurate explicata ac definita sunt.

SECTIO I.

De Baptismo.

XXI. Baptismus Joannis.
XXII et XXIII. Baptismus Christi, et ejus materia remota.
XXIV et XXV. Materia proxima ablutio, eaque triplex.
XXVI. Baptismi forma.
XXVII. Minister.
XXVIII. Baptizantur tam infantes, quam adulti.
XXIX. Catechumenorum gradus.
XXX. Audientes.
XXXI. Genuflectentes et competentes.
XXXII. Catechistarum officium.
XXXIII. Catechumeni ad Baptismum accedentes.
XXXIV et XXXV. Cæremoniæ in baptismo adhibitæ.
XXXVI. Sponsores seu Patrini.
XXXVII, Qui eo munere fungi possint?

§. XXI.

Primus ex christianis sacramentis Baptismus est, qui ita dicitur a græco verbo βάπτιζειν latine *mergere, abluere.* Itaque Baptismus ablutio est. Prophetarum ultimus Joannes Baptista ante Christum missus, ut

baptizaret in aqua (1), prædicavit Baptismum pœnitentiæ, et qui sua confitebantur crimina, baptizavit in remissionem peccatorum proxime futuram in Christo Jesu (2). Verum hic Baptismus neque gratiam conferebat, neque imprimebat characterem (3), neque *erat per se sacramentum, sed quasi quoddam sacramentale disponens ad Baptismum Christi* (4), cui decebat homines assuefacere, eosque ad hoc sacramentum rite et recte suscipiendum per pœnitentiam præparare (5).

(1) Joan. 1 *v.* 33, Marc. I *v.* 8.

(2) « Agebatur itaque a Joanne, inquit Tertull. *de bapt. cap.* 10 *pag.* 228 *ed. Venet.* 1744, baptismus pœnitentiæ, quasi candidatus remissionis et sanctificationis in Christo subsecuturæ. Nam quod prædicabat baptismum pœnitentiæ in remissionem delictorum, in futuram remissionem enuntiatum est: siquidem pœnitentia antecedit, remissio subsequitur et hoc est viam præparare: qui autem præparat, non idem ipse perficit, sed alii perficiendum procurat. » Vide S. Hier. *ep.* 69 *ad Oceanum num.* 6 *opp. tom.* 1 *col.* 418 *et Cont. Lucif. num.* 7 *col.* 179 *tom.* 2; S. Jo. Chrys. *in Matth. hom.* 11 *c.* 4 *tom.* 7 *pag.* 154; S. Cyrillum Alex. *in Joan. cap.* 3 *vers.* 22 *et cap.* 4 *vers.* 1 *tom.* 4 *pag.* 156 *et* 175 *ed. Paris.* 1657; S. August. *in Ench. cap.* 49 *col.* 214; S. Ambros. *in Luc. lib.* 2 *num.* 79 *et lib.* 10 *num.* 140 *pag.* 784 *et* 1095 *tom.* 2.

(3) « Ego quidem, inquit ipse Joannes apud Matth. III *v.* 11, baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare: ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni. » Eadem habentur apud Marc. I *v.* 8, Luc. III *v.* 16, Joan. I *v.* 26 *seq.* Quare Paulus Apostol. eos, qui Joannis baptismum acceperant, denuo baptizatos in nomine Christi voluit Act. XIX *v.* 1 *et seq.* « Itaque non renascebantur, inquit Aug. *loc. cit.*, qui baptismo Joannis baptizabantur, sed Christo, in quo solo renasci poterant, parabantur.

(4) S. Th. *in summa p.* 3 *q.* 38 *art.* 1 *ad* 1; ac vide totam hanc *quæst.* 38, ubi de Joannis baptismo solide disputatur.

(5) Petilianum donatistam, qui unum Christi et Jo. baptismum esse putabat, cujus tres faciebat gradus, cum aquam a Joanne, Spiritum Sanctum a Christo, ignem a Spiritu Sancto

datum diceret, acriter refellit S. August. *contr. litter. Petilian. lib.* 2 *cap.* 32 *et seqq. coll.* 239; Buccrum autem, Melanch., Zuinglium, Calvinum, ceteros hæreticos, qui utriusque baptismi vim eamdem esse arbitrabantur, profligavit synodus Tridentina *sess.* 7 *de baptismo can.* 1 his verbis: « Si quis dixerit, baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum baptismo Christi, anathema sit. » Confer Tournelyum *prælect. theolog. de sacram. bapt. q.* 1 *art.* 5; ac vide etiam Drouin *de re sacram. lib.* 2 *q.* 5 *cap.* 1 §. 4; ubi quæritur, num baptismus Joannis peccata dimitteret.

§. XXII. Verum ac proprium sacramentum est Christi baptismus, a quo *incipit omnis fidei origo, et ad spem vitæ æternæ salutaris ingressio* (2). Definitur in catechismo Romano (2) *sacramentum regenerationis per aquam in verbo.* Triplex baptismus distinguitur, *aquæ, sanguinis et flaminis,* seu *desiderii.* Baptismus *aquæ* vere sacramentum est, reliqui duo *flaminis* scilicet atque *sanguinis,* vicem baptismi præstant, et ideo per similitudinem ejus nomen acceperunt. Nam qui pro Christo martyrium patitur, qui *sanguinis* baptismus est, et qui moriens, ubi copia baptismi non est, peccata dolet ac baptismum desiderat, qui *flaminis* baptismus dicitur, ipsos sacramenti fructus, etiam sine sacramento, consequuntur (3). Remota baptismi materia est aqua naturalis, quæ cum ubique præsto sit, maxime est idonea ad sacramentum omnibus necessarium, quæque demonstrat ejus virtutem, per quam animæ sordes eluuntur (4). Quævis autem aqua naturalis, quæ mixtione, aut artificio in aliam naturam non migraverit, apta baptismo erit, sive ea maris sit, sive fluvii, sive putei, aut paludis, aut fontis (5).

(1) S. Cypr. *ep* 73 *ad Jubaj. pag.* 125, *ed. Paris* 1666.

(2) Catechism. Rom. *part.* 2 §. 5. « Quid est Baptismus Christi? inquit August. *Tr.* 15 *in Joan. num.* 4 *col.* 408 *tom.* 3 *part.* 1 Lavacrum aquæ in verbo. Tolle aquam, non est baptismus; tolle verbum, non est baptismus.

(3) Conc. Trid. *sess.* 6 *de Justif. cap.* 4; S. Ambr. *in Orat. de obitu Valentin. Imp. num.* 51 *col.* 265 *tom.* 4 *ed. Venet.* 1751; S. Aug. *de baptism. contr. Donatist. lib.* 4 *cap.* 22 *col.* 159 *tom.* 9; Basilius *de Spiritu S. cap.* 1 *pag.* 30 *tom.* 3 *edit. Paris.;* S. Cyprianus *de Exhort. martyr. pag.* 118, *ed. Amst.* 1700; S. Thom. *par.* 3 *q.* 66 *art.* 12.

(4) Catechismus Romanus *loc. cit.* §. 10.

(5) Id. Catech. *ib.* §. 7. Quod si Joannes Baptista apud Matth. III *v.* 11 Christi baptismum Spiritu Sancto et igne constare prædixit, id non de materia hujus sacramenti intelligendum est, sed « Vel ad intimum Spiritus Sancti effectum, ut inquit idem Catechismus *loc. cit.* §. 8, vel certe ad miraculum referri debet, quod die Pentecostes apparuit, cum Spiritus Sanctus e cœlo in apostolos ignis specie delapsus est. » Synod. Trident. *sess.* 7 *de Baptismo can.* 2 « Si quis dixerit, inquit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa Domini Nostri Jesu Christi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit. » Quibus verbis synodus execratur Calvinum, qui ad metaphoram detorquebat ea, quæ de aqua naturali a Christo dicta sunt, ac Lutherum, qui vinum etiam baptismo aptum putabat. Neque ulla habenda ratio est cujusdam rescripti, quod editum ferunt a Stephano III P. apud Sirmondum *conc. Galliæ tom.* 2 *pag.* 15 *ed. Paris.* 1629, et quo probatur baptismus, qui in vino datus fuerat puero, qui in vitæ discrimine versabatur. Nam falsum hoc rescriptum esse omnes norunt, primum quod nullus Patrum ejus rescripti meminit, deinde quia verisimile non est, summum Pont. in re protrita tam graviter errare potuisse, postremo quia de ejus rescripti auctore non constat, atque illud duo Mss. Codices Stephano II, tertius Siricio adscribit. Consule Ant. Augustinum *de emend. Gratian. lib.* 1 *dialog.* 18 *tom.* 3 *pag.* 90 *ed. Lucæ* 1767, ibique Baluzium *in notis*, et Natalem Alex. *Hist. eccles. sæc.* 8 *cap.* 1 *art.* 6 *pag.* 7 *edit. Venet.* 1776.

§. XXIII. Aquam benedici vetus ecclesiæ disciplina est (1); atque hæc quidem est benedictio, quam Patres aquæ *sanctificationem* et *consecrationem* appellarunt (2). Duobus diebus a latinis, nempe sabbatis Sancto et Pentecostes (3), a græcis autem in singulis baptismis aquæ benedicuntur. Signantur signo crucis (4), et certæ ab Ecclesia institutæ preces in ea benedictione adhiben-

tur (5); quod utrumque antiquissimæ consuetudinis est. Aquæ adjicitur chrisma, quod magis explicat vim sacramenti; sed tamen hoc valet etiam collatum in aqua naturali, quæ nihil aliud admixtum habet (6). Multitudo baptizandorum sæpe olim faciebat, ut ad omnes abluendos satis aquæ non esset, et ideo nova per canales in baptisterium infundebatur (7).

(1) S. Basil. de Spiritu S. *cap.* 27 *pag.* 55 *tom.* 3; S. Greg. Nyssen. *de baptism. Christ. pag.* 803 *tom.* 2 *ed. Paris.* 1615; S. Cyrill. Hierosol. *Catech.* 3 *n.* 3 *pag.* 40 *et seq. edit. Paris.* 1720; S. Ambr. *de Sacram. lib.* 1 *cap.* 5 *col.* 433 *et* 444 *opp. tom.* 3, *et Spirit. S. lib.* 1 *cap.* 7 *num.* 88 *col.* 25; Theophilus *ep. Pasch. I Biblioth.* PP. *tom.* 5 *pag.* 886 *edit. Lugd.*; Victor Viten. *de Persec. Vandal. lib.* 2 *p.* 633 *tom.* 8 *indic. Biblioth.* Neque vero extra casum necessitatis conferre licet baptismum cum aqua communi, vel ea, quæ pro lustrationibus benedicitur, Ben. XIV *Const. Inter omnigenas* 89 §. 20 *tom.* 1 *bull. p.* 186.

(2) Tertull. *de baptism. cap.* 4 *pag.* 225; S. Cypr. *epist.* 70 *pag.* 300; S. Ambros. *de Myster. cap.* 3 *num.* 8 *col.* 409 *opp. tom.* 3; S. Aug. *de bapt. lib.* 6 *cap.* 25 *col.* 175 *tom.* 7; Auctor operis *de Hierarch. eccl. cap.* 2 §. 7 *pag.* 253 *tom.* 1.

(3) Confer S. Carolum Borr. *Instr. de bapt. Act. eccl. Mediol. part.* 3 *tom.* 1 *pag.* 421, *ed. Patavii* 1754.

(4) Auctor operis *de eccles. hierarch. loc. cit.*, S. Aug. *Serm.* 352 *num.* 3 *col.* 1564 *tom.* 5.

(5) Preces ad sanctificandum aquam olim adhibitas describit Auctor *Constit. Apost. lib.* 7 *cap.* 43, apud Cotelerium *PP. Apostol. tom.* 1 *pag.* 384, *ed. Amstel.* 1724. Hinc *deprecari super aquam baptismi*, apud S. Aug. *lib.* 5 *cap.* 20 *de Bapt. col.* 155 *tom.* 9.

(6) Catechismus Romanus *par.* 2 *cap.* 2 §. 11.

(7) Consule Martenium *de Antiq. eccles. rit. lib.* 1 *cap.* 1 *art.* 14 §. 3 *tom.* 1 *pag.* 48, *ed. Antv. seu Ven.* 1763. Atque ad hanc consuetudinem *aquam vivam blando murmure* decurrentem, quam memorat S. Zeno *Tr.* 35 *lib.* 2 *pag.* 246 *tom.* 1 *ed. August. Vind. an.* 1758, referendam putant fratres Ballerinii *ib. not.* 3.

§. XXIV. Proxima materia est ipsa ablutio, cujus

triplex est modus : *aspersio, effusio, immersio.* Fuerunt olim, qui dubitarent de vi baptismi per *aspersionem,* aut *effusionem* dati (1); sed eum valere certum est, cum *immersio, aspersio, effusio* diversi quidem sint ablutionis modi, revera tamen nihil distent (2). Dubitatio hæc de baptismo per aspersionem, effusionemve collato, satis claro argumento est, olim baptismum per immersionem conferri consuevisse. Et certe fuit hæc vetus ecclesiæ disciplina, ut baptismum suscepturi, sive mares essent, sive fœminæ, sive adulti, sive infantes, vestibus exuti atque omnino nudi (3) ter in aqua toto corpore mergerentur et inde educerentur (4).

(1) Confer Cornelium Pap. *ep.* 9 *ad Fabium Antioch. num.* 5 *et* 6 *col.* 154 *et* 155 apud Coustantium *ep. Roman. Pontif., et* S. Cyprian. *ep.* 76 *ad Magnum pag.* 368 *et seq., ed. Ven.* 1758.

(2) Vide Catechismum Rom. *part.* 2 *cap.* 2 §. 17. Antiquitus etsi baptismus immersione dari soleret, tamen interdum effusionem adhibitam fuisse constat; quod luculentissimo argumento est, ecclesiam semper firmum ratum habuisse baptismum, sive per immersionem, aut aspersionem, aut effusionem ablutio fieret. Ita cum Petrus, ceterique apostoli hominum ter mille baptizarunt, sicuti narratur in act. apost. *II. v.* 37 *et seq.,* videntur dedisse baptismum per aspersionem, aut effusionem, cum verisimile non sit, tantam hominum multitudinem tam brevi tempore in aquam immergi potuisse. S. Cyprian. *loc. cit.* multis ostendit, valere baptismum, quem ægri aspersione, aut effusione susceperant; quam sententiam veluti sua ætate certissimam approbat et sequitur S. Aug. *de baptismo contr. Donatist. lib.* 6 *cap.* 7 *col.* 165 *opp. tom.* 9. Eadem est sententia conc. Neocæsar. *Can.* 12 apud Labbeum *tom.* 1 *Conc. col.* 1516 *ed. Ven.;* Antissiodor. *Can.* 18 *tom.* 6 *col.* 644; Matiscon. II *Can.* 3 *col.* 674 *tom.* 6; Paris. IV *Can.* 7 *col.* 714 *tom.* 9 et idem sæc. IX tradidit Walfridius Strabo *de Reb. eccl. cap.* 26 *col.* 692 *Bibl. PP. tom.* 10 *ed. Paris.* 1624. Huc etiam spectant acta S. Laurentii apud Surium *de vitis SS. mensis Aug. pag.* 96 *ed. Col.* 1718, ubi agitur de baptismo per effusionem dato, et huc similia exempla, quæ refert Martenius *de Antiq. eccles. lib.* 1 *cap.* 1 *art.* 14 §. 5 *tom.* 1 *pag.* 49, *ed. Antv. seu Ven.* 1773. Ex qui-

bus manifestum est, etiam baptismum aspersione, aut effusione collatum semper validum habitum fuisse; licet antiquitus in eo conferendo immersio adhiberetur.

(3) S. Joan. Chrys. *hom.* 6 *in Coloss. num.* 4 *tom.* 11. *p.* 369 *ed. Paris.;* S. Cyrillus Hierosol. *Catech. mystagog.* 2 *part.* 311 *ed. Paris.* 1720; S. Ambr. seu potius Auctor *Serm.* 19 *num.* 3 *tom.* 4 *opp. Ambr. col.* 514 *edit. Venet.* 1715; S. Zeno *tract.* 35 *lib.* 2 *pag.* 248 *tom.* 1 *edit. Ballerin. Aug. Vind.* 1758. Verum ne quid in rei tam sanctæ administratione aspiceretur non decori, duo præsertim erant antiquis regulis constituta. Primum erat, ut viri ac mulieres separatim baptizarentur et ideo vel in baptisteriis duo erant conclavia, alterum pro viris, alterum pro fœminis, vel alio tempore mares, alio fœminæ baptismum suscipiebant. S. Aug. *de Civ. Dei lib.* 22 *cap.* 8 *col.* 665 *tom.* 7; Hugo Menardus *in S. Greg. Sacramentar. col.* 382 *tom.* 3 *edit. Maur. Paris.* 1705; Albin. Flaccus *de Divin. Offic. de Sabbato S. Paschæ col.* 258 *Bibl. PP. t.* 10 *ed. Paris.* 1624. Alterum erat, ut diaconissæ præsto essent fœminis baptismum susceptu-ris, ac per eas muliebri verecundiæ consuleretur; S. Epiphan. *hæres.* 59 *sive* 79 *advers. Collyrid. num.* 3 *tom.* 1 *pag.* 1060 *ed. Col.* 1682.

(4) Trinam hanc immersionem memorant omnes antiqui Patres, inter ceteros Tertull. *de Coron. cap.* 3 *pag.* 102 *et adv. Praxeam cap.* 27 *pag.* 516 *ed. Rigaltii Paris.* 1675; S. Joan. Chrys. *hom.* 25 *in Joan. num.* 2 *t.* 8 *pag.* 146 *ed. Paris. cit.;* S. Cyrillus Hierosol. *catech.* 20 *num.* 4 *p.* 312 *ed. Paris.* 1720; S. Greg. Nyss. *de Bapt. Christ. pag.* 804 *t.* 2 *ed. Paris.* 1615; S. Ambr. *de Sacram. lib.* 2 *cap.* 7 *num.* 20 *col.* 452 *tom.* 3. Hanc autem aquam aliquantulum calefactam fuisse, ne qui toto corpore mergebantur, ac præsertim pueri, aliquid ex nimio frigore caperent detrimenti, non obscure demonstrat S. Zeno *tr.* 35 *lib.* 2 *pag.* 246 *indic.* edit., cum memorat aquam in baptisterio *igne dulcissimo temperatam.* In unaquaque immersione non integra baptismi forma pronunciabatur, sed unius personæ nomen appellabatur, ut colligitur ex Tertull. *lib. advers. Praxeam cap.* 27 *pag.* 516, ex S. Ambr. *de Sacram. lib.* 2 *cap.* 7 *tom.* 3 *col.* 452 et ex rituali Rom., ubi præscribitur: « Puerum baptizet dicendo: Ego te baptizo in nomine Patris et semel immergat, et Filii et secundo immergat, et Spiritus Sancti amen, et tertio immergat. » Idem patet ex Euchologio græcorum.

§. XXV. Quæ immersio et eductio repræsentabat Christi mortem et resurrectionem (1); eaque triplex

erat, ut triduana Christi sepultura fideique professio in Sacrosanctam Trinitatem indicarentur (2). Erat tamen hæc trina immersio præcepti ecclesiastici, cujus violati pœnas dabat, qui eam neglexisset (3); verum ad vim, ad necessitatem sacramenti non pertinebat (4). Græci nunc etiam in conferendo baptismo immersionem retinent; sed Latini post sæcul. XII effusionem adhibere cœperunt, cum illa nudati corporis immersio, præsertim infantibus, gravis et periculosa deprehenderetur (5). Abluendum est autem præsertim caput (6), ac tanta effundenda est aquæ copia, quanta opus est, ut baptizandus vere ablutus dici possit.

(1) S. Ambr. *loc. cit. num.* 23; S. Jo. Chrys. *hom.* 40 *in I ad Cor. num.* 1 *pag.* 379 *t.* 10 *ed. Paris. cit.;* conc. Toletan. IV. *can.* 6 apud Labbeum *tom.* 6 *col.* 1452 *ed. Venet.*

(2) S. Cyrillus Hierosol. *Catech.* 2 *mystag. num.* 4 *pag.* 312 *edit. indic.*, S. Greg. M. *lib.* 1 *epist.* 43 *tom.* 2 *col.* 532 *ed. Paris. cit.*

(3) Canon. apostol. 57 *pag.* 449 apud Cotelerium *PP. Apostol. tom.* 1 *edit. Amst.* 1724, D. Th. *p.* 3 *q.* 66 *art.* 8.

(4) Ita cum in Hispania nonnulli unam tantum immersionem adhibuissent, ne Arianos imitari viderentur, qui triplici immersione triplicem in Trinitate substantiam indicabant, eorum factum probavit S. Greg. M. *lib.* 2 *ep.* 43 *ad Leandr. t.* 2 *opp. c.* 532 *edit. cit.*, quod Gregorii decretum cum laude memorant Patres conc. Toletani IV *canon.* 6 *loco mox indic.* Præclare S. Th. *loc. cit.*, « Utrumque licite fieri potest, inquit, scilicet et semel et ter immergere; quia unica immersione significatur unitas mortis Christi et unitas Deitatis : per trinam autem immersionem significatur triduum sepulturæ Christi, et etiam Trinitas personarum. » Vide etiam S. Hildephonsum *annot. de cognat. bapt. cap.* 117 apud Baluzium *miscel. sacr. t.* 2 *p.* 34 *ed. Lucæ* 1761.

(5) Sæc. XIII, quo D. Thomas vitæ usura fruebatur, jam in locis quibusdam apud Latinos immersio desuescere cœperat, et ipse Thomas docet, uno aut altero ex tribus illis modis recte baptismum conferri, quamquam tutius esse dicat eum dare per immersionem, qui sua adhuc ætate communior erat baptismi conferendi modus. Ait enim *in summa loc. cit. art.* 7 : « Ablutio autem fieri potest per aquam, non solum per modum immersionis, sed etiam per modum aspersionis vel effusionis; et ideo

quamvis tutius sit baptizare per modum immersionis, quia hoc habet communior usus, potest tamen fieri baptismus per modum aspersionis, vel etiam per modum effusionis. » Quo ex loco perspicuum meo quidem judicio est, ea tempestate, qua D. Thomas florebat, *communiorem* quidem fuisse *usum* immersionis; sed tamen quibusdam etiam usitatam fuisse aspersionem aut effusionem. Guilielmus Beveregius *in not. ad Can.* 50 *apost. pag.* 472 apud Cotelerium *PP. Apost. tom.* 1 *ed. Amst. indic.* putat mersionis loco « Aspersionem sive profusionem aquæ, in occidentali præsertim ecclesia, plusquam mille abhinc annis, Gregorii videlicet I ætate, substitutam esse. » Sed certa desunt antiqua monumenta, quibus hæc Beveregii opinio niti posse videatur. Illud tamen animadvertam, quod etiam antiquior aspersionis in baptismo, et eo quidem solemni, ut videtur, adhibitæ mentio est in opusculo *de Ecclesiasticis dogmatibus*, quod inter opera falso Augustino adscripta PP. Maurini rejiciunt *ad App. tom.* 8, et plerique tribuunt Gennadio Massiliensi Gallicanæ factionis, contra quam Prosper et Hilarius Augustino scripserunt. Nam *cap.* 41 *ejus oper. col.* 79 *tom.* 8 Baptismus et martyrium inter se comparantur, atque hæc habentur : « Baptizandus confitetur fidem suam coram sacerdote, et interrogatus respondet : hoc et martyr coram persecutore facit, qui et confitetur fidem suam et interrogatus respondet. Ille post confessionem, vel adspergitur aqua, vel intingitur; et hic vel adspergitur sanguine, vel intingitur igne. » An non hic locus argumento esse potest, quod in ea regione, in qua Gennadius scripsit, immersionis loco aspersio adhiberetur? Utut ea de re sit, certe generatim tum apud Græcos, tum apud Latinos ubique obtinuit immersio, quæ alicubi vigebat sæc. XIV, uti ostendit Codex membranaceus, qui cum aliis compluribus exstat in museo Alberti fratris mei canonici Basilicæ S. Mariæ trans Tyberim, et in quo habentur hæc : « Et baptiza infantem in nomine Trinitatis sub trina mersione dicens etc. » Codex hic liber ritualis est, neque certe est antiquior sæculo XIV, uti demonstrat character, quæque in eo describitur, *oratio S. Thomæ de Aquino*, qui tantum sæculo XIV, ab Joanne XXII, SS. albo adscriptus fuit. Quin monet Chardonius *Hist. Sacram. lib.* 1 *cap.* 9 immersionem adhuc. sæc. XV obtinuisse.

(6) Catechismus Rom. *par.* 2 *cap.* 2 §. 19.

§. XXVI. Baptismi formam constituunt verba, quæ apud Latinos sunt : *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti;* apud Græcos,

Baptizatur (1), *servus vel serva Dei N. in nomine Patris, et Filii et spiritus Sancti.* Vetus est hæc formula, quam Græci usurpasse videntur, ut occurrerent Novatianis, quorum error late erat in Oriente diffusus, scilicet ad vim sacramenti, ministri fide opus esse (2). Utraque forma vim eamdem habet (3); quamquam ministri suæ ecclesiæ ritum servare debeant: utraque continet expressam invocationem trium Personarum SS. Trinitatis, atque actum ipsum baptizandi. Invocatio Trinitatis divinæ institutionis est atque ad vim sacramenti necessaria (4); sed et verba *ego te baptizo* omissa nullum baptismum reddunt (5).

(1) Ita habet Arcudius *Concord. eccl. Orient. et Occid. lib.* 1 *cap.* 3 *et cap.* 8 *pag.* 9 *et* 14 *edit. Paris.* 1672, et græcorum Euchologion apud Goarium *pag.* 358 *ed. Paris.* 1647, quamquam non desint qui, græci sermonis ignari, legendum putent *baptizetur*. Aliquando tamen græcos verbo indicativo in prima persona usos fuisse, colligi potest ex S. Greg. Nazianz. *Orat.* 40 *num.* 51 *pag.* 670 *tom.* 1 *ed. Colon.* 1690, *Baptizo te*, inquit, *in nomine Patris, et Filii et Spiritus S.*

(2) Verbum illud ministri *ego te baptizo* quosdam in errorem induxit, ut crederent vim sacramenti ex ministri persona æstimandam; quo multi referunt illud Corinthiorum dissidium, *ego sum Pauli, ego Cephæ etc.*, quasi a ministro vim repeteret sacramentum, qui error non tantum in Græciam, sed et in Africam pervaserat.

(3) Eugenius IV *Instruct. pro Armen. tom.* 18 *conc. collect.* Labbei *col.* 547 *ed. Ven.*

(4) Matth. XXVIII *v.* 19 Confer S. Justinum M. *Apolog.* 1 *pag.* 80 *ed. Paris.* 1740; Tertull. *advers. Praxeam cap.* 26 *pag.* 516; Origenem *in cap.* 6 *ep. ad Rom. lib.* 5 *pag.* 361 *t.* 4 *ed. Paris.* 1759; S. Cypr. *ep.* 73 *pag.* 125; S. Aug. *de Bapt. contr. Donatist. lib.* 3 *cap.* 15 *et lib.* 6 *cap.* 25 *col.* 15 *et* 176; S. Innoc. Pap. *ep.* 17 *ad episc. Macedon. cap.* 5 *col.* 836 apud Coustantium *ep. Rom. Pontif.*; S. Basilium *de Spiritu S. c.* 12 *pag.* 23 *et* 24 *tom.* 3; S. Thomam *par.* 3 *q.* 66 *art.* 5. Existit autem hoc loco quæstio, num aliquando valuerit, ac revera ab apostolis in solo Christi nomine, sine mentione Trinitatis, baptismus collatus fuerit. Nam Act. *II v.* 38 *X v.* 48 *et seq., et XIX v.* 5 traditum est, Apostolos in solius Christi nomine bap-

tizasse. Ea de re magna animorum contentione nostro hoc sæculo inter se disputarunt duo celeberrimi theologi ex Dominicanorum familia Renatus Hyacinthus Drouin *de re Sacram. lib.* 2 *qu.* 3 *cap.* 2, et Aug. Orsius card. edita ann. 1733 Mediolani dissertatione *de baptismo in nomine Jesu Christi;* atque hic quidem apostolos aliquando in solo Christi nomine baptismum contulisse defendit, Drouin autem negat. Verum si aliquando apostoli in solo Christi nomine baptizarunt, *id Spiritus S. afflatu,* inquit Catechismus Rom. *par.* 2 *cap.* 2 §. 15 *et* 16, *eos fecisse exploratum nobis esse debet,* ut, initio nascentis Ecclesiæ, Christi nomine prædicatio illustrior fieret, divinaque et immensa ejus potestas magis prædicaretur; aut potius iis verbis apostoli baptismum a Christo institutum significare voluerunt, sed tamen retinuerunt formam, quæ distincta continet trium personarum nomina. Et certe verba Christi ad baptizandum apostolos mittentis eam formam expresse comprehendunt; atque ita loca illa S. Scripturæ explicarunt S. Cyprianus *ep.* 73 *ad Jubajan. pag.* 123 *ed. Paris.* 1666; Origenes *in ep. ad Rom. lib.* 5 *pag.* 561 *tom.* 4, *ed. Paris.* 1759; S. Athan. *de Trin. num.* 7 *pag.* 775 *tom.* 2 *edit. cit.;* S. Basilius *de Spiritu S. cap.* 12 *pag.* 23 *tom.* 3 *ed. Paris.* 1730; S. Jo. Damascenus *de fid. Orthod. lib.* 4 *cap.* 9 *tom.* 1 *pap.* 268 *ed. Le-Quien. Paris.* 1712; S. Aug. *contr. Maximin. Arian. episc. cap.* 17 *lib.* 2 *col.* 715. Locum auctoris *libri de Sacram.*, seu verius S. Ambrosii *de Spiritu S. lib.* 1 *cap.* 3 *num.* 24 *col.* 12 *seq. tom.* 4, et Nicolai I *in can.* 24 *de Consecr. dist.* 4, ubi probatus videtur baptismus in solo Christi nomine collatus, diligenter explicat Carolus Gagliardus *Institut. Jur. can. lib.* 2 *tit.* 4 §. 20 *et seq.* Vide etiam Nat. Alexandrum *Hist. eccles. diss.* 13 *tom.* 4 *pag.* 101 *seq.*

(5) Petri Cantoris, Præpositivi, atque aliorum opinio fuit, omitti impune posse ea verba: *Ego te baptizo,* quoniam illis Christi verbis *baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus S. te baptizantes* factum ipsum ministri designat. Sed hæc verba, salvo sacramento, omitti non posse, rescripsit Alex. III *in cap.* 1 *de bapt.*; Alex. VIII die 7 decembr. anni 1690 inter ceteras propositiones hanc quoque damnavit *num.* 27 *: Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus,* in nomine Patris etc. *prætermissis illis* ego te baptizo, ut patet ex *bull. Rom. t.* 9 *pag.* 7 *ult. edit.* Consule Martenium *de antiq. eccles. rit. lib.* 1 *cap.* 1 *art.* 15 *num.* 14 *seqq.* Verum constat sacramenti ratio, si desit vox illa *ego*, cujus vis in verbo *baptizo* continetur. Catechismus Rom. *par.* 2 *cap.* §. 14, S. Thom. *par.* 3 *qu.* 66 *art.* 5 *ad* 1 *et* 2.

§. XXVII. Ordinarius baptismi minister est episcopus et sacerdos; extra ordinem etiam diaconi, cum episcopi aut sacerdotis concessu, hoc sacramentum administrant (1). Cogente necessitate, omnes et mares, et fœminæ recte baptizant (2); verum neque mulier præsente viro, neque laicus præsente clerico, neque clericus, cum adest sacerdos, sibi sumere hoc munus debent (3). Recte inquam, hoc est sine culpa; ceterum, etiam absente necessitate, baptismus a laicis collatus valet, sed næ ii contra ecclesiæ disciplinam peccant (4). De baptismo ab hæreticis aut infidelibus dato, magna olim disputatio fuit, num valeret; sed eum valere certum est, si tamen id efficere propositum eis fuerit, quod Catholica ecclesia facit (5).

(1) Confer Catechismum Rom. *par.* 2 *cap.* 2 §. 23, et S. Th. *p.* 3 *q.* 67 *art.* 2. Quod si a Tertull. *de Bapt. cap.* 17 *pag.* 230, S. Hieron. *dial. adv. Lucif. num.* 9 *col.* 182 aliisque Patribus scriptum est, baptismum *sine auctoritate, aut jussione episcopi* a presbytero non esse conferendum, id referri debet ad solemnem baptismum, qui certis anni diebus administrari consueverat. Non omnis tamen presbyter, sed tantum proprius, hoc est parochus, jure ordinario baptizat.

(2) *Can.* 21 *dist.* 4 *de Consecr.*; Tertull. *loco cit. pag.* 231; S. Aug. *contr. ep. Parmen. l.* 2 *cap.* 13 *col.* 44; Conc. Eliber. *can.* 38 apud Labbeum *tom.* 1 *col.* 996. Quo in canone videtur excludi bigamus, etiam necessitate cogente, a baptismi administratione. Statuit enim, « Posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate. » Mirum id videtur Dionysio Petavio *in not. ad Epiphan. tom.* 2 *p.* 341 *ed. Paris.* 1722, quod *bigamis baptizari in tanta necessitate non licuit.* Verum, uti observat Albaspinæus *in notis pag.* 175 *ed. Neap.* 1770, canon, non omnino excludit bigamum a baptismi administratione, sed in eo munere bigamo vult præferri laicum, qui bigamus non sit.

(3) Vide Catech. Rom. *loc. cit.* §. 25.

(4) Apposite August. *contr. ep. Parmen. cit. cap.* 13 *nulla*, inquit, *necessitate si fiat, alieni muneris usurpatio est.*

(5) Conc. Trid. *sess.* 7 *canon* 4 *de Bapt.* Primus Agrippinus Carthag. episc. in exitu sæc. II hæreticorum baptismum irritum

judicavit. S. Aug. de Bapt. *cont. Donat. lib.* 2 *cap.* 7 *col.* 102 *t.* 9, S. Vincent. Lirinensis *Commonit. cap.* 6 *pag.* 306 *Baluzii Pedeponti* 1743. Agrippini sententiam sæculo III S. Cyprianus, atque alii tum in Asia tum in Africa episcopi, sequuti sunt. Consule Nat. Alexand. *hist. eccl. sæc.* 3 *diss.* 12 *pag.* 92. Sed S. Stephanus P. ratum habuit baptismum hæreticorum, modo esset collatus secundum catholicæ ecclesiæ leges, atque hoc Stephani judicium universa ecclesia sequuta est in *plenario*, hoc est œcumenico concilio, quod mortuo Cypriano, sed tamen nondum noto, habitum testatur Aug. *de Bapt. lib.* 2 *cap.* 4 *et* 9 *col.* 98 *et* 104 *tom.* 9. Spectat August. (quod mihi quidem verisimilius videtur, licet non eadem omnium sententia ea de re sit, ut ostendunt Tournelyus *prælect. theolog. de Sacram. in gener. q.* 7 *art.* 2 *concl. ult.*, et Juenin *de Sacram. diss.* 2 *art.* 3 §. 5) ad Nicænam syn. quæ, uti loquitur Hier. *loc. cit.*, *omnes hæreticos suscipit* (Canon 8) *exceptis Pauli Samosateni discipulis*, de quibus agitur *can.* 19, quoniam hi præscriptam ab ecclesia formam non observabant. Probavit inquam Stephanus hæreticorum baptismum, modo secundum catholicæ ecclesiæ ritus collatus fuisset. Nam calumnia est, quam inter ceteros refellunt Nat. Alex. *hist. eccl. sæc.* 3 *diss.* 14 *art. t.* 4 *pag.* 104, et Tournelyus *prælect. theolog. de Sacram. in gener. q.* 7. *art.* 2, Blondelli Basnagii et aliorum, ajentium Stephanum probasse etiam baptismum hæreticorum, qui in eo conferendo leges ritusque ecclesiæ despexerant. Quod si non baptizatus ritum ecclesiæ servet, atque id velit facere quod illa facit, ejus quoque baptismum valere, respondit Nicolaus I *in can.* 24 *de consecr.* 4. Aug. ea in re ancipiti contentione distractus, nihil affirmandum dixit *contr. ep. Parm. lib.* 1 *cap.* 13 *col.* 45 *tom.* 9 *sine auctoritate tanti concilii, quantum tantæ rei sufficit.*

§. XXVIII. Baptizantur tam infantes, quam adulti; in illis originale peccatum tollitur, in his universa. Infantes rationis usu carentes baptismo donandos non esse, hæreticorum quorumdam opinio fuit : sed eos recte in fide ecclesiæ baptizari, certum est (1). Ut vero eorum baptismus valeat, ex utero matris in lucem editi esse debent; quoniam inutilis est baptismus eorum, qui cum intus in utero inclusi lateant, aqua tingi non possunt (2) Quod si ex eo non totum corpus, sed ejus partem eduxerint, ea pars abluitur (3),

cum mors imminet, atque in primis caput, si prodierit; filios infidelium baptismo donari vetat ecclesia, nisi vel mors immineat. vel a parentibus expositi ac relicti sint, vel saltem eorum alter assentiatur (4).

(1) Conc. Trid. *sess.* 7 *can.* 12 *et* 13 *de Bapt.*, Catechismus Rom. *part.* 1 *cap.* 2 §. 32 et apposite Origenes *hom.* 8 *in Lev. tom.* 2 *p.* 230 *cd. Paris.* 1733, *secundum ecclesiæ observantiam baptisma etiam parvulis dari* inquit. Anabaptistarum error, qui parvulos baptizari posse negabant, jam explosus atque rejectus ab ecclesia est, lateque adversus illos disputant scriptores rerum theologicarum, præsertim Drouin *de re Sacram. lib.* 2 *q.* 6 *c.* 2. Sunt qui pædobaptismum recentiori ætate inductum putant, ac negant ecclesiam duobus prioribus sæculis baptismum infantibus dare consuevisse. Sed eos late refellit Binghamus *origin. eccl. lib.* 11 *cap.* 4 §. 5 *et seq. tom.* 4 *p.* 192 *ed. Halæ Magd.* 1755, testimoniis Clementis Rom., Hermæ Pastoris, Justini M., Irenæi, Tertull., Origenis, Cypriani, omnium denique Patrum, qui duobus tribusque prioribus ecclesiæ sæculis floruerunt. Constat enim, ecclesiam semper certam ac fixam habuisse doctrinam de peccato originali, atque ejus delendi causa baptismum infantibus tribuisse.

(2) Vide S. Aug. *contr. Julian. lib.* 6 *c.* 5 *num.* 13 *col.* 666 *tom.* 10 *ed. indic.*, S. Thom. *p.* 3 *q.* 68 *art.* 11. Quæstio tamen est, num recte baptizetur infans adhuc latitans in utero matris, cum ejus corpus aqua per ostium uteri immissa tingi potest. Late ea de re agit Bened. XIV *de syn. diœc. l.* 7 *cap.* 5, ac puerum in eo rerum discrimine ita baptizandum monet sub conditione, sub qua similiter baptizandus erit, si in lucem prodeat. Ceterum non ambigitur, quin recte baptizetur infans, qui secto matris utero in lucem eductus est; quin etiam, mortua matre, ejus uterum reserandum esse per sectionem cæsaream, ut inde extrahatur infans ac baptizetur, docent S. Th. *loc. cit.;* rituale Rom. *tit.* 7 *de baptizandis pueris* §. 3.; Instructio edita a S. Carolo Borr. pro recta administratione baptismi *tit. de iis, quæ parochus curet, cum timetur de partu, act. eccl. Mediol. par.* 4 *pag.* 502. Multa enim sunt exempla infantium, qui ex mortuæ matris utero vivi prodierunt, qui adoleverunt et qui etiam ad senectutem ætate processerunt. Confer Theoph. Raynaudum *de Orat. infant. per sect. cæsar. cap.* 2 *tom.* 14; auctorem *Lexici univ. rei medicæ verb. cæsarea sectio tom.* 2; Heisterum *instit. chirurg. par.* 2 *sect.* 5 *c.* 3 *tom.* 3 et Fr. Em. Cangiamilam,

qui peculiari libro Panormi edito anno 1745 materiam hanc fuse pertractavit.

(3) « Exspectanda est, inquit S. Th. *q.* 68 *art.* 11 *ad* 4, totalis egressio pueri ex utero ad baptismum, nisi mors immineat. Si tamen primo caput egrediatur, in quo fundantur omnes sensus, debet baptizari, periculo imminente: et non est postea rebaptizandus, si eum perfecte nasci contigerit. Et videtur idem faciendum, quæcumque alia pars egrediatur, periculo imminente. Quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vitæ ita consistit sicut in capite, videtur quibusdam quod propter dubium, quacumque alia parte corporis abluta, puer post perfectam nativitatem sit baptizandus sub hac forma: si non es baptizatus, ego te baptizo. » Consentiunt rituale Rom. *tit. ne baptiz. parvul.;* et instructiones S. Caroli Borr. *act. eccl. Mediol. par.* 3 *pag.* 422 §. *Si vero fœtus, tom.* 1 *edit. Patavii* 1744. Consule Benedictum XIV, qui ea de re copiose disputat *de Synod. diœc. lib.* 7 *cap.* 5 *num.* 7 *et seq.*

(4) Quod de parentibus dico, idem etiam dictum volo de tutoribus, qui cum parentum loco obtineant, eorum quoque consensus requiritur, ut Hebræorum infantes baptizentur. Quæsitum est, num avus paternus puerum hebræum, invitis parentibus, baptismo offerre possit. Constat id recte fieri, si puer patrem amiserit, ac matrem habeat dissentientem; quin etiam multi sunt, qui idem fieri posse defendunt, cum ambo parentes sospites sunt, et ambo dissentiunt. Gravior de avia paterna controversia fuit, quam definivit Ben. XIV litteris datis ad Petr. Hier. Guglielmum, quæ exstant *in ejus Bull. const.* 54 *tom.* 3 *pag.* 239 *edit. Romæ seu Venet.*, et quibus statutum est, aviam paternam puerum hebræum baptismo offerre posse, quamquam mater tutoresque dissentiant. Vide laudatam *Const.* 54 et alteram ejusdem Ben. *Const.* 28 *pag.* 113 *ejus Bull. tom.* 2, ubi de baptismo Hebræorum tum infantium, tum adultorum late agitur et omnia, quæ ad hanc materiam pertinent, accurate evolvuntur.

§. XXIX. Adulti baptismo non donantur, nisi illum sua sponte petant, quoniam nemini ad credendum vis inferenda est (1); neque cum petunt, statim baptismum obtinent, sed primum fidei rudimenta edocentur; unde factum catechumenorum nomen a græco verbo κατηχεισθαι *docere, erudire.* Vetus hæc est ecclesiæ consuetudo, ut adulti ad baptismum accedant,

posteaquam in re christiana eruditi sunt, eorumque animus diligenter cognitus atque exploratus est. Ea de causa instituta est catechesis, divisaque, ut rectius procederet, in gradus tres aut quatuor, nimirum in *audientes*, *genuflectentes*, et *competentes* sive *electos* (2).

(1) Conc. Tolet. IV *can.* 57 *tom.* 3 *coll.* Harduini, S. Greg. M. *lib.* 1 *ep.* 47 *col.* 542 *tom.* 2 *ed. Paris.* 1705.

(2) Initio ecclesiæ, nulla interposita mora, baptismus dari consuevisse videtur, cum eum suscepturus suum jam satis patefecisset animum pietatis et religionis plenum, fideique mysteria percepisset. Ita a Petro et Philippo factum constat ex Act. VIII *v.* 38, X *v.* 47. Verumtamen cum experimento plane compertum esset, non satis tutam esse fidem eorum, qui sine periculo baptismo donati fuerant, institutus est catechumenatus, ut ita singulorum fides et vita diligenter probaretur. Habebat autem catechumenatus certos gradus, quos singillatim excurrere oportebat, ut ita catechumenus ad rem christianam diligentius institueretur. Græci canonum interpretes Theodorus Balsamon, Alexius Aristinus, Joannes Zonaras *in not. ad conc. Neocæsar. can.* 3 apud Beveregium *Pandect. can. tom.* 1 *pag.* 405 *et* 406 *ed. Oxonii* 1672 duos fecere gradus catechumenorum, alterum eorum quos ατελεστερους *imperfectiores*, alterum, eorum quos τελειωτερους *perfectiores* vocant. Duos etiam fecere gradus Beveregius *loc. citat.*; Caveus *Primit. Christ. lib.* 1 *cap.* 8.; Suicærus *Thesaur. tom.* 2 *verb.* κατηχέω; Basnag. *de reb. Sacr. et eccl. cont. Baron. pag.* 485 *ed. Ultraj.* 1692; sed eos plerique rejiciunt, quod ex ecclesiasticis monumentis compertum est, tres aut quatuor fuisse catechumenorum gradus. Confer Du Cange *Gloss. vero. catechumeni*, cardin. Bonam. *rer, liturg. lib.* 1 *cap.* 15 §. 4 *ibique* Salam *in not. pag.* 343 *et seq. tom.* 1 *cap.* 1 *art.* 6 *tom.* 1 *pag.* 12 *ed. Antv. seu Venet.* 1795, aliosque complures. Thiers tamen *expos. Sacram. cap.* 8, et Martenius *loc. cit. a competentibus electos* discriminant; Sed Morinus *de Pœn. lib.* 6 *cap.* 1, quem plerique sequuntur, unum et eumdem facit *competentium* atque *electorum* gradum. Forte non ubique, nec semper una et eadem obtinuit disciplina. Certe duo tantum gradus, alius videlicet eorum, qui proprie *catechumeni*, et alius eorum qui *competentes* vocabantur, hoc est *imperfectiores et perfectiores*, memorantur ab Origine *contr. Celsum lib.* 2 *p.* 487 *n.* 69 *et seq. t.* 1 *ed. Paris. ind.*; S. Zenone *lib.* 2 *tract.* 1 *pag.* 177 *t.* 1 *ed. Aug. Vind.* 1758; S. Isidoro

de offic. eccl. lib. 2 *tom.* 20 *et* 21 *pag.* 609 *et* 610 *ed. Paris.* 1601; Rabano *de inst. cleric. lib.* 1 *cap.* 26 *tom.* 6 *pag.* 9 *ed. Colon.* 1626; Leidrado Lugd. *de Sacram. Baptism. c.* 1 apud Mabillonium *vet. anal. pag.* 78 *ed. Paris.* 1723. Contra plerique ecclesiastici scriptores passim recensent tres aut quatuor catechumenorum gradus; quæ diversitas ad temporum et locorum usus referenda videtur. Probari tamen nequit opinio Jos. Binghami, qui *lib.* 10 *Orig. eccl. cap.* 2 §. 2 *pag.* 17 *tom.* 4 *ed. Halæ Magd.* 1755, alium invenit gradum catechumenorum, eorum scilicet qui, cum in uno catechumenorum gradu peccassent, ab ecclesia expellebantur, quos ipse εξωθουμενους vocat, sumpto vocabulo a conc. Neocæsar. *can.* 5 *col.* 284 *tom.* 1 *coll.* Hard. *edit. Paris.*, ubi sancitum est quod si audiens peccaverit εξωθεισθω Non erat hic catechumenorum gradus, sed erat expulsio et ejectio ab omni gradu catechumenorum, quæ eadem de pœnitentibus, qui peccassent, disciplina obtinebat. Hoc tamen erat discrimen inter catechumenos et pœnitentes, quod ii suum etiam habebant gradum extra ecclesiam, quo loco erant *flentes*, sed catechumeni nullum hujusmodi gradum obtinebant, et ideo cum ab ecclesia expellebantur, arcebantur a catechumenatu mittebanturque ad illos, quos ecclesia ab se prorsus alienos habebat. Simili ratione synodus Eliberitana catechumenas, quæ haberent *comatos*, *aut viros cinerarios*, arcet *a communione*, videlicet ab ecclesia, et a catechumenatu, ut eum canonem recte explicat Albaspinæus *pag.* 185 *ed. Neap.* 1770.

§. XXX. In imo gradu erant *audientes*, ii nimirum, qui in ecclesia sermones sacrasque scripturas audiebant; unde eorum nomen factum est. Qui se baptismi desiderio teneri significaverant, signabantur signo crucis (1), ac manuum impositione (2), certisque precibus (3) catechumeni fiebant. Hi præsentes non erant, cum sacrificium peragebatur; sed finita scripturarum explicatione cum ethnicis abibant, clamante diacono; *ne quis audientium*, *ne quis infidelium* (4).

(1) Aug. *de catech. rud. cap.* 26 *tom.* 6 *col.* 293 *ed. Venet.*; Theodoretus *hist. eccl. l.* 4 *cap.* 18 *pag.* 169 *ed. Cantabr.* 1720. In antiquo codice monasterii Bobiensis, quem Mabillonius dedit *in mus. Italic. tom.* 1, tum in fronte, tum in corde signum crucis

fieri jubetur. Alius est ritus Missalis Gothici editi a Jos. Thomasio. Utrumque cum aliis libris ritualibus descripsit Martenius *de antiq. eccl. ritib. lib.* 1 *cap.* 1 *art.* 7 *tom.* 1 *pag.* 15. Illud in Bobiensi codice, quem Mabillonius edidit, animadvertendum est, quod non tantum signum crucis fieri, sed etiam *symbolum dici* jubetur : quod est contra arcani disciplinam, quæ symbolum coram catechumenis recitari vetabat. Forte illæ preces ad catechumenos non pertinebant, antequam mos generatim obtineret baptizandi pueros, qui simul cathecumeni fiebant et baptismum accipiebant.

(2) Sev. Sulpitius *dial.* 2 *de virt. S. Martini. cap.* 4 *pag.* 107 *tom.* 1 *ed. Veronæ* 1741; Eusebius *in vit. Constantin. lib.* 4 *cap.* 61 *pag.* 661 *edit. Valesii Cantabr.;* Conc. Arelat. I *can.* 6 apud Labb. *tom* 1 *col.* 1451 *ed. Venet.* Ex hoc ritu explicandi sunt *can.* 39 conc. Eliber. 1 *col.* 997, *can.* 7 conc. CP. I *tom.* 2 *col.* 1129 *et can.* 94 Trullani apud cit. Labb. *tom.* 7 *col.* 1587, quibus locis *christianum facere* idem est atque aliquem manuum impositione certisque precibus in imo cathecumenorum gradu collocare. Confer Hugon. Menardum in Sacrament. S. Greg. M. *not.* 334 *opp. tom.* 3 *c.* 361 *seqq. ed. Maurin. Paris.* 1705, a quo cuncta, quæ hanc materiam pertinent, accurate describuntur.

(3) Consule Martenium *loc. cit.*

(4) Auctor *Const. Apost. lib.* 8 *cap.* 5 apud Cotelerium PP. *apost. tom.* 1 *pag.* 369 *ed Amst.* 1724.

§. XXXI Proximus erat locus *genuflectentium,* quibus in genua provolutis imponebantur manus; atque hi proprie catechumeni dicebantur, quæque ad eos pertinebat, liturgiæ pars, catechumenorum oratio vocabatur (1). Ad eos referebatur ea diaconi proclamatio : *Quicumque catechumeni discedite.* Summus erat gradus eorum, qui cito baptismum erant suscepturi, quique appellabantur *competentes,* quod jam baptismum peterent (2); et *electi,* quod ad baptismum proxime accipiendum eligerentur (3). Hi sua dabant baptismo nomina, quæ diaconus viventium diptychis inserebat (4); et pro ipsis certæ fundebantur preces, posteaquam reliqui catechumeni e templo discesserant (5).

(1) Conc. Nicænum *can.* 14 apud Labb. *tom* 2 *col.* 39. Post episcopi sermonem catechumenorum oratio peragebatur, uti patet ex conc. Laodic. *can.* 19 apud eumdem Labb. tom. 1 *col.* 1534. Harum autem precationum formulæ *constitutionibus Apostol. loc. indic. cap.* 6 *pag.* 399, atque a Chrysost. *hom.* 2 *in* 2 *ad Cor. num.* 8 *pag.* 440 *tom.* 10 *ed. ind.* recitantur.

(2) S. Aug. *de fide et oper. c.* 6 *col.* 169 *tom.* 6, *et Sermon.* 216 *col.* 953 *tom.* 5; S. Hildephonsus *adnot. ne cognit. bapt. cap.* 30 apud Baluzium *Miscellan. sacr. pag.* 22 *tom.* 2 *edit. Lucæ* 1761.

(3) S. Leo M. *ep.* 16 *ad episc. Sicil. cap.* 5 *tom.* 2 *pag.* 80 *ed. Romæ* 1755. Exstat in *constitutionibus Apost. lib.* 8 *cap.* 8 *pag.* 399 *loc. cit.* pro his catechumenis, qui βαπτιζομενοι, hoc est jamjam baptizandi appellantur.

(4) S. Aug. *de cur. gerend. pro mort. cap.* 13 *col.*525 *tom.* 6 Auctor operis, quod Dionysii nomine circumfertur, *de hierarch. eccl. cap.* 2 §. 5, ibique Pachimeres *pag.* 753 *et* 276 *tom.* 1 *ed. Antverp. cit.*, Conc. CP. sub Menna habitum *act.* 5 *col.* 1523 *tom. coll.* Hard.

(5) Græcam ecclesiam certas pro catechumenis, energumenis et pœnitentibus preces habuisse constat, quæ quidem diverso tempore fundebantur; sed non ita exploratum est, num eadem etiam fuerit latinæ ecclesiæ disciplina. Eamdem prorsus fuisse verisimile est, uti observat Binghamus *orig. lib.* 14 *cap* 5 *tom.* 6 *pag.* 228 *ed. indic.*

§. XXXII. Statim ac catechumeni inter audientes erant relati, incipiebant catecheses, quibus fidei rationes vitæque christianæ officia edocebantur. Quo munere instituendi catechumenos episcopi, aut presbyteri, diaconive, minoresve etiam clerici et interdum laici fungebantur (1). Docebant autem catechistæ in exedris ecclesiæ (2); magnaque erat in catechumenis instituendis eorum cura et diligentia; quasi qui formarent animos teneros puerorum, qui primum imbuuntur iis, quæ cognitu facilia sunt, ut ad graviora et difficiliora paratiores accedant. Quare primum veritates simplices et apertas proponebant, officiaque explicabant vitæ christianæ (3); sed de mysteriis religionis ac ritibus sacramentorum nullum

faciebant verbum, antequam proxime adesset baptismi suscipiendi tempus; qua in re cathecumeni pares erant ceteris profanis, qui mysteria nostra ignorabant. Atque hæc celebris est arcani disciplina, quam ab ipso Christo et apostolis acceptam diu christiani retinuerunt (4), quæque demum sua veluti sponte desiit, postquam ethnica superstitio fere ubique extincta et sublata fuit (5).

(1) Episcopum catechistæ officio functum testatur *S. August. ed.* 20 *col.* 901 *num.* 4 *tom.* 3, ac Theodorus lector *Collectan. lib.* 2 *in Bibl. PP. tom*, 26 *pag.* 86 *ed Lugd.;* Presbyterum constat ex Chrys. *catechis. ad illuminandos tom.* 2 *pag* 224 *cit. ed Paris.*, quam ipse habuit, cum esset presbyter Antiochiæ; diaconum ostendit August. *de catechiz. rudib. cap.* 1 *col.* 265 *tom.* 6 *ed. cit.;* Lectorem Cyprianus *ep.* 24 *pag.* 35 *ed. Paris.* 1666, neque majorem ordinem in ecclesia habuisse videtur Origenes, quem Eusebius *histor.lib.* 6 *cap.* 3 *pag.* 260, et S. Hier. *de vir. illustr. in Origine cap.* 54 *tom.* 2, Catechistam Alexand. fuisse narrant, cum decem atque octo annos natus est. De laico vide auctorem *Const. Apost. lib.* 8 *cap.* 32 apud Cotelerium *pag.* 418 *edit. indic.*

(2) S. Ambr. *ep.* 20 *ad Marcellinam num.* 4 *col.* 901 *edit. cit. tom.* 3 se competentibus in baptisterio symbolum tradidisse scribit. Erant autem, ut plurimum distincta, sed ecclesiæ conjuncta ædificia, in quibus catechumeni instituebantur, quæque *catechumenia*, sive *catechumenorum mansiones* dicuntur a Leone *novel.* 73, atque a conc. Trullano *can.* 97 apud Labb. *tom.* 7 *col.* 1390 *edit. Venet.* Balsamone ac Zonara *in eum can.* apud Beveregium *pandect. canon. tom.* 1 *pag.* 275 *ed. Oxonii* 1762. Cum episcopus aut presbyter catecheses habebant, eas habebant etiam in ecclesia, ceteri extra eam, atque hinc Demetrius Alex. graviter reprehendit Alexandrum episc. Hierosol,. et Theoctistum episc. Cæsareensem, quod Origeni, cum nondum esset presbyter, publice in ecclesia concionandi facultatem dedissent. Confer Valesium *in Euseb. lib.* 6 *cap.* 19 *pag.* 283 *num.* 3 *ed. Cantabr.* 1720. Multa de catechesibus habes *dissert.* 2 *in S. Cyrillum Hierosol. cap.* 4 *et* 5.

(3) S. August. singulari libro, quem edidit, *de Catechizandis rudibus*, et cujus veluti summam edidit Alcuinus *epist.* 7 *ad Carolum M. pag.* 1487, *ed. Paris* 1617, ritus tradit in catechumenorum institutione servandos. Consule Chardon. *hist. Sacram. lib.* 1 *cap.* 3.

(4) Arcani disciplinam ab ipsa Christi et apostolorum memoria repetunt Antonius Pagius *in Baron. ad. ann.* 118 *num.* 4 *seq. pag.* 95 *tom.* 2 *ed. Lucæ*; Chardonius *hist. sacram. lib.* 1 *c.*2*;* Em. Schelstratius, qui peculiari dissertatione *de disciplina arcani* egregie, præter ceteros, materiam hanc illustravit. Huc sane spectat illud Christi, qui cum a discipulis interrogatus fuisset, quamobrem Judæos parabolis alloqueretur, respondit apud Matth. XIII *v.* 11 : Quia vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, illis autem non est datum;» et huc similiter ea verba ipsius Christi ad apostolos Matth. VII *v.* 6 *: Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos*, quemadmodum verba ipsa interpretantur Clemens Alex. *Stromat. lib.* 1 *pag.* 348 *c.* 12 *tom.* 1 *ed. Oxonii* 1715*;* Tertull. *de præscr. adv. hæret. cap.* 41 *pag.* 217; Chrys.*de Compunct. lib.* 1 *cap.* 6 *tom.* 1 *pag.* 151 *et hom.* 22 *in Matth. num.* 3 *pag.* 287 *tom.* 7 *ed. Paris. cit.* Quod a Christo acceperant, apostolos atque ecclesiæ Patres fecisse, manifestum est. Nam apostoli in orationibus ad Judæos atque ethnicos, nullum de abditis fidei mysteriis verbum habent Act. II, IV, X, XVII. Nominatim autem Paulum Christi legem observasse, tradit *Clem. Alex. Stromat. lib.* 5 *cap.* 10 *pag.* 685 *tom.* 2 *ed. cit.* ex eo Pauli verbo : *Ut aliquid impartiar vobis gratiæ spiritualis*, itemque ex eo: *sapientiam loquimur inter perfectos.* Apostolorum exemplo ecclesiæ patres reticentiæ legem arcanique disciplinam servasse diligenter, constat ex Tertulliano *loc. cit;* Cyrillo Hierosol. *catech.* 6 *num.* 39 *pag.* 106 *ed. cit.;* Nazianz. *Orat.* 40 *de baptism. pag.* 647 *tom.* 1 *ed. Paris. cit.;* Chrysost. *hom.* 46 *in act. cap.* 3 *tom.* 9 *pag.* 349 *edit. indic.*; Cyrillo. Alexand. *adv. Julian. lib.* 7 *pag.* 245 *opp. Julian. edit. Lipsiæ* 1696; Ambros. *offic. lib.* 1 *cap.* 50 *num.* 260 *tom.* 3 *col.* 79 *edit. indic.;* August. *in Psalm.* 109 *num.* 17 *tom.* 4 *col.* 1241, *ed. indic*; Innoc. I *ep.* 25 *ad Decent.* apud Coustant. *ep. Roman. Pontif. col.* 859. Quod etiam confirmat reprehensio illa ethnicorum adversus christianos, quod clancularia esset eorum doctrina, et confirmat id, quod Athanasii ætate ab Arianis factum est, hi enim, ut sibi ethnicorum patrocinium adsciscerent, fracta arcani lege, rem totam patefacere non dubitarunt, tum editis tractatibus, quibus Trinitatis mysterium explicabatur, tum etiam ethnicis in ecclesiam admissis, ubi magis abdita et secreta perspicerent. Hinc Athanasius *Apol. cont. arian. pag.* 118 *num.* 31 *tom.* 1 *ed. Patav.* 1777. queritur de *præfecto Ægypti Philagrio apostata, ethnicisque militibus admissis ad ea disquirenda, quæ ne cathecumenos quidem conspicere licuit. Sacra mysteria ab ethnicis direpta et in terram projecta* in ordinatione Greg. Alex.

contra Athanasium, memorat ep. I Julii P. *ad Eusebianos* apud Coustantium *ep. Rom. Pont. col.* 578. « Profanos sanctorum, id est fidelium, judices, et novam ac inusitatam mixtionem, mysticas nempe quæstiones spectante vulgo tractatas » dolet Greg. Nazianz. *in Orat.* 21 *de Laud. Athanasii num.* 30 *pag.* 387 *t.* 1 *Colon.* 1690, ex quo magnam tum catechumenorum, tum ethnicorum fuisse offensionem constat ex Athanasio *de synodis num.* 2 *opp. tom.* 1 *par.* 2 *p.* 575. Ex quibus intelligimus, cur in publicis patrum concionibus, præsertim cum de sacramentis agitur, frequenter occurrat ea formula : *Norunt initiati, norunt fideles quod dicitur;* atque etiam intelligimus, quanta sit ad religionem tuendam necessitas traditionis, per quam multa accepimus quæ, ne profanis paterent, ecclesiæ patres litteris consignare noluerunt. Hæretici scriptores, Dallæus *de scriptis Ignat. lib.* 1 *cap.* 22 et Binghamus *orig. lib.* 10 *cap.* 5 §. 3 *tom.* 4 *pag.* 125 *seq. edit. Halæ Magd.* 1755, hanc disciplinam apostolis ignotam multoque serius in ecclesiam inductam putant. Sed eos refellunt, quæ de Christo et apostolis memoriæ sunt prodita; refellit Basilius *de Spiritu S. cap.* 27 *pag.* 55 *tom.* 3 *ed. cit.*, qui eam disciplinam ab apostolis atque antiquis patribus servatam tradit; refellit Tertull. *loc. cit.*, qui eam repetit a Christi præcepto: *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.*

(5) Confer Pagium *in Baron. ad an.* 120 *n.* 4 *et seq. p.* 65 *et seq. ed. Lucæ* 1738 *tom.* 2.

§. XXXIII. Cum satis erant probati et satis in re christiana eruditi (1), appropinquante solemni die (2), catechumeni baptismum petebant, et ideo sua dabant nomina (3), per quæ sese quasi candidatos baptismi declarabant. Ergo accipiebant symbolum et orationem dominicam (4), sua confitebantur crimina (5), agebant pœnitentiam (6), manuum impositioni, exorcismis, exsufflationibus (7), precibus subjiciebantur; atque etiam sal benedictus in eorum os inserebatur (8). Baptismum etiam antecedebant lotiones duæ, altera capitis, altera pedum (9); præterea caput catechumeni sacro oleo ungebatur (10). Sed ecclesia in primis curabat, ut qui baptismum petebant, tanto munere essent digni; et ideo post data a competentibus nomina

plura adhibebat scrutinia, per quæ eorum corda scrutabatur videbatque *quanta vigilantia convenirent, quo studio ferverent, qua cura penderent* (11).

(1) De tempore catechumenatus non una atque eadem semper fuit ecclesiæ disciplina. Synod. Eliberitana *can.* 42 apud Labb. *tom.* 1 *col.* 997 *ed. Venet.*, et Justin. *Novell.* 144 *c.* 2 apud Dion. Gothofredum, biennium; auctor *Constit. Apostol. lib.* 8 *cap.* 32 *pag.* 418 *t.* 1 apud Coteler. *loc. ind.*, et Nicæni patres *can.* 14 *tom.* 2 *col.* 39 apud cit. Labb. triennium constituunt; synod. Agathensis *can.* 34 *tom.* 5 *col.* 327, menses octo Judæis, synod. Eliberitana *can.* 4 *col.* 992 *loco mox cit.*, annos tres Flaminibus præscribit. Si quis in catechumenatu peccaret, tempus producebatur ac de superiore ad inferiorem gradum catechumenus dejiciebatur, et cum in imo erat gradu, extrudebatur, concil. Neocæsar. *can.* 5 *tom.* 1 *col.* 1514 apud eumd. Labb. Interdum tempus ipsum contrahebatur, cum id justa aliqua causa postulabat; atque ita S. Greg. M. *lib.* 8 *ep.* 23 *col.* 912 *tom.* 2 *edit. cit.* cuidam episcopo permisit, ut Judæos in agro Agrigentino baptizari cupientes, post indictum quadraginta dierum jejunium, baptismo donaret.

(2) Solemnis baptismi tempus erat olim Pascha et Pentecostes, Tertull. *de bapt. cap.* 19 *pag.* 232 *edit. Paris.* 1675; Siricius *ep.* 1 *ad Himer. Tarracon. cap.* 2 apud Coustant. *loc. cit. col.* 626; Leo M. *ep.* 16 *ad episc. Sicil. cap.* 5 *pag.* 80 *tom.* 2 *ed. Romæ* 1755; Gelasius *decret. c.* 10 apud Pithœum *cod. canon. pag.* 266 *Paris.* 1687. Postea dies Natalis Christi aliique festi dies accesserunt. Græci etiam die Epiphaniæ. Galli quinque quotannis diebus, Hispani etiam diebus festis Apostolorum ac Martyrum solemnem baptismum conferre consueverunt. Quæ omnia pluribus collectis antiquis monumentis accurate explicat Martenius *de antiq. eccles. rit. lib.* 1 *cap.* 1 *art.* 1 *tom.* 1 *pag.* 2. Verum non hoc ita intelligendum est, quasi non omni die baptismum conferre liceret, præsertim cum id justa aliqua causa postularet, Aug. *Serm.* 210 *num.* 1 *col.* 927 *t.* 5, et Siricius P. *cit. ep.* 1 *ad Himer. Tarracon. cap.* 2 *col.* 627 *ep.* 10 *ad Gal. episcop. cap.* 4 *col.* 692 apud eumd. Coustantium.

(3) Semper ante baptismum, sed non uno ubique tempore catechumeni sua dabant nomina. Novum sumebant ethnici nomen; christianorum liberi ante baptismum nullum, ut plurimum, habebant, ac si haberent, plerumque mutabant. Socrates *histor. lib.* 7 *cap.* 28 *pag.* 368 *edit. Cantabr.*; Gregor. Turon. *histor. Franc. l.* 8 *cap.* 22 *col.* 395 *et vit. patr. cap.* 8 *num.* 1 *col.*

1184 *ed. cit.;* Baronius *ad an.* 259 *num.* 11 *p.* 69 *col.* 1184 *t.* 3 *ed. Lucæ.* Consule conc. Carthag. VI *can.* 85 apud Labb. *t.* 2 *col.* 1444; S. Greg. Nyss. *in orat. adv. eos qui differunt baptismum pag.* 956 *tom.* 1 *ed. Paris.;* S. Cyrillum Hierosol. *catech.* 1 *p.* 18 *n.* 4 *ed. cit.;* S. Aug. *Confess. lib.* 9 *cap.* 6 *col.* 162 *tom.* 1 *ed. cit.*

(4) Generatim definiri non potest, qua die competentibus symbolum traderetur, cum in ecclesiis quibusdam id fieret dominica Palmarum, in aliis feria quarta post quartam dominicam Quadragesimæ, in aliis denique aliis ante Pascha diebus; quin alii semel, alii bis, ter alii symbolum tradebant, sicuti observat Martenius *loc. cit. art.* 11 §. 10 *et seq. pag.* 23. Antequam symbolum traderet episcopus, aliquem ab eo tractatum habitum fuisse, indicat non obscure S. Ambr. *epist.* 20 *num.* 4 *col.* 901 *tom.* 3. Dominica quoque oratio tradebatur, uti patet ex S. Aug. *Serm.* 58 *col.* 337 *tom.* 5, et in Romana quidem ecclesia eadem die symbolum ac dominica oratio tradebatur.

(5) Tertull. *de bapt. c.* 20 *p.* 132 *edit. Paris.* 1776; Greg. Nazianz. *Orat.* 40 *de bapt. num.* 26 *tom.* 1 *pag.* 657 *ed. Col.* 1690; S. Cyrillus Hierosol. *catech.* 1 *pag.* 18 *n.* 5 *ed. citat.* Eusebius *de vit. Constantin. l.* 4 *cap.* 61 *p.* 661 *ed. Cantabr.* 1720. Non erat tamen hæc confessio ad baptismum necessaria, sed eam catechumeni emittebant, ut antiquam vitam in scrutiniis exponentes, quærerent quid deserere, quid sequi, et quod vitæ institutum amplecti deberent, ut se vere christianos ostenderent. Hujus confessionis rationem non obscure indicat antiquus auctor *Serm. in Psalm.* 41 *ad Neophytos in app. tom.* 6 *opp. Aug. c.* 287 *ed. indic.*, cum de catechumenis dicit hæc: « Per omnem quadragesimam vacaverunt orationi atque jejuniis, in sacco et cinere dormierunt, futuram vitam peccatorum suorum confessione quærentes.

(6) Consule Martenium *loc. cit. art.* 10 *pag.* 28, ubi multa ea de re testimonia colliguntur. Ab hac pœnitentia solos parvulos immunes fuisse, docet Aug. *Serm.* 351 *cap* 2 *c.* 1551; ac *Serm.* 352 *cap.* 1 *col.* 1563 *tom.* 5 *pag.* 2 *edit. cit.* negat ad baptismum Christi, in quo omnia peccata delentur, quemquam bene accedere, *nisi agendo pœnitentiam de vita pristina.* Ejus autem institutionem quidam repetunt a Petri præcepto, uti constat ex ep. Herivei Rhemensis *ad Wittonem Rothomag. cap.* 6 *Bibl. PP. tom.* 17 *pag.* 248 *ed. Lugd.*, ubi Clodovæum aliquot ante baptismum diebus commoratum tradit, ut « Pœnitentiæ, secundum apostolicum præceptum, prius ablueretur lacrymis, dicente B. Petro principe apostolorum, pœnitentiam agite,

et baptizetur unusquisque vestrum. » Auctor *recognitionum lib.* 3 *cap.* 67 *et lib.* 7 *cap.* 36 *pag.* 537 *et* 564 apud Coteler. *PP. Apost. edit. ind.* jejunium memorat, cui baptismum suscepturi vacare debebant; et hujus quidem jejunii mentio etiam est apud Justinum M. *Apol.* 1 *num.* 61 *pag.* 79 *edit. Paris.* 1642; in conc. Carthag. IV *can.* 85 *col.* 1444 *tom.* 1 *coll.* Labb.; apud Tertull. *de baptism. cap.* 20 *pag.* 232 *ed. Venet.*, S. August. *de fid. et oper. cap.* 6 *col.* 169 *opp. tom.* 6, ubi et cetera, quæ catechumenos præstare oportebat, describuntur.

(7) S. Aug. *loc. mox. cit.* Apud Latinos exsufflationes in faciem catechumeni fiebant, uti constat ex libris ritualibus; apud Græcos etiam in aures. Concilium CP. I *can.* 6 apud Labbeum *tom.* 2 *col.* 1129.

(8) S. Aug. *Conf. lib.* 1 *cap.* 11 *col.* 75 *tom.* 1, quem salem Aug. *de baptism. contr. Donatist. l.* 4 *cap.* 21 *c.* 138 *tom.* 9 *et de Peccat. merit. lib.* 2 *cap.* 16 *col.* 62 t. 10, sacramentum catechumenorum appellat. In *can.* 65 *Consecr. dist.* 4 dicitur *Sal cœlestis sapientiæ.* Vide etiam concilium Carthaginense III *canon.* 8, ibique Albaspinæum *in not. pag.* 226 *opp. var. ed. Neap.* 1770.

(9) Capitis lotio die dominica Palmarum absolvebatur; idcirco hic dies in antiquo ordine Romano *Capitolavium* dicitur, Isidorus *etym. lib.* 6 *cap.* 18 *de eccl. offic. lib.* 1 *cap.* 27 *pag.* 80 *et* 589 *ed. Paris.* 1605; Rabanus *de instit. cleric. l.* 1 *cap.* 35 *tom.* 6 *pag.* 25 *ed. Col.* 1626. Pedum lotionis, præter ceteros, mentio est apud Aug. *ep.* 54 *ad Januar. num.* 10 *tom.* 2 *col.* 127 *ed. cit.*, et Ambr. *de Sacram. lib.* 3 *cap.* 1 *num.* 4 *tom.* 3 *col.* 455 *edit. indic.*, eaque feria v. in cœna Domini peragebatur. In quibusdam tamen locis post baptismum hanc lotionem fieri consuevisse, monet Chardonius *histor. sacram. lib.* 1 *cap.* 18.

(10) Unctionem hanc capitis, quæ baptismum anteibat, quæque alia erat ab unctione verticali, quæ illum sequebatur, memorant auctor *recogn. lib.* 3 *cap.* 67 apud Coteler. PP. *Apost. tom.* 1 *pag.* 537 *edit. ind.*; Ambros. *de Sacram. lib.* 1 *cap.* 2 *tom.* 3 *col.* 440 *ed. cit.*; Chrys. *hom.* 6 *in ep. ad Coloss. tom.* 11 *col.* 369 *ed. cit.*, Siricius P. *ep.* 10 *num.* 11 apud Coustant. *epist. Rom. Pont. col.* 693. Ungebatur autem initio in ecclesia latina tantum caput, deinde etiam inter humeros ac supra pectus unctio fieri cœpit. Græci totum corpus ungebant, uti ostendit auctor. *eccl. Hierarch. cap.* 2 §. 7 *pag.* 255 *edit. Anv.* 1634. Oleum, quo baptizatus ungebatur, *unguentum* vocant, ac distinguunt ab oleo, quod ante baptismum adhibebatur, auctor *Const. Apost. lib.* 7 *cap.* 22 apud Coteler. *loc. cit. pag.* 371, et

auctor, qui Justini nomine scripsit *resp. ad ortodox. qu.* 137 *pag.* 501 *in app. opp. Justin. ed. Paris.* 1742.

(11) S. Aug. *de fid. et oper. cap.* 6 *col.* 169 *tom.* 6, atque hinc ipse Aug. *de Symb. l.* 2 *cap.* 1 *col.* 155 *d. t.* 6 scrutinium *examen* appellat. Theodulphus *de ordin. baptism. c.* 8 *in Bibl. PP. tom.* 14 *pag.* 10 *edit. Lugd.* « Hunc enim morem, inquit, ecclesia servare consuevit, ut per aliquot dierum spatium hi, qui in solemnitate paschali baptizandi sunt, scrutentur, ut instructis et doctis, et simplici corde ad fidem veram venientibus vitæ sacramenta impertiantur. » Plura ante baptismum scrutinia adhibebantur, de quibus late agit Martenius *loc. cit. art.* 11 *pag.* 29. S. Zeno *lib.* 2 *tract.* 27 *pag.* 233 *tom.* 1 *edit. Aug. Vind.* 1758, memorat *legitimum examinis*, aut scrutinii *numerum*, quibus verbis intelliguntur septem scrutinia, quæ fiebant, antequam competentes baptismo donarentur. De his Amalarius archiep. Trevirensis, seu potius Alcuinus *in ep. ad Carolum M. cap.* 12 apud Canisium *Thesaur. monument. eccl. tom.* 2 *par.* 1 *pag.* 545 *ed. Antv.* habet hæc: « Scrutinium finitur sabbato ante Pascha. Ipso die facimus scrutinium septimum, sicut in Romano ordine invenimus scriptum. »

§. XXXIV. Solemni adveniente die, catechumeni ad baptisterium adducebantur (1), qui locus, ut plurimum, erat ab ecclesia distinctus ac separatus (2): atque ibi tria maxime præstabant, antequam baptismum acciperent. Scilicet renuntiabant satanæ, pompisque et operibus ejus (3), quam renuntiationem ter emittebant conversi ad Occidentem (4), atque in satanam tamquam præsentem exsufflabant et exspuebant, aliasque edebant aversantis animi significationes (5). Deinde versa ad Orientem facie (6), sese adscribebant Christo, cui deinceps sese perpetuo servire promittebant (7). Denique manibus oculisque ad cœlum sublatis fidem profitebantur, secundum verba symboli, quod baptismum accepturi ter solemniter repetebant (8).

(1) Initio baptismum nullo certo loco datum ostendit exemplum Eunuchi, quem Philippus diaconus in via, et custodis carceris, quem Paulus domi suæ baptizavit. Tertull. *de bapt. cap.* 4 *pag.*

225, et auctor *recognit.* sub nomine S. Clementis Romani *lib.* 4 *ap.* 22 *et tom.* 6 *cap.* 15 apud Coteler. *PP. apost. pag.* 546 *et* 558 *tom.* 1 *edit. indic.*, multos in fluminibus, stagnis, fontibus baptizatos memorant. Constantinus in memoriam Christi Servatoris baptismum in Jordane accipere vehementer cupiebat, uti narrant *Euseb. devit. Constantin. lib.* 4 *cap.* 62 *p.* 662, ac Theodoretus *hist. lib.* 1 *cap.* 32 *pag.* 64 *ed. Cantabr.* 1720. Plures in loco Bethabaræ, ubi Joannes baptizavit, baptizari voluisse, tradit S. Hier. *de loc. hebr. col.* 182 *t.* 3. Sed deinceps pace ecclesiæ reddita, constituta sunt baptisteria, quæ erant sacræ ædes juxta ecclesiam, in quibus unicuique tribueretur baptismus, nisi qua necessitas facere secus cogeret. Justinianus *novel.* 58 priscis legibus sancitum inquit, ut nemini liceat, quæ sacratissima sunt, domi agere; et concilium CP. sub Menna *act.* 1 *c.* 1194 *et* 1206 *tom.* 2 *coll.* Hard. *ed. Paris.*, Zonaram monachum reprehendit, quod domi baptismum administrasset. Hujusmodi baptismi domi collati antiquis conciliis nomine παραβαπτισματων improbantur. Novo jure cautum est, ut in cathedralibus et parochialibus ecclesiis tantum exstet fons baptismalis, ut a suo quisque parocho in ecclesia baptizetur, nisi aliud postulet vel necessitas, vel magna dignitas ejus, qui baptismum suscipere debet, *Clem. un. de bapt.*, rituale Rom. *de bapt.*

(2) Consule Martenium *loc. cit. art.* 2 *pag.* 3.

(3) Auctor. *constit. Apost. lib.* 7 *cap.* 41 apud Coteler. *loc. ind. p.* 383 describit formulam, qua catechumenus renuntiabat *satanæ et operibus ejus, et angelis ejus, et inventis ejus ac omnibus quæ sub eo sunt.* Ejusdem formulæ sententiam habent Hier. *Matth. lib.* 1 *cap.* 5 *t.* 7 *col.* 28; Tertull. *de Spectac. cap.* 4 *pag.* 74 *ed. cit.*; Cyprianus *ep.* 6 *pag.* 16 *indic. edit.*; Ambr. *de Myster. cap.* 2 *num.* 7 *tom.* 3 *col.* 409 *edit. indic.* Interdum etiam spectacula in hac renuntiandi formula diserte memorantur, ut in illa Salviani *de gubernat. Dei lib.* 6 *n.* 6 *pag.* 121. « Abrenuntio diabolo, pompis, spectaculis et operibus ejus. » Atque hujus quidem renuntiationis usum tam vetustum facit *Basilius de Spiritu S. cap.* 27 *n.* 66 *pag.* 55 *ed. Paris.* 1730, ut ejus originem ab apostolica traditione repetat.

(4) Occidentem spectare idem erat atque ipsum spectare satanam, qui *princeps* dicitur *tenebrarum*, ut inquit Cyrill. Hierosol. *Catech.* 1 *mystag. pag.* 307 *num.* 4 *ed. cit.* Trina est renuntiatio, uti testatur auctor *de eccl. hierarch. cap.* 2 §. 3 *et seq. tom.* 1 *ed. Antv.* 1634. Hujus autem trinæ renuntiationis mysteria explicat Vicecomes *de rit. bapt. lib.* 2 *cap.* 20.

(6) Vide auctorem *de hierarch. eccl. loc. cit.* Hæc autem

renuntiatio in porticu, seu vestibulo emittebatur. Nam baptisteria duo, ut plurimum, habebant distincta conclavia, porticum aut vestibulum, in quo catechumeni satanæ renuntiabant fidemque profitebantur; atque interiorem domum, in qua baptismi cæremonia peragebatur.

(6) In mysteriis, inquit Hieron. *in Amos. lib.* 3 *cap.* 6 *col.* 322 *tom.* 6 *ed. cit.*, primum renuntiamus ei, qui in Occidente est, nobisque moritur cum peccatis; et sic versi ad Orientem, pactum inimus cum sole justitiæ, et ei servituros nos esse promittimus. » Eadem habet S. Ambros. *lib. mox indic.*

(7) Sponsionem, qua catechumenus sese Christo perpetuo servire promittebat, *promissum*, *pactum et votum* a Latinis appellatur. Formulam tradit auctor *const. Apost. cit. c.* 41. « Post renuntiationem vero, dum adscribit se, dicat: Et adscribor Christo, et credo et baptizor. » Similem habet Chrys. *Hom.* 6 *in ep. ad Coloss. num.* 4 *tom.* 11 *pag.* 369 *ed. Paris.* Augustini ætate quidam fuerunt, qui fidei in Christum, non vero universalis obedientiæ professionem emittere parati erant; et tamen baptismum petere non dubitabant. Contra hos ipse Aug. scripsit egregium librum *de fide et operibus,* quo christiano homini tum fidem, tum bona opera necessaria esse demonstravit.

(8) Plures quidem catechumeni traditum symbolum reddere debebant; sed cum instaret baptismus, ter, ac solemniter, et coram multis testibus, manibusque et oculis ad cœlum sublatis, fidei professionem emittebant, vel rogati respondebant. Cyrill. Alex. *lib.* 12 *in Joan. cap.* 21 *pag.* 1119 *edit. Paris.* 1639; auctor *eccl. hierarch. cap.* 2 *pag.* 258 *tom.* 1 *ed. cit.*; Leo M. *Serm.* 23 *in nat. Domini* 4 *cap.* 6 *pag.* 54 *tom.* 1 *ed. Romæ* 1753; Aug. *de fide et oper. cap.* 9 *col.* 172 *tom.* 6 *ind. ed.*; Ambr. *de Spiritu S. lib.* 2 *cap.* 10 *col.* 70 *tom.* 4 *ed. ind.* Narrat autem S. Aug. *Confess. lib.* 8 *cap.* 2 *col.* 146 *tom.* 1. Romæ ex edito loco in conspectu populi, nisi nimia catechumeni verecundia obstaret, hanc fidei professionem emitti consuevisse.

§. XXXV. Baptizati in vertice ungebantur (1), tum albis inducbantur vestibus (2), eorum capiti mysticum velamen et corona imponebatur (3), iisque tradebantur cereæ faces (4), ac porro dabatur Confirmatio et Eucharistia (5), postremo lac ac mel benedictum, ad infantiæ significationem (6). Nunc non omnes, qui olim in usu erant, ritus et cæremoniæ ab eccle-

sia retinentur. Desiit solemnis illa catechesis et antiqui desierunt gradus catechumenatus; sed nunc etiam adulti, antequam baptismum suscipiant, in fide et bonis operibus instituendi sunt, ne rudes et ignari, ac minus recte probati sanctissimam religionem amplectantur.

(1) Innoc. I *ep.* 25 *ad Descent. Eugubinum episc. cap.* 3 *col.* 858 apud Coustant. *ep. Rom. Pont.*; Ambr. *de Sacram. lib.* 2 *cap.* 7 *num.* 14 *col.* 453 *tom.* 3 *indic. ed.;* Isidorus *de Offic. eccl. lib.* 2 *cap.* 25 *et* 26 *pag.* 623 *et* 614 *ed. Paris.* 1601. Hujus unctionis originem a Silvestro P. repetunt Amalarius *de eccles. Offic. lib.* 1 *cap.* 27 *in Bibl.* PP. *tom.* 14 *pag.* 957 *ed. Lugd.;* Walfridius *de reb. eccles. cap.* 26 *pag.* 690 *tom.* 10 *in Bibl.* PP. *Paris.* 1624; Rabanus *de instit. cleric. lib.* 1 *c.* 28 *tom.* 6 *pag.* 9 *ed. Col.* 1626, ex quo colligit Hugo Menardus *in not. ad lib. Sacrament. S. Greg. M. not.* 334 *col.* 386 *opp. tom.* 3 *ed. cit.*, scriptores omnes Silvestro antiquiores, qui unctionem memorant, de sacramento confirmationis intelligendos esse. Multi tamen vetustissimam quidem hanc unctionem faciunt, sed negant ullo certo monumento confici posse, eam a Silvestro fuisse institutam. Illud inter omnes constat, quod hæc verticalis unctio sacro chrismate peragebatur, eaque diversa erat ab unctione frontis, hoc est a sacramento confirmationis. Illam sacerdoti permittit, hanc vero uni episcopo servat Innoc. *in epist. ad Decent. Eugubin. cap.* 3 *col.* 858 apud Coustant. Atque ad hanc frontis unctionem pertinet auctor *constit. Apost. lib.* 3 *cap.* 16 apud Coteler. *laud. l. pag.* 291. Verisimile autem est, verticalis unctionis ministrum alium fuisse a ministro baptismi, cum unus sacerdos tantam illam hominum multitudinem baptizare ac simul ungere non posset. Ante unctionem sacerdos baptizato osculum dabat, quem ritum memorant S. Cypr. *ep.* 59 *ad Fidum p.* 95 *edit. Paris.* 1666, et S. Joann. Chrys. *de util. legen. scriptur. tom.* 3 *cap.* 6 *pag.* 81 *c. ed. Paris.*

(2) S. Aug. *Serm.* 223 *qui* 3 *est in vigil. Pasch. col.* 966 *tom.* 1 *et ep.* 54 *num.* 2 *tom.* 2 *col.* 64 *edit. cit. S.;* Ambr. *de Myster. cap.* 7 *num.* 34 *col.* 417 *tom.* 3 *ed. indic.*; Euseb. *in vit. Constantin. lib.* 4 *cap.* 62 *pag.* 662 *edit. cit.*; S. Greg. M. *in Sacram. tom.* 3 *col.* 75, *ibiq.* Menardus *in not. col.* 356 *ed. ind.* Gerebantur eæ vestes per dies octo; quo factum, ut dominica post pascha *dominica in albis* diceretur, quoniam usque ad eam diem baptizati vestes albas gerebant. Usurpatur hodie

etiam ritus albæ vestis, sed ea neophyti eodem tempore induuntur atque exuuntur. Infantibus, qui vestitu non utuntur, album sudariolum datur, catechismus Rom. *par.* 2 *cap.* 2 §. 37.

(3) S. Joan. Chrys. *catech. ad illuminan. tom.* 2 *num.* 1 *pag.* 226 *edit. Paris.* Theodulphus Aurelian. *de ordin. bapt. cap.* 16 *pag.* 13 *tom.* 14 *Biblioth. PP. ed. Lugd.;* Rabanus *de instit. cleric. lib.* 1 *cap.* 29 *tom.* 6 *pag.* 10 *edit. Col.* 1620. In ecclesiis quibusdam etiam lotio pedum adhibebatur, de qua vide Martenium *loco cit. art.* 15 *num.* 8 *pag.* 64.

(4) S. Greg. Nazianz. *orat. de baptism. c.* 40 *pag.* 672 *ed. Col.* 1690; S. Ambros. *de Lapsu virgin. consecr. cap.* 5 *col.* 386 *num.* 1 *tom.* 3 *ed. c.*; S. Greg. Turon. *hist. Franc. lib.* 5 *c.* 11 *pag.* 215 *ed. Paris.* 1699. Dabantur autem catechumenis exstincti cerei, quos ipsi deinceps in fine litaniarum accendebant. Nunc baptizatis datur cereus ardens, de quo vide catechismum Rom. *loc. cit. num.* 74.

(5) Confer Martenium *loc. cit.* 11 *et seq. pag.* 55.

(6) S. Hier. *in Isaiam. cap.* 55 *col.* 644 *t.* 4 *ed. Venet.* 1735, lac tantum, non item mel nominat; quamquam *in dialog. contr. Lucif. num.* 8 *tom.* 2 *col.* 180 utrumque memoret : Multa alia, inquit, quæ per traditionem in ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt, velut in lavacro ter caput mergitare, deinde egressos lactis et mellis prægustare concordiam, ad infantiæ significationem. » Quæ verba *lactis et mellis concordiam* evidenter ostendunt, non lac et mel distincte, sed mel cum lacte commixtum catechumenis dari consuevisse. Similiter et Tertull. *de coron. mil. c.* 3 *pag.* 102 *et adv. Marcion. lib.* 1 *cap.* 14 *pag.* 372 *ed. Paris.* 1675, *lactis et mellis concordiam ac societatem* vocat; atque hinc in libris ritualibus una exstat mellis et lactis benedictio, et una item utriusque tradendi formula. Lac etiam una cum vino baptizatis in Occidente tributum, ostendit Hieronym. *in Isai. cap.* 55 *col.* 644 *cit. tom.* 4. Ceterum quamquam ethnici etiam vix natos pueros lacte et melle enutrirent, quod ex pluribus antiquis scriptoribus manifestum est, ut videri potest apud Cotel. *in ep. Barnabæ c.* 5 *adnot.* 52 *pag.* 29 *tom.* 1 *ed. Amst.*, non tamen ex iis consuetudinem illam suam christiani arripuisse videntur, sed ex V. T. ubi repromissionis terra lacte et melle sæpe recipitur, *cujus iter* (baptizati) *inchoantes, tamquam parvuli lacte nutriuntur et melle*, ut inquit Jo. diaconus *in ep. ad Senarium tom.* 1 *Musei Ital. pag.* 75.

§. XXXVI. Plures hodie etiam, antequam suscipiatur, cum item suscipitur, cum denique susceptus

est baptismus, adhibentur cæremoniæ, quæ in libris ritualibus atque in catechismo Rom. (1) describuntur. In primis autem baptizandus ter satanæ abrenuntiat fideique professionem emittit; tum in baptismo nomen accipit, quod parochus una cum ceteris baptizatorum nominibus peculiari libro describit (2). Dum datur baptismus, adsunt *Patrini*, hoc est *sponsores*, aut *fidejussores*, qui pro baptizato spondent ac fidejubent; unde eorum nomen ductum est (3). In antiquis monumentis sæpe etiam vocantur *susceptores*, quod ex aqua prodeuntes susciperent. Eorum est baptizandos ministris offerre, eosque ex sacro fonte suscipere, pro infantibus ministro interroganti respondere, adultos edocere quid ministro respondere ipsi debeant, curam gerere eorum, quos susceperunt atque ipsos in re christiana erudire (4).

(1) *Part.* 2 *cap.* 2 §. 60 *et seq.*

(2) Nomen sumendum est « Ab aliquo, qui, propter excellentem animi pietatem et religionem, in sanctorum numerum relatus est, » inquit Catechismus Rom. *loc. cit.* §. 75, rejiciendaque sunt falsarum religionum idolorumque nomina. Confer Bened. XIV *Const. Omnium sollicitudinum* 107 §. 3 *et* 14 *ejus bullar. tom.* 1 *pag.* 243 *et* 248 *ed. Rom. seu Ven.* 1754. Describitur hoc nomen, una cum natali die, ac nominibus parentum et patrinorum, in libro, quem unusquisque parochus habere debet. Rituale Rom. *tit. de baptism.*

(3) Patrinorum, seu sponsorum origo ab ipsis fere ecclesiæ incunabulis repetenda est, uti monet Martenius *de antiq. eccl. rit. lib.* 1 *cap.* 1 *art.* 16 *num.* 11 *tom.* 1 *pag.* 59 *ed. Antv. seu Ven.* Eorum meminere Tertull. *de baptism. cap.* 18 *pag.* 231 *ed. Ven.* 1744; auctor *respons. ad ortodox. qu.* 56 *inter opp. S. Justini M. pag.* 460 *edit. Paris.* 1742; auctor *eccl. hierarch. cap.* 2 §. 2 *tom.* 1 *pag.* 168 *ed. Venet.*, auctor *apostol. const. lib.* 3 *cap.* 16; apud Coteler. *PP. Apost. pag.* 291 *tom.* 1 *ed. Amstel.*; S. Aug. multis in locis, aliique complures.

(4) Officia sponsorum describit Aug., seu potius auctor *Sermon.* 168 *num.* 3 *in app. tom.* 5 *col.* 293, et Hildephonsus *adnotat. de ordin. bapt. cap.* 114, apud Baluzium *miscell. sacr. tom.* 2 *pag.* 34 *ed. Lucæ* 1761. Quod infantes per se ipsos non possent,

pro iis sponsores respondere voluit ecclesia, Cyrillus Alex. *in Joan. cap.* 11 *v.* 26 *tom.* 4 *pag.* 885 *ed. Paris.* 1638; auctor *Serm.* 267 *num.* 5 *col.* 441 *in app. tom.* 5 *opp. Aug. ind. ed.* Adultis etiam morbo impeditis *vocem* suam *commodare* inquit Cyrillus Alex. *loc. cit.* Verum pro ipsis etiam adultis, qui per se respondere poterant, sponsores adhiberi voluit ecclesia; sed ipsi tamen respondere debent, Aug. *de bapt. lib.* 4 *cap.* 24 *col.* 141 *tom.* 9 *ed. indic.* Primum exemplum sponsorum, qui his adultis dati sint, præbere videtur Rufinus præfectus prætorii, qui anno 395 cum a sacro fonte eductus fuisset, traditus est Ammonio, qui magna pietatis fama florebat. Confer Tillemont. *Hist. eccles. vie de S. Grégoire de Nysse art.* 22 *tom.* 9 *pag.* 595 *ed. Ven.* 1725 et Orsium *Hist. eccl. lib.* 22 *num.* 88 *tom.* 9 *pag.* 241 *ed. Rom.* 1752.

§. XXXVII. Unus tantum in baptismo patrinus adhibendus est, aut ad summum vir unus unaque mulier (1); neque id munus unicuique committi indiscriminatim debet, sed ei, qui sit catholicus, et sana doctrina bonisque moribus imbutus; maximeque convenit, eumdem saltem puberem et confirmatum esse (2). Repelluntur ab hoc officio infideles aut hæretici, publice excommunicati aut interdicti, publice criminosi aut infames, et qui sana mente non sunt, et qui fidei rudimenta ignorant, ita ut ea docere non possint, quem e sacro fonte susceperunt (3). Vetantur etiam parentes offerre filios suos propter spiritualem cognationem (4), quæ inter patrinum ac baptizatum contrahitur, et vetantur etiam hoc munus gerere monachi, quos solitudini addictos esse oportet (5).

(1) Conc. Trid. *sess.* 24 *cap.* 2 *de ref. matr.* Atque hæc quidem disciplina Trid. concilio antiquior est. Nam plures numero patrinos excludere videtur auctor *Apost. const. lib.* 3 *cap.* 16 *cit.* cum statuit, ut vir a diacono, mulier a diaconissa suscipiatur. Sed explicatius atque disertius unum patrinum constituunt Leo P. *in can.* 101 *de consecr. dist.* 4, conc. Metense an. 888 *can.* 6 *tom.* 11 *Conc. col.* 594 *coll.* Labbei *ed. Ven.*

(2) *Can.* 102 *dist.* 4 *de Consecr.*, rituale Rom. *tit. de patrinis.* Confer Girald. *expos. Jur. pont. p.* 1 *s.* 719 *tom.* 2 *pag.* 524.

(3) Confer rituale Rom. *loc. cit.*, et Martenium *de antiq. eccl. rit. lib.* 1 *cap.* 1 *art.* 16 *num.* 14 *pag.* 60 *ed. ind.*

(4) Olim parentes infantes filios offerebant, S. Aug. *ep.* 98 *ad Bonif. n.* 6 *col.* 266 *tom.* 2 *laud. ed.* Sed deinceps parentes id præstare vetiti sunt, concil. Moguntin. *an.* 813 *can.* 55 *col.* 1016 *t.* 4 *coll.* Hard. Quod factum videtur ob cognationem spiritualem, quæ inter suscipientem et suscepti parentes induci cœpit.

(5) *Can.* 103 *dist.* 4 *de Consecr.*

SECTIO II.

De Confirmatione.

XXXVIII. Effectus sacramenti confirmationis.
XXXIX. Materia hujus sacramenti.
XL. Forma et minister.
XLI. Qui confirmationem suscipiant?
XLII. Hujus sacramenti conferendi tempus, ejusque ritus.

§. XXXVIII.

Qui baptizatus est, novæ virtutis robore firmior ac perfectus Christi miles efficitur per confirmationem. Itaque confirmatio sacramentum est (1), quo homines robur et virtutem accipiunt, tum ad firmiter credendum, tum ad fortiter propugnandum pro fide, quam in baptismo susceperunt. Nimirum qui per baptismum christiani evaserunt, quasi infantes pueri sunt, quos corroborare oportet aliis adjumentis, ut comprimant impetus hostium, cum quibus nobis pugna est, quamdiu hac vivitur vita et firmius ad fidem adhærescant. Itaque Christus confirmationis instituit sacramentum, quo id in nobis confirmat, quod baptismo efficere cœpit; imo vero non confirmat solum, sed etiam

auget ratione quadam admirabili et singulari (2). Vocatur etiam hoc sacramentum *chrisma, unctio, et signaculum Domini, et manuum impositio.*

(1) Conc. Trid. *sess.* 7 *de Sacram. in gen. can.* 1 *et sess.* 7 *de Confirm. can.* 1. « Si quis dixerit, inquit, confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, et non potius verum et proprium sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram ecclesia exponebant: anathema sit. » Quibus verbis a synodo damnantur hæreses Lutheri et Calvini, quorum alter meram cæremoniam, non sacramentum confirmationem habebat, alter catechesim, qua baptizati, ineunte adolescentia, fidei suæ rationem, coram episcopo exponebant. Cum Luthero et Calvino sentiunt Dallæus *de Confirm. lib.* 1 *cap.* 8 *et lib.* 3 *cap.* 13, ac Binghamus *orig. eccl. lib.* 12 *cap.* 1 §. 4 *et* 5 *pag.* 550 *et seq. tom.* 4 *ed. Halæ Magd.* 1755, qui confirmationem sacramentum a baptismo distinctum esse negant, sed ajunt meram esse cæremoniam, quæ baptismum aqua inchoatum perficit. Sed horum aliorumque hæreticorum commenta late refutantur a theologis, ac præter ceteros a Natali Alex *hist. eccles. sæc.* 2 *diss.* 10 *pag.* 378 *t.* 3 *ed. cit.;* Card. Orsio. *diss. de Chrism. confirmat. cap.* 2 *et seq.;* Drouinio *de re sacrament. lib.* 3 *q.* 1 *per tot.*

(2) Consule catech. Rom. *p.* 2 *c.* 3 §. 21 *et* 22.

§. XXXIX. De materia hujus sacramenti non eadem omnium catholicorum sententia est. Sunt enim qui eam in manuum impositione constituunt; sunt qui materiam remotam statuunt unguentum, quod ex oleo et balsamo solemni episcopi consecratione conficitur (1), proximam ipsam frontis unctionem; sunt denique, qui manuum impositionem, et frontis unctionem confirmationis materiam esse arbitrantur (2). Chrisma ab episcopo consecrari, vetus est latinæ et græcæ ecclesiæ consuetudo (3); et vero id ab eo quotannis efficitur feria V in cœna Domini (4); sed latinorum chrisma ex oleo tantum et balsamo, græcorum ex aliis præterea triginta quinque aromatibus conficitur (5).

Est et hoc inter græcos latinosque discrimen, quod hi solam frontem, illi etiam aures, nares, pectus, oculos et pedes ungunt (6).

(1) Catech. Rom. *par.* 2 *cap.* 3 §. 8 *et seq.*; S. Th. *par.* 3 *q.* 72 *art.* 2. Et chrismatis quidem usum in confirmandis neophytis ab ipsis christianæ religionis primordiis esse repetendum, contra Basnagium ac ceteros, ostendit Card. Orsius peculiari diss. *de Chrism. confirm.*

(2) Confer Jueninium *de Sacram. diss.* 3 *de confirm. q.* 2; Drouin *de re Sacram. lib.* 3 *q.* 3, et Tournelyum *præl. theol. de Sacram. confirm. q.* 1 *art.* 3.

(3) S. Basil. *de Spirit. S. cap.* 27 *pag.* 55 *tom.* 3 *ed. Paris.* 1730; S. Cyrillus Hierosol. *catech.* 3 *pag.* 19 *num.* 4 *ed. cit.*; S. Greg. M. *in Sacram. col.* 67 *tom.* 3 *ed. Paris.* 1705. Nullum autem in sacris litteris hujus disciplinæ vestigium exstat, sed eam per manus traditam inquit Basilius; cumque ejus initium ignoretur, ab apostolis repetenda est, secundum August. regulam *ep.* 54 *col.* 124 *tom.* 2 *cit. ed.*

(4) Conc. Toletan. I. *can.* 20 *col.* 992 *tom.* 1 *coll.* Hard. *ed. Paris.* statuit episcopo *omni tempore licere chrisma conficere;* ex quo patet, ea ætate nondum obtinuisse disciplinam, quæ nunc obtinet, conficiendi quotannis chrisma feria V in cœna Domini. Verum hæc antiquissima est atque ejus origo a sæculo V repetenda videtur. Nam ea ætate episcopus feria V in cœna Domini tres missas celebrabat, quarum una erat pro reconciliatione pœnitentium, altera pro conficiendo chrismate, tertia serotina de ipsa diei solemnitate. Id ex vetustis sacramentariis sese deprehendisse testantur Menardus *in not. ad lib. sacrament. S. Gregor. not.* 263 *tom.* 3 *opp. S. Greg. col.* 527 *ed. Paris.*; Bona *de reb. liturg. lib.* 1 *cap.* 18 §. 6 *pag.* 15 *tom.* 2 *edit. Taurin.* 1749, et Martenius *de antiq. eccl. rit. lib.* 1 *cap.* 3 *art.* 3 §. 8 *p.* 104 *tom.* 1 *laud. edit.* Fabiani P. ea de re epistola *in canon.* 18 *de Consecr. dist.* 3 ab Isidoro Mercatore conficta est.

(5) Græcorum ritum in præparando unguento chrismatis ex 35 aromatibus in vino decoctis, describit Goar. *in Euchol. Græc. pag.* 637 *et seq. ed. Paris.* 1647.

(6) Confer Goarium *loc. cit. pag.* 356. Sed S. Cyril. Hierosol. *Catech.* 3 *mystag. cap.* 4 *pag,* 317 *ed. cit.*, tantum memorat frontem, aures, nares, pectus, ex quo patet has tantum partes ea ætate Græcis inungi consuevisse.

§. XL. Quæ de materia, eadem de forma hujus sacramenti disputatio est. Nam alii eam ponunt in oratione, qua episcopus neophyto manus imponens invocat Spiritum Sanct.; alii in verbis : *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti* (1); alii denique tum in his verbis, tum in illa oratione formam ipsam positam esse arbitrantur (2). Ordinarius minister non nisi episcopus est (3); extra ordinem, atque ex supremæ ecclesiasticæ potestatis delegatione etiam presbyteri hoc sacramentum recte administrant (4). Græcorum sacerdotes omnes generatim habent hanc delegatam potestatem, per quam sacramentum confirmationis rite et recte conferunt (5).

(1) Catechism. Rom. *part.* 2 *cap.* 3 §. 12 *et* 13.

(2) Confer Drouin *loc. cit. qu.* 4 *per tot.* Quamquam autem ea res nondum ab ecclesia sit definita, tamen certissimum est, eam semper certis quibusdam verbis hoc sacramentum administrare consuevisse, ut proinde in hoc etiam locum habeat illud Aug. *accedit verbum ad elementum et fit sacramentum.* Sane apostolos verbis usos esse, testantur sacræ litteræ Act. VIII *v.* 15, atque idem annis consequentibus ab ecclesia factum fuisse, constat ex plurimorum Patrum testimoniis, ac inter alios id disertissime tradit Innoc. I *in ep.* 25 *ad Decent. Eugub. cap.* 3 *col.* 859, apud Coustant. *ep. Rom. Pont.*, quamquam ob arcani disciplinam non ipsa describat verba, quibus confirmationis forma constabat. Varias hujus sacramenti formas habet Martenius *de antiq. eccl. rit. lib.* 1 *cap.* 2 *art.* 3 §. 11 *pag.* 91 *ind. ed.*

(3) Petrum et Joannem apostolos missos legimus in Act. VIII *v*, 14 *et seq.*, ut a Philippo baptizatos confirmarent. Concil. Trid. *sess.* 7 *de Confirm. can.* 3 « Si quis dixerit, inquit, sanctæ confirmationis ordinarium ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, anathema sit. » Confer etiam S. Cornelium *ep.* 9 *ad Fabium Antioch. cap.* 4 *col.* 153, apud Coustant. *ep. Rom. Pont.*; S. Cyprianum *ep.* 73 *ad Jubaj. pag.* 124 *ed. Paris.* 1666; Innoc. I *ep. ad Decent. Eugub. c.* 3 *n.* 3 *col.* 858 apud eumdem Coustant.; S. Hier. *contr. Lucif. num.* 9 *col.* 181 *tom.* 2 *ed. Ven.* 1735; S. Greg. M. *lib.* 4 *ep.* 9 *col.* 689 *tom.* 2 *ed. ind.*; Innoc. III *in cap.* 4 *de Consuet.* Quæ

hæretici objiciunt, refelluntur a theologis, præsertim Juenino *de Sacram. diss.* 3 *de confirm. qu.* 5 *art.* 2, et Drouinio *de re sacram. lib.* 3 *qu.* 7 *per tot.*

(4) Ita Greg. M. *l.* 3 *ep.* 26 *col.* 705 *laud. ed. t.* 2 presbyteris in Sardinia degentibus extra ordinem confirmandi tribuit facultatem. Consule S. Th. *p.* 3 *q.* 72 *a.* 11 *ad* 1, et Ben. XIV *de synod. diœces. lib.* 7 *cap.* 7, qui de hac summi Pontificis delegatione copiose disserit et diligenter. Verum chrismatis benedictio adnumerata semper fuit inter propria episcopalis ordinis munera; et ideo confirmandi privilegium a sede Apostolica presbyteris concessum adjunctam legem habere solet, modo ipsi chrismate utantur ab episcopo consecrato. Disputat Bened. XIV *loc. cit. num.* 1 *et* 2, num S. Pontifex etiam chrismatis consecrandi facultatem sacerdoti tribuere possit. Quæsitum est etiam, num episcopus sacerdoti concedere possit confirmandi facultatem; sed cum sedes Apostolica, quæ arctare potest episcoporum jurisdictionem, sibi uni hanc facultatem reservaverit, irrita est confirmatio, quæ per solam episcopi delegationem a presbytero collata est. Confer Ben. XIV *loc. cit. num.* 3 *et seq.*

(5) Græcorum sacerdotes ante Photianum schisma confirmationis sacramentum conferre solitos fuisse, ostendunt Morinus *diss.* 2 *de Sacram. confirm.*, et Lucas Holstenius *diss.* 1 *de ministr. confirm. apud Græcos.* Dubitari autem non potest, quin ii non solum valide, sed etiam licite confirment ex tacita saltem delegatione sedis Apostolicæ, quæ hanc eorum consuetudinem ratam habet, ut observant Arcudius *de Concord. eccles. occid. et orient. l.* 2 *de Confirm. cap.* 15 *pag.* 96 et Ben. XIV *loc. cit. tom.* 8. Certe in concil. Florentino *tom.* 9 *coll.* Hard. *col.* 450, Eug. IV, inter alias quæstiones, hanc ordine sextam Græcis proposuit: « Quare Pontifices non inungerent sacro chrismate, sed sacerdotes, cum hoc Pontificibus sit datum? » Verum ut habetur in actis ejusdem concilii *loc. cit.* « Hæc a Latinis objecta Mitylenensis episcopus canonice legitimeque dissolvit. » Confer Holstenium *de ministr. confirm. apud Græcos*, ex quo patet, a Græcis canonicas suæ disciplinæ rationes allatas fuisse, per quas Latinis satisfactum est, atque has rationes concilio fuisse probatas. Sacerdotibus tamen Italo-Græcis confirmare vetitum est a Clem. VIII *Const. Sanctissimus* 107 *Bullar. ed. ult. t.* 3 *cap.* 2 *pag.* 72, et Benedict. XIV *Const.* 57 §. 3 *pag.* 104 *et Constit.* 129 §. 4 *pag.* 322 *tom.* 1 *ejus Bull. edit. Romæ seu Venet.* 1754. Unus hic amovendus est obex: Innoc. III *in c.* 4 *de Consuet.* prsebyteros, qui *apud CP.* per abusum confirmabant, confirmare in posterum vetat; ex quo confici videtur posse,

græcis presbyteris vetitum esse confirmationis sacramentum administare. Verum Innoc. loquitur de latinis presbyteris, qui CP. morabantur; et vero in integra decretali, quæ exstat apud Baluzium *tom.* 1 *epist. Innoc. III pag.* 480, nominatim agitur *de latinis presbyteris*, sed verbum illud *latinis* in decretalium collectione Raymundus omisit.

§. XLI. Non nisi baptizati confirmandi sunt, cum fieri non possit, ut adolescat, qui nondum natus est (1). Suscipere confirmationem possunt omnes tum infantes, tum adulti; et diu quidem viguit consuetudo, ut statim post baptismum confirmatio tribueretur (2). Græci nunc etiam retinent hanc consuetudinem (3); sed ab ea jam pridem recesserunt Latini (4), apud quos pueri ante septimum ætatis annum non confirmantur (5). Et quamquam hoc sacramentum non ejusmodi habeat necessitatem, ut sine eo salvus quis esse non possit, tamen qui illud negligunt, aut contemnunt, salutem suam in discrimen adducunt, gravisque criminis rei sunt, quoniam omnes eniti debent, ut christianæ vitæ perfectionem acquirant (6). Adulti, qui hujus sacramenti gratiam et dona consequi cupiunt, non solum fidem et pietatem afferre, sed etiam graviora, quæ admiserunt, crimina delere ex animo debent. Quare elaborandum est, ut primum peccata confiteantur, ac jejunia, aliaque pietatis opera suscipiant, curentque, ut jejuni ad hoc sacramentum accedant (7).

(1) Confer D. Th. *p.* 3 *q.* 72 *art.* 6. Presbyterum quemdam Scotum, Samsonem nomine, qui non baptizatos confirmari posse putabat, damnavit Zacharias P. *ep.* 10 *ad Bonif.* apud Labb. *coll. conc. tom.* 8 *col.* 255 *ed. Venet.* Iis, qui post baptismum flagitiosam vitam duxerant, ac morientes confirmationem petebant, denegatum hoc sacramentum ex *canon.* 39 concil. Eliber. colligit Albaspinæus *in not. pag.* 175 *edit. Neap.* 1770, quem Juenin sequitur *de Sacram. diss.* 3 *q.* 6 *cap.* 2.

(2) Tertull. *de Bapt. cap.* 7 *pag.* 226 *ed. Paris.* 1675; S. Cypr. *epist.* 70 *ad Januar., et ep.* 73 *ad Jubaj. pag.* 117 *et*

124 *ed. Paris.* 1666; S. Cyrill. Hierosol. *catech.* 3 *mystagog. pag.* 316 *num.* 1 *ed. cit.;* S. Dionysius, seu potius auctor *libri de eccl. hier. cap.* 2 *pag.* 254 *tom.* 1 *ed. Aniv.* 1634; concil. Laodic. *can.* 48 *col.* 789 *tom.* 1 *coll.* Hard.

(3) Consule L. Allatium. *de perpet. consens. eccl. occid. et orient. lib.* 3 *cap.* 18; Goarium *in not. ad ritual. græcor. pag.* 367; Nainonum *euopl. cathol. fid. pag.* 2 *cap.* 3; Vanslebium *Hist. eccl. Alexand. pag.* 2 *cap.* 21.

(4) Incertum est, quo primum tempore confirmatio multo post baptismum conferri cœperit; et forte id factum est, cum rarior evasit baptismus adultorum. Confer Martenium *de antiq. eccles. rit. lib.* 1 *cap.* 2 *art.* 1 §. 3 *pag.* 86 *tom.* 1 *laud. edit.* Ceterum nunc etiam cum adulti baptizantur, latinæ ecclesiæ sententia est, confirmationem a baptismo, si fieri commode potest, non esse separandam. Rituale Rom. *tit. de baptism. adult.*

(5) Catechismus Roman. *pag.* 2 *cap.* 3 §. 19. Sed quamquam ipse catechismus non expedire dicat, quod pueris confirmatio ante septennium conferatur, non tamen id ita est intelligendum, quasi numquam his pueris hoc sacramentum conferri possit. Nam pueri, qui in vitæ discrimine versantur, etiam ante septennium sunt confirmandi, S. Th. *loc. cit. art.* 8 *ad* 4, et alia similiter justa causa esse potest, propter quam pueris ante illam ætatem hoc sacramentum detur. Consule Catalanum *in Pontific. Rom. tit.* 21 §. 7 *num.* 19 *et* 22 *tom.* 3 *pag.* 227 *ed. Rom.* 1740.

(6) Consule Catech. Rom. *loc. cit. num.* 17 *et* 18, et D. Th. *q.* 72 *art.* 1.

(7) Olim non nisi jejunis dabatur hoc sacramentum, quod multis collectis monumentis ostendunt Martenius *loc. cit. art.* 2 *p.* 88, Juenin *de Sacram. diss.* 3 *de Confirm. qu.* 9 *cap.* 2. Verum hæc consuetudo ætate D. Th. cœperat oblanguere, uti ipse testatur *ib. art.* 12 *ad* 2. De hac laudabili antiquæ ecclesiæ consuetudine christianos monere jubet catechismus Rom. *loc. cit.* §. 20, et recte *ubi congrue observari potest*, inquit D. Thom. *loc. cit.*, *convenientius est, ut a jejunis* (confirmatio) *detur et accipiatur.*

§. XLII. Confertur hoc sacramentum potissimum in Pentecoste, quoniam hoc maxime die apostolos Spiritus Sancti virtate roboratos et confirmatos fuisse constat (1). Offeruntur autem confirmandi a sponsoribus sive patrinis, quos probos christianos et confirmatos esse oportet (2): debentque pro sacri chrismatis reverentia frontem eluere, decidentesque in eam

capillos attondere. Episcopus confirmato alapam impingit (3), ut discat se paratum esse oportere ad omnia adversa pro Christi nomine invicto animo toleranda, eique pacem impertitur (4); denique ejus frons bombyce diligenter abstergitur (5).

(1) Catech. Rom. *loc. ind.* §. 26, S. Car. Bor. *in V conc. Mediol.*

(2) Proprios confirmationis patrinos adhibuit ecclesia cum seorsum a baptismo dari cœpit hoc sacramentum; atque hinc ab antiquioribus patribus soli baptizatorum patrini memorantur. Eadem fere de utrisque sunt constituta et qui in baptismo patrini esse nequeunt, iidem etiam in confirmatione hoc munus gerere prohibentur.

(3) Hujus alapæ nulla mentio est in sacramentario S. Greg. M., aut in iis, qui IX et X sæculo de ritibus scripserunt. Primus forte eam memoravit Durandus Mimatensis episcop.: ejus vero mysteria explicat S. Carolus Borr. *Instruct. de Sacram. confirm. pag. 4 act. eccl. Mediol. tom. 1 pag. 452 ed. Patavii 1554.*

(4) Catechismus Romanus *loc. cit.* §. 26.

(5) Olim confirmandorum frontes bandellis, seu vittis lineis cingebantur, quas usque ad sæculum XII gestabant per dies plures, Amalarius *de Divin. Offic. lib. 1 cap. 4 in Bibl. PP. tom. 14 pag. 966 ed. Lugd.* Deinde in nonnullis ecclesiis obtinuit, ut lineæ vittæ tantum per triduum gererentur.

SECTIO III.

De Eucharistia.

XLIII. Eucharistia quid?
XLIV. Ejus materia.
XLV. Qualis adhibeatur panis.
XLVI et XLVII. Forma et minister.
XLVIII. Quibus Eucharistia tribuitur.
XLIX. A jejunis sumenda est.
L. Quo tempore omnes fideles eam sumere debebant?
LI. Eucharistiæ conferendæ ritus.
LII. Dies festus corporis Christi, processio, expositio.
LIII. Eucharistia novæ legis sacrificium.
LIV et LV. Liturgiæ.
LVI. Quo sermone liturgia absolvenda sit.
LVII. Quibus diebus olim Missa celebraretur?
LVIII. Plures olim Missæ ab uno sacerdote celebratæ.
LIX. Qua hora celebrarentur?
LX et LXI. Missa publica et privata.
LXII. Quo loco Missa celebranda sit?
LXIII. Dominicis festisque diebus fideles Missæ sacrificio interesse debent.
LXIV. Mos antiquus offerendi panem et vinum.
LXV. Missæ honorarium.
LXVI. Pro eo, qui honorarium dedit, sacrificium speciatim offerendum est.

§. XLIII.

Sacramentum omnium nobilissimum est Euchristia; per quod ipsum Christi corpus et sanguinem, sub specie panis ac vini, sumimus, Deique gratia miris modis augemur, modo illud rite recteque suscipiamus. Eucharistiæ vocabulum græcum est, quod latine reddi potest bona gratia, sive gratiarum actio, quod nomen huic sacramento tributum est, tum quod ipsum gratarum omnium fontem continet, tum quod in ejus institutione Christus Patri gratias egit. Communionis nomine, quo sæpe appellatur, significatur conjunctio fidelium cum Christo, cui nos hoc sacramentum copulat, et vinculum charitatis, quo nos inter nos in eodem Christo conciliamur et jungimur (1). Dicitur etiam Cœna, quod in illo novissimæ cœnæ salutari

mysterio Christus Dominus hoc sacramentum instituit (2).

(1) Apost. I ad Cor. X *v.* 16; S. Jo. Damasc. *de fide orthodox. lib.* 4 *cap.* 13 *tom.* 1 *pag.* 273 *ed. Le-Quien Paris.* 1712 et Dionysius, sive potius auctor operis *de eccl. hier. c.* 3 *n.* 1 *tom.* 1 *pag.* 282 *ed. Antv.* 1634. Consule Albaspinæum *observ. lib.* 1 *pag.* 1 *et seq. edit. Neap.* 1770 *et de Euchar. lib.* 2 *cap.* 4 *pag.* 360.

(2) Alia, quibus Eucharistia appellatur, nomina vide apud Bonam *rer. liturg. lib.* 1 *cap.* 3 *t.* 1 *p.* 17 *et seq. ed. Taurin.* 1747, Drouin *de re sacram. lib.* 4 *qu.* 1 §. 1 aliosque complures. Confer etiam Ballerinios *not.* 6 *in tr.* 38 *S. Zenonis t.* 1 *pag.* 251 *ed. Aug. Vin.* 1758.

§. XLIV. Duplicem habet materiam, panem et vinum, quorum alter Christi Corpus, alterum sanguis efficitur, conversione mirabili, quam *transsubstantiationem* vocamus (1). Vinum ex uvis esse debet, panis ex tritico: azymo utitur ecclesia latina, græca fermentato (2). Utrumque recte consecrari non ambigitur (3); sed propriæ ecclesiæ consuetudo ab unoquoque servanda est (4).

(1) Catholica Fides docet, verum Christi corpus et sanguinem in Eucharistiæ sacramento contineri, inque eo neque panem, neque vinum remanere, sed hoc totum in Christi sanguinem et illum similiter totum in corpus converti. Sunt hæc catholica dogmata a synodo Trident. *sess.* 2 *de Sacram. Euchar. can.* 1 *et* 2 definita adversus Calvinum et Lutheranu, quorum alter veram ac realem Christi præsentiam in eucharistia negabat, alter una cum Christi corpore et sanguine, panis vinique substantiam in eo sacramento remanere contendebat. Similiter catholica veritate constat, Christum in Eucharistia esse per veram transsubstantiationem, per quam totus panis Christi corpus, et totum vinum Christi sanguis efficitur, non per impanationem, quæ esset unio hypostatica Verbi Divini cum substantia panis, aut per consubstantiationem, quæ esset conjunctio substantiæ panis et vini, cum substantia carnis et sanguinis Christi, adeo ut Eucharistia non solum Christi corpus ac sanguinem, sed simul etiam panem vinumque contineret. Late catholicam veritatem de-

monstrant theologi, quos inter consule Drouin *de re Sacram. lib. 4 qu. 6 cap. 4 sect. 2.*

(2) De usu azymi atque fermentati, magna est inter eruditos disputatio, cum certo statui non posse videatur, num latini semper azymo, græci autem fermentato pane semper usi sint. Antiquiores theologi scholastici putarunt, latinam ecclesiam ab initio azymum panem adhibuisse usque ad hæresim Ebionitarum, quæ an. Chris. 74 erupit; sed cum ipsi Ebionitæ antiqua legalia simul cum Evangelio servanda esse contenderent, ecclesiam, ne hæreticos imitari videretur, rejectis azymis fermentatum instituisse, ea vero extincta hæresi ad azymum redisse. Ita nimirum sentiunt Jo. Scotus *in 4 dist. 11 qu. 5;* Alex. Alensis *qu. 32 membr. 3 ad ult. et par. 4 de Sacram. Euchar. qu. 10 membr. 4 art. 1 §. 3;* S. Bonav. *in 4 dist. 11 art. 2 qu. 1.;* S. Thom. *ib. qu. 2 art. 2.* Verum hæc opinio nullum habet idoneum fundamentum, quo niti posse videatur, neque ejus rei verbum unum est apud antiquos scriptores, qui per decem priora sæcula res ecclesiæ scriptis illustrarunt. Nechites Archiep. Nicomediæ, apud Anselm. Havelbergensem *dial. lib. 3 cap. 13, Spicilegii d'Achery t. 1 pag. 200 ed. Paris.* 1723, Melchiadem ac Siricium Pontifices fermentatum apud latinos instituisse tradit, verum hæc sententia ducta est ex libro pontificali Damasi P., cujus, ut omnes norunt, suspecta fides est. E recentioribus tres potissimum ea de re doctorum hominum sententiæ circumferuntur, nimirum Jac. Sirmondi, Jo. Mabillonii, Jo. Bonæ Card. Contendit Sirmondus *in Disquis. de Azymo,* latinos ab initio fermentatum consecrasse usque ad sæc. IX, deinceps vero medio illo tempore, quod excurrit inter Photianum schisma et Michaelem Cærularium, hoc est inter an. circiter 867 et 1054, azymum adhibere cœpisse. Contra vero Mabillon. *præf. 1 ad sæc. III Benedict. num. 64 p. XXVIII ed. Venet.* 1734 *et dissert. de Azymo et fermentat.*, perpetuum in ecclesia latina azymorum usum ab ipsa apostolorum ætate fuisse arbitratur. Quæ eadem sententia est Joann. Cabassutii *in notit. eccl. sæc. 2 diss. 12;* Christiani Lupi *schol. in canon. concil. diss. de actis Leonis IX cap. 5 et seq. opp. tom. 4 pag. 312 seq. ed. Venet,;* Edm. Martenii *de antiq. eccles. rit. lib. 1 cap. 3 art. 7 §. 5 et seq. pag. 114 tom. 1 ed. Antv. seu Venet.* 1763*;* Ant. Sandini *diss. 11 de perpetuo azymor. usu in eccl. latin.*, et Jo. Ciampini *de azym. et fermentat. conjectur.*, qui tamen in hoc a Mabillonio dissentit, quod apostolis indiscriminatim utriusque panis usum tribuere videtur. Sed Jo. Bona *rer. liturgic. lib. 1 cap. 23 per tot. pag. 150 et seq. tom. 2 edit. Taurin.* 1749, quasi mediam sequitur viam inter has duas Sirmondi et Mabillonii opiniones.

Nimirum late demonstrat, Latinos per novem, aut octo saltem ecclesiæ sæcula nullum posuisse discrimen inter azymum atque fermentatum, sed modo unum, modo alterum panem sine delectu consecrare solitos fuisse. Sententia hæc ceteris probabilior esse videtur, eaque firmissimis nititur argumentis, quæ late ab ipso Bona *loc. cit.* exponuntur. Eam vero, præter ceteros, sequuntur Graveson *hist. eccl. tom.* 3 *sæc.* 9 *colloq.* 3 *pag.* 99 *edit. Aug. Vind. ann.* 1756; Tournelyus *prælect. Theolog. tom.* 9 *in* 4 *de Sacram. Euchar. qu.* 4 *art.* 5 *concl.* 3; Jueninius *de Sacram. diss.* 4 *qu.* 2 *cap.* 2 *art.* 4 §. 5; Drouin *de re Sacrament. lib.* 4 *q.* 2 *cap.* 1 §. 5. Armeni et Maronitæ Latinorum more azymum consecrant; sed a ceteris Orientalibus fermentatum adhibetur. Machaël Cærularius Patriarcha CP. duabus litteris, quarum alteram dedit ad Jo. Tranensem in Apulia episcopum, alterum ad Petrum Patriarcham Antioch., Latinos increpare ausus est, quod azymo uterentur, et nullam esse eorum consecrationem demonstrare conatus est. Sed insanum atque impium hominem refutarunt Leo IX præclara epistola, et Card. Humbertus Silvæ Candidæ episc. egregio dialogo, quæ, quique exstat *tom.* 17 *Annal. Baronii pag.* 92 *et seq. ed. Lucæ.*

(3) Conc. Florent. *in decr. Eug. IV col.* 986 *t.* 9 *coll.* Hard.

(4) Catechismus Rom. *par.* 2 *cap.* 4 §. 14.

§. XLV. Prioribus ecclesiæ sæculis panis a fidelibus oblatus, cujuscumque molis ac figuræ consecrari, sectusque in partes populo tribui solebat. Sed pace ecclesiæ data, diligenti cura paratus est (1), atque in modum coronæ compactus (2), eique impressæ cruces et characteres, qui Christum exhiberent, licet non iidem semper et ubique fuerint (3). Erat autem panis non ita tenuis, ut deinceps esse cœpit, eratque tantæ magnitudinis, ut ex uno, qui consecrabatur pane, cuncti fideles sacramentum acciperent (4). At deinceps oblatæ in tenuem abierunt formam ad instar denarii; et tunc apud Latinos plures oblatæ consecratæ sunt, grandior una pro sacerdote, minores aliæ pro populo, quæ minores oblatæ adhuc *particulæ* appellantur. Vino aliquantulum aquæ admiscetur (5), idque ex apostolica traditione et exemplo Christi, qui vinum cum aqua commixtum præbuit (6).

(1) Conc. Tolet. XVI *cap.* 6 *tom.* 8 *coll.* 62 *coll.* Labb. *edit. Venet.* Explicat autem Martenius *de antiq. eccl. rit. l.* 1 *cap.* 5 *art.* 7 §. 23 *et seq. p.* 116 *laud. ed.*, quo ritu, qua diligentia, et a quibus conficeretur panis, quem sacerdos consecrabat.

(2) Epiph. *in Ancorato num.* 57 *opp. tom.* 2 *pag.* 60 *edit. Paris.* 1622; Cæsarius, S. Greg. Nazianzeni frater, *dial.* 3 *de fid. cathol. pag.* 797 *Bibl. PP. t.* 5 *ed. Lugd.* 1677; Greg. M. *dial. lib.* 4 *cap.* 55 *col.* 404 *opp. tom.* 2 *ed. Paris.* 1705. Hinc a quibusdam oblata *circulus et rotula panis* appellatur. De forma panis, quo utuntur Græci, videndus Leo Allatius *de consens. occid. et orient. eccl. lib.* 3 *cap.* 15 *num.* 18.

(3) Consule Goarium *in not. ad Eucholog. Græcor. pag.* 117; Arcudium *de Sacram. lib.* 3 *cap.* 38; Card. Bonam *rer. liturg. lib.* 1 *cap.* 23 §. 18 *pag.* 209 *et* 210 *ed. Taur.* 1749.

(4) Confer Juenin *de Sacram. diss.* 4 *qu.* 2 *art.* 3.

(5) Aliquantulum, inquam, aquæ vino admiscendum est, quoniam multo plus vini, quam aquæ calici infundere oportet, *cap.* 13 *de Celebr. miss.* Concil. Triburiense *can.* 19 *tom.* 6 *coll.* Hard. *col.* 445, duas ex vino partes, unam ex aqua esse jubet. Sed cetera concilia modicum aquæ infundi volunt, ne vini natura immutetur, neque definiunt quota pars calicis ex aqua esse debeat. Causas autem commiscendæ aquæ cum vino explicat conc. Trid. *sess.* 22 *cap.* 7 *de Sacrific. miss.*, et Catechismus Rom. *loc. cit.* §. 16.

(6) Nullum quidem est in sacris litteris expressum testimonium, quod Christus aquam vino admiscuerit; sed ita tamen ab eo factum esse *conciliorum auctoritate*, inquit Catechismus Roman. *par.* 2 *cap.* 4 §. 14, *et S. Cypriani testimonio comprobatur.* Revera in antiquis liturgiis SS. Basilii et Cyrilli, hujus a Christo factæ commixtionis, diserta mentio est, eamque etiam memorant S. Irenæus *contr. hæres. lib.* 4 *cap.* 33 *num.* 2 *pag.* 270 *edit. Paris.* 1710; S. Cypr. *epist.* 63 *ad Cæcil. pag.* 100 *ed. Paris.* 1666; S. Hier. *Comm. in cap.* 14 *S. Marci col.* 823 *opp. tom.* 11 *ed. Vall. Veronæ;* S. Cæsarius Arelat. *hom.* 7 *in Bibl. PP. tom.* 8 *pag.* 826 *ed. Lugd.;* conc. Carthag. III *can.* 24 *tom.* 2 *col.* 1403; Aurelianense IV *can.* 4 *tom.* 5 *col.* 1365; Trullanum *can.* 32 *tom.* 7 *col.* 1362, apud Labb. *ed. Venet.* Ex quo intelligitur, quam graviter desipiant Calviniani et Lutherani, qui hunc ritum aquæ vino admiscendæ in Eucharistia, inter humana commenta, ac recentes traditiones referunt. Quamquam tamen aquæ cum vino commixtio sine mortali peccato prætermitti non possit, ea tamen si desit, constare sacramentum docet Catechismus Rom. *loc. cit.* §. 17. Ceterum quæstio est, quæ sæc. XII excitari cœpit, num

aqua in Christi sanguinem, an primum in vinum, deinde in sanguinem convertatur. Vide Drouin *de re Sacram. lib. 4 q. 2 cap. 3 §. 4.*

§. XLVI. Verba, quibus consecratur panis, hæc sunt: *Hoc est corpus meum.* Vinum autem consecratur his verbis: *Hic est calix sanguinis mei, novi et æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum* (1). Munus ministri, qui Eucharistiam administrat, in ea consecranda ac distribuenda positum est. Eucharistiam consecrant soli sacerdotes, non item inferiores clerici multoque minus laici; quoniam Christus hanc potestatem tantum apostolis eorumque in sacerdotio successoribus concessit (2). Num plures simul sacerdotes conficere Eucharistiam possint, ab antiquis scholasticis disputatum est; sed id diu a Latinis factum, et nunc etiam a Græcis fieri constat (3). Quin apud nos manent adhuc vestigia antiquæ consuetudinis in presbyterorum atque episcoporum ordinationibus.

(1) Num in forma, qua consecratur calix, ad vim sacramenti tantum necessaria sint verba *Hic est calix sanguinis mei,* an etiam cetera requirantur, vetus quæstio est, de qua vide Juenin *de Sacram. diss. 4 qu. 3 cap. 3;* Drouin *de re sacram. l. 4 quæst. 3 cap. 3.* Quamquam autem Christus voluntatis imperio Eucharistiam consecrare potuisset, revera tamen evangelicis verbis, ex pane et vino, suum corpus et sanguinem confecisse docet D. Th. *p. 3 q. 78 art. 1 ad. 5,* quem theologi fere omnes sequuntur.

(2) Conc. Lateran. IV *cap. 1 tom. 7 col. 17 coll.* Hard., et Trid. *sess. 22 cap. 1, et can. 2 de Sacrif. miss.* Lutheri somnium est, omnes christianos jure divino esse sacerdotes et omnes, præsertim cum id necessitas postulat, Eucharistiæ conficiendæ habere potestatem. Absurdam hanc doctrinam, et ceteros qui ab ea dissimiles non sunt, errores Gnosticorum, Montanistarum, Collyridianorum, Waldensium, Calvinianorum late refutant theologi, atque inter ceteros Drouin *loc. cit. q. 4 cap 1.* Celebrem Tertulliani locum, in quo omnes christiani sacerdotes esse, et omnes offerre dicuntur, accurate inter ceteros expendunt

Albaspinæus *de administrat. Euchar. lib.* 1 *cap.* 8; l'Herminier *de Sacrament. tom.* 2 *cap.* 19; Benedict XIV *de sacrif. miss. sect.* 1 *cap.* 13.

(3) Vetus sane hæc erat latinæ et græcæ ecclesiæ consuetudo, quam pluribus monumentis confirmant Morinus *de Sacr. ordinat. par.* 3 *exerc.* 8 *c.* 1, Card. Bona *rer. liturg. lib.* 1 *cap.* 18 §. 9 *pag.* 21 *tom.* 1 *edit. Taurin.* 1749; Martenius *de antiq. eccles. rit. lib.* 1 *cap.* 3 *art.* 8 §. 1 *et seq. pag.* 119 *tom.* 1 *edit. Antv. seu Venet.* 1763. Eam apud Latinos desiisse suspicatur Bona *loc. cit. pag.* 22, cum late diffusis ordinibus mendicantium, « multiplicata sunt onera missarum, atque ideo necesse fuit singulos sacerdotes, ut iis satisfacerent, singulis diebus privatim celebrare. » Nimirum ea res tota pertinet ad disciplinam quam, salva fide, ab ecclesia mutari posse, nemo catholicus inficiabitur. Vide etiam Dom. Georgium *de Liturg. Roman. par.* 1 *tit.* 12 §. 17 *pag.* 140 *et seq.*

§. XLVII. Eucharistiam a sacerdote consecratam etiam diaconi distribuere possunt. Quamquam enim jus ordinarium eam distribuendi sit penes ipsum qui consecrat, non id tamen ita necessario pendet ab ordine sacerdotali, ut non etiam aliis committi possit. Et olim quidem diaconi Eucharistiam populo tribuebant (1); verum id in occidente præstabant, si necessitas urgeret, atque abesset presbyter aut juberet (2). Nunc soli sacerdotes Eucharistiam administrant; et ejus quidem rei jus proprium atque ordinarium episcopi ac parochi est, ceteri sacerdotes ex alterutrius delegatione id præstant (3). Sed jam pridem eo jure utimur, ut omnes presbyteri Eucharistiam præbeant, atque ita jus parochorum ad viaticum et paschalem communionem redactum est.

(1) S. Justin. *Apol.* 1 *n.* 65 *pag.* 83 *ed. Paris.* 1742; Conc. Nicœn. *can.* 18 *tom.* 1 *cap.* 1531 *col.* Hard.

(2) Auctor *Const. Apostol. lib.* 8 *cap.* 28 apud Coteler. *PP Apost. t.* 1 *pag.* 16 *ed. Amst.* 1724; Conc. Carthag. IV *can.* 38. *col.* 1440 *tom.* 2. Arelat. II. *can.* 15 *col.* 4 *tom.* 5 *coll.* Labb.; Gelasius I *ep.* 9 *ad episc. Lucaniæ cap.* 8 *col.* 316 *eod. tom.* 5. Quin propter gravem aliquam necessitatem minores quoque cle-

ricos, atque etiam laicos Eucharistiam tribuisse constat ex martyrologiis Bedæ, Adonis, Usuardi atque ex Eusebio *hist. lib.* 6 *cap.* 4 *pag.* 318 *ed. Cantabr.* 1720. Ac formidolosis illis temporibus, quibus ethnici imperio potiebantur, laicos consecratum panem in domos suas detulisse, ut eo clam sumpto sese contra tyrannos instruerent, testatur Tertull. *lib.* 2 *cap.* 5 *pag.* 169 *ed. Paris.* 1675. Quem morem etiam post pacem ecclesiæ redditam obtinuisse demonstrant S. Hieron. *epist.* 48 *ad Pamm. num.* 15 *col.* 225 *tom.* 1 *ed. Veronæ* 1754; S. Basil. *ep.* 93 *ad Cæsariam pag.* 186 *t.* 3 *ed. Paris.* 1730; S. Zeno *lib.* 1 *Tr.* 5 *pag.* 60 *tom.* 1 *ed. Aug. Vind.* 1758. In suas autem domos Christiani deferebant Eucharistiam aut linea sindone, vel sacculo involutam, aut arca lignea inclusam, quod observant Fratres Ballerinii *in S. Zenon. lib.* 1 *tr.* 14 *pag.* 113 *tom.* 1 *cit. edit.* Nunc apud Latinos non modo Dominicum corpus, sed sacra etiam vasa laici contrectare prohibentur. Nemo tamen dubitat, quin nunc etiam laicis hæc facultas dari ab ecclesia possit; et certe Pius V Mariæ Stuartiæ Scotorum reginæ, cum ab Elisabetha Anglorum regina, catholicis infensissima, carceribus detineretur, concessit ut manu propria Eucharistiam sumeret.

(5) Hinc *in Clem.* 1 *de Priv.* excommunicantur regulares, qui sine speciali parochorum venia Euchar. præbent.

§. XLVIII. Suscipere Eucharistiam possunt christiani omnes, qui justi ac digni habentur; et olim quidem tum apud Latinos, tum apud Græcos obtinuit consuetudo, ut etiam infantibus post baptismum Eucharistia tribueretur (1). Sed quamquam id probabili ex causa factum fuerit, numquam tamen ecclesia infantibus rationis usu carentibus Eucharistiam necessariam judicavit (2); et latini jam pridem ab ea consuetudine recesserunt (3), quam tamen græci adhuc retinent (4). Nunc igitur Latini Eucharistiæ participes non faciunt pueros, nisi ea mente atque ætate sint, ut vim intelligant sacramenti; quod episcopi et parochi judicio æstimandum est (5). Perpetuo amentes Eucharistiam non sumunt; at si ante amentiam, piam et religiosam voluntatem ostenderint, in exitu vitæ eo sacramento donantur, nisi periculum vomitus, vel alterius indignitatis et incommodi timeatur (6).

(1) S. Cypr. *de Lapsis pag.* 93 *edit. Amstel.* 1700; auctor *Const. Apost. l.* 8 *cap.* 13 apud Coteler. *PP. Apost. tom.* 1 *pag.* 409 *ed. Amst.* 1724; S. Dionys., seu potius auctor *eccl. hier. cap.* 7 §. 11 *pag.* 417 *ed. Antv.*; S. Aug. *epist.* 98 *ad Bonif. tom.* 2 *col.* 265 *de Pecc. merit. lib.* 1 *cap.* 20 *col.* 15 *et* 16 *tom.* 10, *et serm.* 174 *cap.* 6 *col.* 834 *tom.* 5 *ed. Ven.* 1731; S. Innoc. I *ep.* 30 *ad PP. conc. Milev. num.* 5 *pag.* 898 apud Coust. *ep. Rom. Pont.*

(2) Conc. Trid. *sess.* 21 *cap.* 4 *de Communion., et can.* 4 *ejusd. sess.* Quod decretum impudenter hæretici carpunt, atque abutuntur potissimum Augustini et Innocentii locis, ut suadeant eos infantibus necessariam Eucharistiam agnovisse. Ex horum hæreticorum numero sunt Jo. Dallæus, quique ejus errorem sequuti sunt Jos. Binghamus *orig. eccl. l.* 15 *cap.* 4 §. 7 *pag.* 591 *et seq. tom.* 6 *ed. Halæ Magd.* 1759; et Ptr. Zornius *histor. Euch. Infant. Berolini edita an.* 1736. Sed horum commenta graviter et accurate sunt a catholicis doctisque viris refutata. Consule D. Th. *Lect.* 7 *in cap.* 6 *S. Joan*; Card. Toletum *ad dict. cap. annot.* 28; Natalem Alex. *hist. eccles. sæc.* 5 *cap.* 4 *art.* 3 §. 10 *tom.* 5 *pag.* 109 *ed. Venet.* 1776; Card. Norisium *Vindic. Augustin.* §. 4.

(3) Vigebat hæc consuetudo apud Latinos XI sæculo, uti patet ex Hugone a S. Victore *de Sacram. lib.* 1 *cap.* 20 *pag.* 1376 *Bibl. PP. tom.* 10 *ed. Paris.*, ac Radulpho Ardente *Serm. in die Pasch. pag.* 171 *terg. ed. Paris.* 1754, qui duo scriptores ea ætate floruerunt. Sed jam ævo suo antiquum morem desinere cœpisse, ipse Hugo tradit. Neque solum infantes statim post baptismum, sed et omnes innocentes pueri; tum in oriente, ac præsertim CP., tum in occidente, potissimum vero in Galliis, Eucharistiæ participes fiebant, si quando multæ Dominici corporis particulæ superessent, Evagr. *lib.* 4 *hist. eccl. cap.* 36 *pag.* 416 *et Cantabr.* 1720; Nicephorus Callistus *Hist. eccl. l.* 17 *cap.* 25 *tom.* 2 *p.* 772 *ed. Paris.* 1730; Greg. Turon. *de Glor. Martyr. lib.* 1 *cap.* 10 *col.* 732 *edit. Paris.* 1699; concil. Matiscon. II *can.* 6 apud Labb. *tom.* 6 *col.* 675 *ed. Venet.*

(4) Consule Arcudium *de Sacram. Euchar. lib.* 3 *cap.* 11, *et* Janum Nicium Erythræum *ep.* 24 *lib.* 7.

(5) Catechismus Rom. *par.* 2 *cap.* 4 *num.* 62 *et* 63. Consule Ben. XIV Const. *Etsi minime* 42 §. 9 *pag.* 68 *tom.* 1 *ejus Bull. ed. Romæ, seu Venet.* 1754, *et de syn. Diœc. lib.* 7 *cap.* 11, qui ea de re copiose disputat.

(6) Catech. Rom. *loc. cit. n.* 64; S. Th. *p.* 3 *q.* 80 *art.* 9.

§. XLIX. Eucharistia non nisi a jejunis sumenda est (1), exceptis ægrotis, quibus non jejunis datur viaticum (2), cum in vitæ discrimine versantur. Nullum quidem ea de re divinum præceptum est: quin Christus apostolis cœnatis suum corpus et sanguinem dedit. Verum id ipse fecit peculiaribus gravibusque de causis, neque Ecclesiæ ademit facultatem stabiliendi jejunii, quod stabilivit (3), et quo aliquem solvere unus Romanus pontifex justis ex causis potest (4).

(1) De hoc jejunio, quod a dimidia nocte usque ad tempus, quo Eucharistia sumitur, servandum esse constat, late agit Ben. XIV *de syn. diæc. lib.* 6 *cap.* 8.

(2) Viaticum ab antiquis scriptoribus eccl. appellatur quidquid christianos munire posset, cum ex hac vita migrabant; idcirco eo nomine non Eucharistia solum, sed etiam baptismus, confirmatio, absolutio, extrema unctio continebantur, uti ostendit Albaspinæus *obs. lib.* 1 *cap.* 11 *pag.* 27 *et seq. ed. Neapol.* 1770. Ita in Conc. Nicæno *can.* 13 *tom.* 1 *col.* 320 *coll.* Hard., *ultimum et maxime necessarium viaticum*, quod pœnitentibus ex vita excedentibus tribuitur, est absolutio, non Eucharistia; et conc. Vasense I *can.* 2 *t.* 1 *col.* 1787 *coll.* Hard. *ed. Paris.* memorat generatim *sacramentorum viaticum*. Sed nunc ejus vocabuli significatio angustior est, ac designat Eucharistiam, quæ morientibus datur.

(3) Late hoc argumentum persequitur Aug. *ep.* 54 *ad Januar. cap.* 6 *col.* 126 *tom.* 2 *edit. cit.* ubi postquam inquit: « Liquido apparet, quando primum acceperunt discipuli corpus et sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos; » postremo addit: « Numquid tamen propterea calumniandum est universæ ecclesiæ, quod a jejunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui S., ut in honorem tanti sacramenti in os christiani prius Dominicum corpus intraret, quam ceteri cibi. » Vide etiam S. Th. *p.* 3 *qu.* 80 *art.* 8; Nicolaum I *in Resp. ad consult. Bulgar. cap.* 65 *tom.* 5 *conc. col.* 375 *coll.* Hard.; card. Bonam *rer. liturg. lib.* 1 *cap.* 21 §. 1, ibique Salam *in not. tom.* 2 *pag.* 108 *ed. Taurin.* 1749.

(4) Confer Bened. XIV *Const.* 55 *tom.* 4 *ejus Bull. pag.* 248 *ed. Romæ seu Venet.* 1758, ubi Jacobo II M. Britanniæ Regi, post tenuem cibum valetudinis causa sumptum, facultas Eucharistiæ suscipiendæ conceditur. Ceterum in Sacramentario S. Greg.

col. 73 *tom.* 3 *ed. Paris.* 1705 pueris, qui lac ob necessitatem suxerant, Eucharistia permittitur; quod etiam habet Ordo XV ecclesiæ Apamiensis apud Martenium *de antiq. eccl. rit. lib.* 1 *cap.* 1 *art.* 18 *tom.* 1 *p.* 75 *ed. indic.* Ordo autem Romanus a Mabillonio descriptus *tom.* 2 *Musei Ital. num.* 46 *pag.* 28, lactentes pueros tantum ante unam horam, quam Eucharistiam capiant, jejunos esse jubet. Quin etiam feria V in cœna Domini Eucharistiam in ecclesiis quibusdam a non jejunis sumi consuevisse, constat *ex can.* 29 Conc. Carthag. III apud Labb. *tom.* 2 *col.* 1405 *edit. Venet.*, qua de re rogatus S. Aug. *epist.* 54 *ad Januar. cap.* 5 *col.* 126 *tom.* 2 *cit. edit.* respondit, servandam esse locorum consuetudinem. Verum mos ille dandæ pueris Eucharistiæ jam pridem antiquatus est et illa, quam memoravi, consuetudo quarumdam ecclesiarum, dandæ non jejunis Eucharistiæ feria V in cœna Domini, ecclesiæ lege sublata est. Vide Juenin *de Sacram. diss.* 4 *qu.* 8 *art.* 2 §. 1.

§. L. Olim fideles, qui sacrificio intererant, quotidie (1) atque, ut plurimum, sub utraque specie panis et vini, Eucharistiam accipiebant (2). Sed nullum unquam ea de re præceptum fuit; et certe sub una tantum specie integrum sacramentum suscipi, catholica fides docet (3). Imminuta etiam christianorum charitate, quotidiana illa communio sensim desiit; ac denique necessitas suscipiendæ Eucharistiæ præcipuis quibusdam anni diebus ab ecclesia imposita est. Primum ter in anno, hoc est in Natali Domini, in Paschate, in Pentecoste (4), postremo semel, hoc est saltem in Paschate, christiani omnes Pœnitentiæ et Eucharistiæ sacramenta accipere jussi sunt (5).

(1) Quod ostendit illud *Act. II v.* 41 de primis christianis: *erant autem perseverantes in doctrina apostolorum, et communicatione fractionis panis et orationibus;* quod de Eucharistica communione Patres intelligunt. Omnes, qui sacris mysteriis intererant, Eucharistiam suscipiebant, Justin. *apol.* 11 *num.* 65 *pag.* 83 *ind. ed.*; Cypr. *de orat. pag.* 192 *edit. Paris.* 1666; auctor *lib. de eccl. hier. cap.* 3 §. 12 *pag.* 290 *tom.* 1 *ed. ind.*, et can. 10 apost. apud Coteler. *PP. apost. p.* 445 *tom.* 1 *cit. ed.* damnantur « Fideles, qui ingrediuntur ecclesiam et scripturas

audiunt, non autem perseverant in oratione, non sanctam communionem percipiunt, » quem canonem explicans de frequenti communione, late disputat Beveregius in *cod. canon. eccl. primit. l.* 2 *cap.* 5 *pag.* 80 *tom.* 2 apud eumdem Coteler. *loc. cit.* Quin sua etiam ætate quotidianam communionem Romæ viguisse testatur Hier. *ep.* 48 *ad Pamm. num.* 15 *col.* 225 *tom.* 1 *edit. Veronæ.* 1734, *quod*, ipse inquit, *non reprehendo, nec probo.* Hieronymo antiquior Didymus Alexand. *de Trin. lib.* 3 *cap.* 21 *pag.* 398 *edit. Bonon.* 1769, morem eumdem memorat ecclesiæ Alex., vocatque Eucharistiam *desideratissimum Pascha*, quoniam fideles hoc sacramentum summo desiderio appetebant. Aug. autem *ep.* 521 *col.* 125 *t.* 1 *ed. cit.* variam ea de re ecclesiarum consuetudinem demonstrat.

(2) Antiquitus christianos, ut plurimum, sub utraque specie Eucharistiam accepisse patet ex Apost. I *ad Cor. XI v.* 26 *seq.;* Justino M. *loc. cit.;* Cypr. *ep.* 57 *pag.* 253 *ed. Amst.;* Cyrillo *catech.* 523 *num.* 21 *et* 22 *pag.* 332 *edit. Paris* 1720; Chrys. *hom.* 82 *in Matth. pag.* 788 *t.* 7 *ed. Montf. Paris.;* Leone M. *Serm.* 41 *cap.* 5 *pag.* 111 *tom.* 1 *ed. Romæ* 1753; Zenone *lib.* 2 *tr.* 38 *pag.* 251 *et tr.* 53 *pag.* 280 *t.* 1 *ed. Aug. Vind.* 1758, aliisque compluribus. Ut plurimum, inquam; nam sæpe sub una tantum specie Eucharistiam datam constat, unde intelligitur, id semper ecclesiam ratum habuisse, quod nullum sit præceptum, quo laici et clerici sacrificium non conficientes, Eucharistiam sub utraque specie accipere compellantur. Revera ad ægrotos in lecto decumbentes sub una tantum specie Eucharistia plerumque deferebatur; atque ita eam Serapionem et Ambrosium accepisse tradunt Dionysius Alex. apud Euseb. *hist. eccles. lib.* 6 *cap.* 44 *pag.* 318 *ed. Cantabr.* 1710, et Paulinus *in vit. Ambr. n.* 47 *opp. Ambr. t.* 4 *col.* 15 *ed. indic.* Similiter pueris infantibus, ut plurimum, sub una specie dabatur sacramentum, et fideles qui, ethnicis dominantibus, Eucharistiam domi servabant, solum accipiebant panem, quem unum memorant Patres, ac nominatim Tertull. *lib.* 2 *cap.* 5 *ad Uxor. p.* 169 *edit. Paris.* 1675, non autem vinum, quod facile corrumpitur. Quin etiam in publicis conventibus diu fideles sub una panis specie Eucharistiam suscepisse die Parasceves, ex Ordine Romano manifestum est. Fuse ac diligenter ea de re contra Protestantes disserit Bossuet duobus libellis, quorum alteri titulus est *De communione sub utraque specie*, alteri *Defensa traditio de communione sub una specie.* Vide etiam Selvagium *antiq. Christian. lib.* 3 *cap.* 9; Drouin *de re Sacram lic.* 4 *qu.* 8 *cap.* 2; Juenin *de Sacram. diss.* 1 *qu.* 9 *art.* 2. In primis autem consulendus est doctissimus Card.

Garampius, qui in egregio opere, cui titulus *Memorie della B. Chiara di Rimini diss. 5 pag. 177 et seq.*, cum de quotidianæ communionis, tum de Eucharistiæ sub utraque specie accipiendæ usu, copiose et præclare disputat. Ac gravissimas quidem habuit ecclesia causas propter quas communicandi consuetudinem sub altera tantum specie non solum approbaret, sed etiam decreti auctoritate firmaret, easque numerat Catechismus Rom. par. 2 *cap.* 4 §. 66. Ætate S. Thomæ adhuc in quibusdam occidentis ecclesiis consuetudo accipiendi sub utraque specie Eucharistiam perseverabat, uti patet *par.* 3 *q.* 80 *art.* 12. Græci tamen hanc consuetudinem nunc etiam retinent, atque eam permittendam censuerunt Conc. Flor., Leo X *in const. Accepimus*, et Clem. VII *in const. Provisionis nostræ*, apud Guerram, Pontif. const. epitome, *t.* 2 *p.* 506. Confer Leonem Allatium, *ad not.* 1 *de eccl. occid. atque orient. consensu,* et Arcad. *Conc. occid. et orient. l.* 3 *c.* 4. Italo-Græcis hæc consuetudo integra relinquitur a Ben. XIV *in const. Allatæ sunt* 47 §. 25 *t.* 4 *ejus bull. p.* 185.

(3) Conc. Trid. *sess.* 21 *cap.* 1 *et* 2 *de Comm.* Quod etiam ante docuerat syn. Constantiensis *sess.* 13 apud Labb. *t.* 16 *col.* 218. Quæ « Jam ante istud tempus diutissime illam consuetudinem communicandi sub una specie, ab ecclesia observatam fuisse testatur. »

(4) Conc. Agath. habitum VI sæc. can. 18 col. 1000 tom. 2 coll. Hard. « Sæculares, inquit, qui Natali Domini, Pascha et Pentecoste non communicaverint, catholici non credantur, nec inter catholicos habeantur. » Eadem habet *syn. Turon. habita IX sæc. can.* 50 *col.* 1050 *t.* 4 *coll.* Hard. Falso Gratianus Agath. canonem concilio Eliberitano, ac Turonensem Fabiano P. adscribit *can.* 19. *et* 21 *dist.* 2 *de consecr.;* nam hæc disciplina multo post Eliber. conc., ac Fabianum P. inducta est.

(5) Conc. Trid. *sess.* 13 *can.* 9 *de Euchar.*, quo decreto confirmatus est canon concilii Lateran. *in cap.* 13 *de pœn. et remiss.* Hic autem canon omnes utriusque sexus fideles saltem semel in anno proprio sacerdoti sua peccata confiteri, et Eucharistiam suscipere jubet. Quæsitum est quis proprius sacerdos haberi debeat, et omnes fere consentiunt proprium sacerdotem, cui sua quisque crimina semel in anno aperire debet, et a quo sacramentaliter absolvendus est, esse parochum, salva tamen S. Pontificis in toto orbe christiano, et episcoporum in suis diœcesibus auctoritate, qui et eam exercere ipsi possunt, et aliis sacerdotibus exercendam committere. Quare non tantum qui proprio parocho, sed etiam qui aliis sacerdotibus a S. Pont. aut episcopo delegatis, sua confitentur crimina, ecclesiæ præcepto satisfaciunt. Confer

Nat. Alex. *diss. de sensu canonis utriusque sexus in thesaur. theolog. tom.* 21 *opusc.* 9 *pag.* 548 *seq.* Quod autem dicitur, ab omnibus christianis Eucharistiæ sacramentum in Paschate esse accipiendum, id de hebdomada sancta et octava Paschatis accipiendum est, Eugen. IV *in Bulla Fide digna* 24 *pag.* 53 *t.* 1 *par.* 3 *Bullarii ed. Rom. ult.*

§. LI. Certis autem verbis, ab ipsis ecclesiæ primordiis, Eucharistia dari consuevit, uti nunc etiam datur (1). Primum episcopi, tum presbyteri, deinceps diaconi, ceterique inferiores clerici, monachi, diaconissæ, virgines, ac tandem laici, primum viri, postea mulieres (2); et clerici quidem intra, laici extra sanctuarium (3); atque omnes non flexis genibus, uti nunc, sed stantes, prono tamen capite, ac demissis oculis (4), Eucharistiam accipiebant. Cuncti lotis manibus et facie accedebant (5), manuque excipiebant Christi corpus (6), sanguinem aut calamo sugebant aut ex calice ori admoto ebibebant; quin etiam interdum corpus sanguine intinctum porrigebatur (7).

(1) Auctor *Const. Apost. lib.* 8 *cap.* 13 apud Coteler. *PP. apost. pag.* 409 *t.* 1 *ed. Amst. cit.*, et S. Ambr. *de Sacram. l.* 4 *cap.* 5 *num.* 25 *col.* 467 *tom.* 3 *ed. Ven. cit.* describunt formulam, quæ ea tempestate adhibebatur, eaque erat: *Corpus Christi: sanguis Christi.* Ætate S. Gregorii, uti testatur Jo. Diaconus *in ejus vit. lib.* 2 *cap.* 41 *opp. S. Gregor. tom.* 4 *col.* 58 *edit. Paris.* 1705, formula his erat concepta verbis: *Corpus Domini Nostri Jesu Christi conservet animam tuam.* Denique ævo Alcuini, uti ipse tradit *de Sabbato Sancto Paschæ, col.* 259 *Bibl. PP. tom.* 10 *ed. Paris.* 1624, facta est formula ad hunc modum: *Corpus Domini Nostri Jesu Christi custodiat te in vitam æternam.* At non eadem omnino ubique fuit. Recitata a ministro formula, Eucharistiam accipientes respondebant: *Amen.* Auctor *const. Apost. loc. cit.;* Cornelius P. apud Euseb. *lib.* 6 *cap.* 43 *pag.* 515 *ind. edit.;* Aug. *contr. Faust. l.* 22 *cap.* 10 *col.* 251 *tom.* 8 *ed. Venet. cit.;* Leo M. *Serm.* 93 *cap.* 3 *pag.* 263 *tom.* 1 *edit. Romæ* 1753; Cyrillus Hieros. *catech.* 23 *num.* 21 *pag.* 331 *cit. ed. Paris.* Sed jam pridem apud nos receptum est, ut fideles Eucharistiam taciti accipiant.

(2) Auctor *Const. Apostol. loc. cit.*

(3) Conc. Toletano IV *canon.* 18 *t.* 3 *col.* 585 *coll.* Harduini sancitum est : « Ut sacerdotes et levitæ ante altare communicent, et in choro clerus, extra chorum populus. » In Africa etiam laici ad cancellos, qui chorum a populo separabant, Eucharistiam accipiebant, quod colligitur ex Aug. *Serm.* 392 *cap.* 5 *col.* 1506 *tom.* 5 *ed. cit.* Neophytis tamen, uti constat ex eodem Aug. *Serm.* 224 *c.* 4 *col.* 979 *d. tom.* 5 *cit. ed.*, beneficii loco permittebatur, ut ad altare accederent. In Mediol. ecclesia laicos extra sanctuarium communicasse, demonstrat factum Ambrosii, qui Theodosium imp. sibi intra illud locum arrogantem sanctuario prohibuit. Neque dissimilis fuit Græcorum consuetudo, uti colligitur ex conc. Laodiceno *can.* 19 apud Labb. *tom.* 1 *col.* 1554 *ed. Venet.*, verum imperatori datus est intra sanctuarium locus. Conc. Trullan. *can.* 69 *col.* 1379 *tom.* 7 apud eumdem Labb. Galli tamen etiam laicis ad altare communionem permiserunt, uti ostendunt concil. Turon. II *can.* 4 *col.* 536 *t.* 6 apud eumd. Greg. Turon. *hist. Franc. l.* 10 *cap.* 8 *p.* 491 *ed. Paris.* 1699, Cæsarius Arelat. *Serm.* 289 *in app. S. Aug. num.* 5 *opp. Aug. tom.* 5 *par.* 2 *col.* 482 *ed. indic.*

(4) Hanc quidem fuisse, et nunc etiam esse græcorum consuetudinem manifestum est ex Cyrillo *catech.* 123 *n.* 22 *pag.* 352 *ind. edit. Paris.* atque ex libris ritualibus. Idem de Latinis non audet affirmare Card. Bona *rer. liturg. l.* 2 *cap.* 17 §. 8 *pag.* 395 *t.* 3 *ed. Taur.* 1753; tantum monet, in missa solemni summi Pontificis diaconum stantem communicare, omnino ex veteri ritu. Sed verisimile est, eamdem Latinorum fuisse disciplinam. Confer Habertum *in not. ad Pontif. Græcor. p.* 270; Valesium *in not. ad Euseb. hist. lib.* 7 *cap.* 9 *pag.* 330 *edit. Cantabr.*; Thiers *in Gallic. diss. de Altaribus;* Salam *ad Bonam loc. cit. not.* 3 *pag.* 396.

(5) S. Jo. Chrys. *hom.* 3 *in ep. ad Ephes. pag.* 22 *tom.* 11 *ind. ed.;* S. Aug. *Serm.* 17 *cap.* 3 *col.* 96 *tom.* 5 *edit. indic.* Eadem ratione mundissimas quisque vestes sumebat, cum ad Eucharistiam suscipiendam accederet; qua in re singulare est illud, quod legitur in vita S. Jonæ monachi apud Bollandum 11 *Febr. tom.* 2 *pag.* 250 *ed. Antv.* 1658, quod scilicet per annos octuaginta quinque mundam servavit vestem, qua tantum Eucharistiam suscepturus induebatur.

(6) Dionysius Alex. *in ep. ad Xistum Pontif.* apud Eusch. *dist. eccles. lib.* 7 *cap.* 9 *pag.* 330 *laud. edit.; Cypr. de Lapsis pag.* 176 *ed. Paris.* 1666; Basil. *ep.* 93 *ad Cæsariam Patric. pag.* 187 *tom.* 3 *ed. Paris.* 1730; Chrys. *hom. in diem. natal.*

Domin. num. 7 *tom.* 2 *pag.* 365 *ed. cit.*; Damascenus *de fid. orthod. lib.* 4 *cap.* 13 *tom.* 1 *pag.* 271 *ed. indic.*; Aug. *contr. lit. Petil. lib.* 2 *cap.* 25 *col.* 233 *tom.* 7 *edit. indic.*; Ambros. *apud Theodoret. hist. eccl. l.* 5 *cap.* 18 *pag.* 215 *ed. Cantabr.* 1720; Cyrillus *catech.* 23 *num.* 21 *pag.* 331 *cit. edit.* concava manu et sinistra dexteræ subjecta, Christi corpus suscipi jubet. Hoc autem viros inter atque mulieres discrimen intercedebat, quod viri nudis manibus, mulieres linteo Eucharistiam excipiebant, uti patet ex Cæsario Arelat. *Serm.* 229 *in app. August.* 5 *opp. Aug. tom.* 5 *par.* 2 *col.* 576 *cit. ed.*, et ex conc. Antissiodorensi *can.* 36 apud Labb. *tom.* 6 *col.* 645 *ed. Venet.* Atque huc etiam *canonem* 42 ejusdem concilii Antissiodorensis referendum putant Card. Bona *rer. liturg. lib.* 2 *c.* 17 §. 5 *p.* 369 *tom.* 3 *ed. cit.*; Martenius *de antiq. eccl. rit. lib.* 1 *cap.* 4 *art.* 10 *pag.* 156 *t.* 1 *edit. cit.* aliique complures. Nam eo canone sancitum est, ut « Unaquæque mulier, quando communicat, dominicalem suum accipiat. » Illi autem *dominicalem* interpretantur linteum mundum, quo subjecto mulieres Eucharistiam accipiebant. Sed cum ea de re Antissiodorenses Patres satis egissent *can.* 36, neque virisimile sit, eos actum agere voluisse *can.* 42, recte Baluzius in Gratian. *can.* 19 *caus.* 23 *q.* 3 ostendit, *dominicalem*, cujus in eo concilio mentio est, fuisse tegmen, quo mulieres ad Eucharistiam accedentes caput operiebant. Porro non uno et eodem tempore ubique desiit mos Eucharistiæ manu excipiendæ. In ecclesia Romana jam inde a sæc. VI in os injectam Eucharistiam colligitur ex eo, quod narrat S. Gregor. M. *dial. lib.* 3 *cap.* 3 *col.* 284 *opp. tom.* 2 *edit. Paris.* 1705. Ibi enim refertur communio cuidam muto et claudo distributa a S. Agapito, qui anno 535 S. Pontifex creatus est, ac dicitur *Corpus Dominicum in os misisse*. Similiter Rothom. concilio sancitum est, ut *nulli laico, aut fœminæ, Eucharistiam in manibus ponant* sacerdotes, sed *tantum in os ejus*. Integrum hujus concilii canonem describit Mabillon. *præf.* 12 *I part. sæc.* 3 *Bened. obs.* 11 *n.* 76 *p.* 56 *tom.* 3 *ed. Venet.* 1734, quem editum putat circa annum 880, quo ex tempore, inquit, abrogari cœpit mos ille Eucharistiæ manu excipiendæ, reservata tamen diacono et subdiacono Dominici Corporis tranctandi facultate. Verum in Rom. ecclesia ante hanc ætatem Christi Corpus in os mitti consuevisse, demonstrat Greg. locus, quem paulo ante descripsi; nisi quis forte hoc singulare exemplum ducat, unde generalis consuetudo educi non potest. Consule Fr. de Berlendis de *Oblat. ad altar. commun.* §. 5 *p.* 137.

(7) Postremum hunc modum rejecit syn. Bracarensis IV *can.* 2 apud Labb. *tom.* 7 *col.* 579 *ed. Venet.*, probavit autem conc.

Turonense apud Burchardum *Decret. lib.* 5 *cap.* 9. Et vero mos hic sæc. XII omnibus fere ecclesiis communis erat, uti patet ex *epist.* 2 Emulfii Roffensis episc. *ad Lambertum* apud d'Achery *spicil. tom.* 3 *pag.* 471 *ed. Paris.* 1723. Confer Martenium *de antiq. eccl. rit. l.* 1 *c.* 4 *art.* 10 §. 13 *pag.* 157 *t.* 1 *ed. cit.*

§. LII. Eucharistia omnibus necessaria, qui eam suscipere possunt; atque in primis eos, qui ex hac vita migrant, tam salutari viatico instructos et munitos esse oportet (1). Ergo hac præsertim de causa, ne quis subita vi morbi correptus sine hoc sacramento decedat, ejus in ecclesia servandæ usus ab antiquissimo tempore inductus est (2). Labentibus annis ecclesia nova voluit accedere nostræ venerationis argumenta erga admirabile sacramentum, quod, cum vere contineat gratiarum fontem uberrimum Christum Jesum, eo modo, quo Deum, colere ac revereri debemus. Nam institutus est peculiaris dies festus Corporis Christi, et supplicationis genus, quod *processionem* dicimus, et mos inductus, ut Eucharistia publice fidelibus adoranda proponatur (3).

(1) « Duplex est modus, inquit D. Thom. *p.* 3 *q.* 80 *art.* 11, percipiendi hoc sacramentum, scilicet spiritualis et sacramentalis. Manifestum est autem quod omnes tenentur, saltem spiritualiter, manducare; quia hoc est Christo incorporari. Spiritualis autem manducatio includit votum seu desiderium percipiendi hoc sacramentum; et ideo sine voto percipiendi hoc sacramentum non potest homini esse salus. » Confer etiam Drouin *de re sacram. lib.* 4 *qu.* 8 *cap.* 1.

(2) Samuel Basnagius Calvinianus homo *annal. tom.* 2 *ad an.* 200 *pag.* 255 *num.* 5, consuetudinem Eucharistiæ in ecclesia servandæ recentiorem esse arbitratur. Sed Basnagium solide graviterque refutat Rob. Sala *ad Bonam rer. liturgic. lib.* 2 *cap.* 17 §. 6 *not.* 1 *pag.* 579 *et seq. tom.* 3 *edit. Taurin.* 1755; atque hujus quidem religiosæ consuetudinis antiquitatem ipse etiam agnovit hæreticus homo Jos. Binghamus *orig. eccl. lib.* 15 *cap.* 4 §. 11 *pag.* 409 *tom.* 6 *edit. Halæ Magd.* 1735. Mitto antiqua testimonia, quæ pene innumera sunt, quæque viri docti collegerunt; tantum indicabo præclarum locum Cyrilli Alex. *ep. ad*

Calosyrium adv. Anthropomorphitas tom. 6 *p.* 565 *ed. Paris.* 1636. « Porro, inquit, alios etiam esse audio, qui mysticam benedictionem (hoc est consecrationem) nihil ad sanctificationem juvare dicant, si quid ex ea fiat reliqui in alium diem. Insaniunt vero qui hæc asserunt. Neque enim alteratur Christus, neque Sanctum ejus Corpus immutatur (dum species manent) sed benedictionis vis, ac facultas et vivificans gratia perpetua in ipso exisit. » Erat autem *receptaculum spiritualis alimoniæ*, hoc est Eucharistiæ, uti loquitur Ambr. *ep.* 4 *ad Felic. tom.* 5 *col.* 792 *ed. cit.*, adinstar columbæ vel turris, ut plurimum, elaboratum, quod aut in præcipuo, aut peculiari altari servabatur; Greg. Turonensis *de glor. martyr. cap.* 86 *c.* 818 *ed. Paris.* 1699; Conc. CP. sub Menna *act.* 5 *col.* 1319 *t.* 2 *coll.* Hard. *edit. Paris.* Interdum etiam Eucharistia pone majus altare ad summum ecclesiæ parietem, ara non supposita, in vasculo patente retinebatur. Paulinus *ep.* 32 *ad Sever. col.* 197 *ed. Muratorii Veronæ*, in baptisteriis supra fontes in pixide, quæ columbam repræsentabat, servatam docet Eucharistiam, quam recenter baptizati accipiebant. Consule Mabillon. *comm. ad ordin. Rom. cap.* 20 *pag.* 159 *t.* 2 *ed. Paris.* 1689; Martenium *de antiq. eccl. rit. lib.* 1 *cap.* 5 *art.* 3 *pag.* 251 *edit. laud.*; Chardonium *hist. sacram. l.* 3 *cap.* 13. Eucharistia *non imaginario ordine, sed sub crucis titulo*, ut inquit syn. Turonensis II *can.* 3 apud Labb. *tom.* 6 *col.* 536 *ed. Venet.*, nimirum non quovis loco, et cujusvis arbitrio, sed in medio altaris, et sub crucis titulo posita esse debebat. Sic enim interpretor hunc canonem, qui eruditorum torquet ingenia, neque assentior doctissimis viris Sirmondo et Mabillonio, qui alias hujus canonis interpretationes ediderunt. Illud hoc loco animadvertendum est, Eucharistiam in ecclesiis non parochialibus sine venia sedis Apostolicæ retineri non posse, Ben. XIV *Const. Quamvis justo* 7 §. 24 *pag.* 38 *tom.* 3 *ed. Romæ seu Ven.* 1754. Confer. Card. Petram *in const. Apost. ad const.* 1 *Urbani IV sect. un.* 29 *tom.* 3. Et quoniam facta mentio est antiquissimæ consuetudinis Eucharistiæ in ecclesia servandæ, pauca dicenda videntur de celebri, quæ non multis ab hinc annis exarsit controversia, num scilicet recte administretur Eucharistia ex præconsecratis, an omnino ex sacrificio cum præsentibus communicandum sit. Nam anno 1737, cum Cremæ episcopatum teneret Cardinalis Calinus, Jos. Guerrerius cathedralis ecclesiæ canonicus contendere cœpit, fideles in ipsa Missa post sacerdotem Eucharistiam accipere oportere, improbandam autem esse consuetudinem accipiendi extra sacrificium communionem ex præconsecratis. Ut omnis hæc controversia dirimeretur, a Ben. XIV *die* 15 *Nov.*

an. 1472 edita est *const. Certiores* 64 *tom.* 1 *ejus Bull. pag.* 129 *ed. Romæ seu Ven.* 1754. In ea declarat Pontifex, quod pridem expresserat synodus Trid., optandum quidem esse, « Ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior perveniret; » statuit tamen, nullam esse necessitatem, qua sacerdotes Missam celebrentes S. Eucharistiam omnibus petentibus infra ipsam actionem ministrare cogantur, neque improbari posse consuetudinem communicandi ex præconsecratis, cum id pro tempore, loco et personis opportunum judicetur. Nihilo tamen minus Michaël Maria Nannaronius dominicanus anno 1770 Neapoli catechismum edidit, quo Guerrerii sententiam defendere conatus est, sed eum refutavit dominicanus alter Jos. Maria Elephantes, edita Neapoli an. 1774 de hoc argumenti genere peculiari dissertatione. Nannaronius tandem rediit in bonam mentem; sed adhuc adversus consuetudinem distribuendi fidelibus Eucharistiam præconsecratam anno 1779 Patavii dissertationem edidit *de incruenti novæ legis sacrificii communione* Carolus Maria Traversarius Ordin. Servor. B. M. V. Hanc Traversarii dissertationem, et Nannaronii catechismum damnavit Sacra Indicis Congregatio. Totum hoc argumentum accurate pertractavit Bened. Vulpius libro Venetiis edito anno 1790, cui titulus : *Storia della celebre controversia di Crema sopra il pubblico divin diritto alla communione Eucharistica nella Messa, con una dissertazione sullo stesso argomento.* Consule Franc. de Berlendis *de oblat. commun.* §. 5 *num.* 8 *pag.* 155 *ed. Venet.;* R. Salam *in notis ad Bonam rer. liturgic. lib.* 2 *cap.* 20 §. 2 *not.* 2 *pag.* 150 *et seq. tom.* 3 *ind. edit.;* Joan. Laur. Bertium *theol. discipl. lib.* 33 *in app. cap.* 21; Joan. Bapt. Gatticum *de Orator. domest.*

(3) Diem festum Corporis Christi instituit Urbanus IV *in Bulla Transiturus* 19 *tom.* 3 *par.* 1 *Bull. pag.* 414 *edit. Romæ ult.* Morem autem solemniter circumgestandi Dominicum corpus memorant Greg. Turon. *de glor. martyr. lib.* 1 *cap.* 86 *cit. col.* 818, et conc. Bracarense IV *can.* 6 apud Labb. *tom.* 7 *col.* 582 *ed. Ven.* Cuncta hæc accurate persequuntur Juenin *de sacram. diss.* 4 *art.* 4; Thiers *de expos. Venerab.,* Chardonius *histor. Sacram. l.* 3 *c.* 14, 15, 16. Confer etiam Martenium *de antiq. eccl. rit. lib.* 4 *cap.* 29 *tom.* 3 *pag.* 196 *ed. indic.;* Ben. XIV *inst. eccl.* 5; Muratorium *liturg. Rom. diss. de reb. liturg. c.* 24.

§. LIII. Non sacramenti solum rationem habet Eucharistia, sed etiam sacrificii; imo unum novæ Legis

sacrificium est. Nam quoties illud sacerdos conficit, toties Christus Dominus sine cruore immolatur, reditque memoria immensæ charitatis ejus, qui pro nostra salute Deo Patri semetipsum in ara crucis obtulit. Differt sacramentum a sacrificio, quod illud consecratione perficitur, omnis vero sacrificii vis in eo est, ut offeratur (1). Deinde sacramentum, præter ceteras utilitates, meriti causam affert iis, qui illud recte suscipiunt; sacrificium vim habet non merendi solum, sed eitam satisfaciendi (1). Nam quemadmodum Christus Dominus in passione sua pro nobis meruit ac satisfecit, ita qui hoc sacrificium offerunt, quo nobiscum communicant, Dominicæ passionis fructus merentur ac satisfaciunt (3).

(1) Catechismus Rom. *par.* 2 *cap.* 4 §. 71.

(2) Conc. Trid. *sess.* 22 *cap.* 2 *et can.* 3 *de Sacrif. Missæ.* Hinc catholica veritas de sacrificii, quod vere propitiatorium est, oblatione non solum pro vivis, *sed et pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis.* Quarto sæculo Aërius preces pro defunctis fundendas esse negavit, quam nefariam hæresim ut everteret S. Ephrem Syrus, S. Basilii discipulus, multas de defunctis odas, cantus et carmina, officia scilicet defunctorum omnia, ut inquit Abraham Ecchellensis *de Catal. Ebedjesu pag.* 45, composuit, de quibus vide Assemanum *in Bibl. orient. tom.* 1 *pag.* 132 *et seq.* Errorem illum Aërii renovarunt protestantes; verum ea de re Ecclesiæ doctrina ita certa est, atque omnium Patrum consentiente auctoritate firmata, ut plane desipiant, qui eam in discrimen revocare conantur. Nam ipsam testatissimam faciunt S. Cypr. *ep.* 66 *pag.* 109 *ed. Paris.* 1666.; Tertull. *de Coron. cap.* 3, *de Exhort. castit. cap.* 11, *Monogam. cap.* 10 *pag.* 102, 525, 531 *ed. Venet.* 1744; S. Zeno *l.* 1 *tr.* 16 *pag.* 133 *tom.* 1 *ed. Aug. Vind.* 1758; S. Cyrill. Hierosol. *catech. mystag.* 5 *num.* 9 *et* 10 *edit. Paris.* 1720; S. Epiphanius *de expos. fid. n.* 23 *tom.* 1 *p.* 1106 *ed. Paris.* 1622; S. Ambr. *ep.* 39 *ad. Faustin. num.* 4 *tom.* 3 *col.* 1014, *et in orat. de obit. Theod. col.* 593 *tom.* 4 *ed. cit.*; S. Aug. *Conf. lib.* 9 *cap.* 12 *col.* 168 *tom.* 1, *de Civ. Dei lib.* 21 *cap.* 24 *col.* 641 *t.* 7, *de Cur. gener. pro mort. cap.* 1 *col.* 515 *tom.* 6 *c. ed.*; Cassianus *Collat.* 19 *cap.* 1 *pag.* 747 *ed. Atrebat.* 1628, aliique

complures, quos longum est referre. Auctor *Const. Apost. lib.* 8 *cap.* 41 *et* 42 *PP. Apost. tom.* 1 *pag* 423 *et* 424 *edit. ind.* orationem describit pro defunctis cum sacrificio fieri solitam. Confer Card. Bonam *rer. liturgic. lib.* 1 *cap.* 15 §. 4 *pag.* 307 *et seq. ibique.* Salam. *in not.* 1 *ed. Taurin.* 1747; Drouin *de re Sacr. lib.* 5 *qu.* 7 *cap.* 1; Juenin *de Sacram. diss.* 5 *qu.* 5 *cap.* 1 *et seq.*; Ben. XIV *de Sacrif. Miss. sect.* 1 *cap.* 17 §. 1. Atque ex hac quidem catholicæ ecclesiæ doctrina de divino sacrificio, quod prodest non tantum vivis, sed etiam mortuis, qui nondum plane sint expiati, piæ Missarum fundationes repetendæ sunt. Quarum fundationum præclarum monumentum occurrit in testamento S. Remigii episcopi Remensis apud Flodoardum *hist. eccl. Remen. l.* 1 *c.* 18 *pag.* 92 *edit. Duaci* 1617, qui ita Agricolam presbyterum nepotem suum alloquitur : « Vineam, quam Bebrimodus fecit, tibi eatenus derelinquo, ut diebus festis, et omnibus diebus dominicis sacris altaribus mea inde offeratur oblatio.» Ad hunc locum advertens Christ. Lupus *Schol. in can.* 69 *conc. Trullani opp. tom.* 3 *pag.* 126 *ed. Venet.* 1724, *adeo antiquum est*, inquit, *pro anima sua missas fundare.* Verum et alia sunt ejusdem rei antiqua monumenta; quin etiam octavo præsertim sæculo mutuæ societates pro vivis, ac præsertim mortuis commendandis institutæ sunt, et perpetua anniversaria frequentiora fieri cœperunt. De his societatibus insignis est locus apud Ven. Bedam, qui in mercedem vitæ S. Cuthberti a se conscriptæ, hæc rogat in prologo ad Eadfridum episcopum et monachum Lindisfarnensem *tom.* 3 *præf. pag.* 152 *ed. Col. Agripp.* 1612. « Me defuncto pro redemptione animæ meæ, quasi pro familiaris ac vernaculi vestri, orare et Missas facere, et nomen meum inter vestra scribere dignemini. Nam et tu, Sanctissime Antistes, hoc et mihi promisisse jam retines: in cujus etiam testimonium futuræ conscriptionis religioso fratri nostro Godfrido mansionario præcepisti, ut in albo vestræ sacræ congregationis meum nunc quoque nomen appareret.» Plures ea de re exstant epistolæ S. Bonifacii episcopi Moguntini, quas inter digna præsertim est quæ legatur *ep.* 206 ad Optatum abbatem *pag.* 150 *ed. Mogunt.* 1605 *opp. ed. Maur.* Accesserunt etiam anniversaria perpetua, non quod ea tunc primum instituta fuerint, sed quod ea frequentissima facta sunt, et horum quidem multa collegit exempla Mabillon. *Acta SS. Ord. S. Bened. præfat. in sæc. III par.* 1 *obs.* 27 *n.* 101 *p.* 49 *ed. Ven.* 1735. Frequentissima, inquam, octavo præsertim sæculo, perpetua anniversaria facta sunt; verum anniversariorum origo multo antiquior est, atque a primis ecclesiæ temporibus repetenda, ut ostendunt Patres, quos paulo supra

commemoravi. Doctis tamen viris haud plane compertum exploratumque est, perpetuone fierent, an semel anniversaria officia, quorum antiqui illi Patres meminerunt. Ego assentior iis, qui hæc anniversaria magna ex parte perpetua fuisse arbitrantur, et hujusmodi esse puto anniversarium, cujus meminit Tertull. *de monogam. cap.* 10 *pag.* 531 *edit. Venet.* 1744, cum inquit: « Enimvero et pro anima ejus orat, et refrigerium interim adpostulat ei, et in prima resurrectione consortium et offert annuis diebus dormitionis ejus. » Si semel tantum annuum officium persolutum fuisset, unum tantum annuum diem, non plures Tertull. indicasset.

(3) Catechismus Rom. *loc cit.*

§. LIV. Sacrificium Eucharistiæ *Missa* nuncupatur, quod vocabulum non græcum, aut hebraicum, sed latinum est; verum, num a mittendis seu transmittendis ad Deum populi precibus atque oblationibus, an potius a mittendo seu dimittendo populo, ea formula, quam diaconus recitabat, *ite missa est,* non satis constat (1). Certæ in Missa preces ac cæremoniæ adhibentur; atque ille earum ordo vocatur liturgia, quod græcum est verbum, ac latine redditur publicum ministerium. Semper hi ritus, atque hæ preces in quibus verba Christi Eucharistiam instituentis principem locum obtinent, adhiberi consueverunt; sed non eadem fuit ea de re ecclesiarum omnium disciplina (2) Hinc plures, pro varia temporum ac locorum ratione, exortæ sunt liturgiæ (3); et in Oriente quidem celebriores fuerunt liturgiæ S. Basilii ac S. Jo. Chrys., in Occidente Romana, Ambrosiana, Gallicana, Hispanica, quæ etiam Mozarabica appellatur (4).

(1) Confer card. Bonam, qui de Missæ nomine ejusque origine late disputat *rer. liturg. lib.* 1 *cap.* 1 *pag.* 1 *et seq. t.* 1 *ed. Taurin.* 1747; præterea Ben. XIV *de sacr. Missæ sacrif. lib.* 2 *cap.* 1.; Nat. Alexand. *hist. eccl. sæc.* 13 *et* 14 *diss.* 13 *num.* 40 *tom.* 8 *pag.* 499 *ed. Ven.* 1776; Gerbertum *princip. theol. liturg. sect.* 1 *cap.* 2 *pag.* 37 *seq.*

(2) Apostolos, recitata oratione Dominica et formula consecrationis, rem divinam confecisse, scribunt Greg. M. *l.* 9 *ep.* 12

ad Jo. Syracus. col. 490 *tom.* 2 *ed. cit.;* Honorius Augustod. *in Gemma anim. cap.* 86 *in Bibl. PP. tom.* 10 *col.* 1205 *ed. Paris.;* Walfridius Strabo *de reb. eccles. cap.* 22 *col.* 680 *cit. Bibl.;* Berno Augiensis abbas *de quibusd. ad miss. spect. cap.* 1 *cit. Bibl. t.* 10 *col.* 697. Contra Proculus CP. *de trad. divin. liturgic. pag.* 159 *ed. Lugd. Batav.* 1617, *fusissime, longoque verborum ambitu* missam *decantasse* tradit, atque eos *preces et hymnos* adhibuisse testatur Chrys. *hom.* 27 *in* 1 *ad Cor. n.* 5 *tom.* 10 *col.* 248 *edit. cit.* Has, quæ inter se pugnare videntur, sententias conciliat Card. Bona *loc. cit. cap.* 5 §. 3 *pag.* 75, inquiens, brevem illam formulam apostolos adhibuisse, cum gravis metus aut justa alia urgeret causa ; longiorem autem, cum per tempus et occupationes licebat.

(3) Nullus quidem ambigendi locus esse potest, quin ipsis apostolis aliquis fuerit liturgiæ usus pluribus constans precibus, quæ in conficiendo sacrificio fundebantur. Scriptum est *in act. apost. cap.* 2 *v.* 42, fuisse apostolos *perseverantes in communicatione fractionis panis et orationibus; et* Paulus I *ad. Tim. c. II v.* 1 vult fieri *obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt.* Hæc autem omnia in sacrificio peragebantur, uti testatur Justinus M. *apol.* 1 *num.* 65 *pag.* 82 *edit. Paris.* 1742, et huc etiam spectat Tertull. *ad Scap. n.* 2 *pag.* 69 *ed. Venet.* 1744. Morem hunc ab ecclesia observatum circa an. 347 describebat S. Cyrillus Hierosol. *cateches.* 23 *n.* 8 *pag.* 327 *ed. Venet.* 1763, inquiens, « Super illam propitiationis hostiam (en sacrificium propitiatorium, quod negare ausi sunt impii homines, qui Missam abrogarunt) obsecramus Deum pro communi ecclesiarum pace, pro recta mundi compositione, pro imperatoribus, pro militibus et sociis, pro iis qui infirmitatibus laborant, pro his qui afflictionibus premuntur, et universim pro omnibus qui ope indigent, precamur nos omnes et hanc victimam offerimus. » Propterea S. Aug. *ep.* 149 *ad Paulin. n.* 16 *tom.* 2 *pag.* 665 *edtt. cit.*, considerans quid a vetustis temporibus in ecclesia ageretur, *obsecrationes* aut *precationes*, quas Paulus memorat, interpretatur *quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini mensa, incipiat benedici. Orationes* etiam significari ait, *cum benedicitur et sanctificatur, et ad distribuendum comminuitur, quam totam petitionem fere omnis ecclesia dominica oratione concludit.* Habes hic paucis expressum Missæ canonem, qualis nunc etiam a nobis adhibetur. Præfationis nunc quoque usitatæ diserta mentio est apud S. Cypr. *de Orat. dominic. col.* 501 *ed. Venet.* 1758, cum

nimirum dicimus *Sursum corda*, et populus respondet *Habemus ad Dominum*. Evidens igitur apertumque est, primis etiam ecclesiæ temporibus certum fuisse ordinem ritumque precum, qui in re divina conficienda adhibebatur. Verum liturgias, quæ apostolorum Petri, Jacobi, Matthæi, Marci nomina præ se ferunt, eorum revera non esse demonstrat Nat. Alex. *hist. eccl. sæc.* 1 *cap.* 12 *art.* 2 *tom.* 3 *pag.* 32 *ed. Venet.* 1776. Eadem de liturgiis Petri, Matthæi et Marci sententia est card. Bonæ *rer. liturgic. lib.* 1 *cap.* 8 *pag.* 123 *et seq.*, *ibique* Salæ *in not. laud. ed. Taur.;* sed tamen ipse Jacobi liturgiam multis tuetur *loc. cit.* §. 3 *pag.* 128. Petrus le Brun *Explic. Missæ t.* 2 *diss.* 1 contendit, ante quintum sæc. nullam aut græcam, aut latinam liturgiam scripto fuisse mandatam, sed preces omnes ac ritus memoriæ tradi consuevisse. Sed le Brun adversatur Muratorius *liturg. Rom. diss. de reb. liturgic. cap.* 1, cujus ego sententiæ assentior. Illud præclare ab ipso card. Bona *lib.* 1 *cap.* 9 §. 8 *p.* 162 animadversum est, quod *discors concordia in omnibus liturgiis* manifestum facit, ordinem sacrificii ab apostolis traditum esse, atque in omnem terram diffusum. Quamvis enim non eadem sint verba omnium liturgiarum, neque in omnibus singulæ earum partes eodem modo ligatæ sint, tamen omnes « Iisdem membris coalescunt, quæ sunt peccatorum ante omnia confessio, tum introitus, sive quoddam quasi procœmium, deinde psalmi, ac lectiones S. Scripturæ, et potissimum Evangelii, Symboli recitatio, lotio manuum, commemoratio et invocatio Sanctorum, preces pro omnibus vivis et defunctis, gratiarum actio et benedictio, præter ea, quæ essentialia sunt, oblationem scilicet, consecrationem et communionem. » Qui sane ecclesiarum omnium consensus non nisi a Spiritu S. esse potest; et certe singularis est insania protestantium, qui Missæ sacrificium R. Pontificum inventum dicunt. Late hoc argumentum, præter scriptores omnes rerum theologicarum, persequitur Rob. Sala *in not. ad Bonam loc. cit. c.* 4 *pag.* 165 *et seq.*, quin etiam saniores protestantes catholicam veritatem confiteri ac litteris mandare non dubitarunt. Ex eorum numero, præter ceteros, sunt Ern. Grabbius *in Iren. lib.* 4 *adv. hæres. cap.* 32; Th. Brettius *in peculiari diss.*, quæ exstat *in col. præcip. liturgic. eccles. Christ. pag.* 104 *Londini* 1710, et Samuel Jebbius *in Justin. dial. pag.* 215 *Londin.* 1710. Hi omnes cum catholicis fatentur apostolos, cunctosque ecclesiæ Patres Eucharistiam pro novi testamenti sacrificio habuisse, et sub speciebus panis et vini, illud Deo Patri in altari oblatum docuisse demonstrant.

(4) Occupata ab Arabibus Hispania, christiani quod essent cum

Arabibus commixti, *Mixtarabes*, et corrupta voce *Mozarabes* dicti sunt. Confer Rodericum *rer. Hispanic. lib.* 3 *cap.* 22, *et* Pagium *in Baron. ad an.* 714 *n.* 7 *pag.* 200 *tom.* 12 *edit. Luc.* Inde Hispanica liturgia Mozarabica appellata est, quam antiquissimam esse constat. Ritus Mozarabicus servatus in Hispaniis fuit usque ad sæc. XI, sed eo sæculo ad exitum vergente abrogatus, ejusque loco Romanus suffectus est. Denique card. Fr. Ximenius, ne tantæ antiquitatis ritus omnino interiret, eum novis characteribus in lucem emitti voluit, et collegium instituit sacerdotum, a quibus quotidie divina officia et Missarum solemnia eo ritu celebrarentur in sacello, quod in majori ecclesia Toletana ædificavit. Sunt etiam Toleti aliquot parochiæ, in quibus hic Mozarabicus ritus adhuc viget, idemque fit Salmanticæ in sacello doctoris Talabricensis. Confer Alvarum Gomezium *de reb. gest. card. Ximenii lib.* 2; Eug. Roblegium *in vit. card. Ximenii cap.* 32; Card. Aguirrium *tom.* 3 *conc. Hispan. post. conc. Burgense pag.* 358 *et seq.*; Cennium *antiquit. eccl. Hispan. tom.* 2 *diss.* 7

§. LV. Plures autem hi ritus, et hæ cæremoniæ sunt de quibus late agunt scriptores rerum liturgicarum (1), quæque ex apostolica, aut ecclesiastica traditione et disciplina procedunt. Omnia sunt instituta, ut majestas tanti sacrificii commendetur, et mentes fidelium per hæc visibilia *religionis et pietatis* signa, ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitentur (2). Ita mysticæ benedictiones, lumina (3), thymiamata, sacræ vestes (4) in sacrificio adhibentur; similiter receptum est, ut quædam submissa, alia vero elatiore voce in Missa pronuntientur (5).

(1) Confer in primis Card. Bonam *rer. liturg. libros duos*, et Petrum le Brun *explicatio Missæ.*

(2) Conc. Trid. *de Sacrific. Missæ sess.* 22 *cap.* 5.

(3) Joan Henr. Ottius calvinianus homo, qui contra annales cardinalis Baronii examen instituit, irridet hunc ritum accendendi in ecclesia lumina, eumque ætate Hier. minime obtinuisse arbitratur. Sed eum solide refellit Muratorius *liturg. Rom. diss. de reb. liturg. cap.* 20, *et diss.* 16 *in S. Paulinum pag.* 855 *edit. Veronæ* 1736. Dicam ea de re paulo post, cum sermo de ecclesiis habebitur.

(4) De sacris vestibus suo loco opportunius agam.

(5) « Si quis dixerit, (inquit conc. Trid. *sess.* 22 *de Sacrific. Missæ can.* 9) ecclesiæ Rom. ritum, quo submissa voce pars canonis et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse, aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere... anathema sit. » Nihilo tamen minus post hunc Trid. canonem, tam disertum tamque perspicuum, fuere aliqui, qui elata voce, ita ut a populo intelligi possent, partem illam canonis et verba consecrationis proferenda esse censuerunt. Novum hunc errorem superiori sæculo compressit Maturinus Savary Sagiensis episc. edito die 16 martii an. 1698 decreto, quo indicta in eos, qui secus facerent, suspensionis pœna sancivit, ut *canonis verba, prout in Rom. missali notatum præscriptumque est, secreto submissaque voce* pronuntientur. Quod simili decreto die 22 jan. an. 1710 a card. de Bissy Meldensi episc. constitutum est. Arnaldus et ceteri, qui Arnaldi partes sequuntur, non exiguam dederant operam, ut christiani homines minus æquo animo ferrent, quod Missæ canon secreto recitaretur. Sed Claudius le Vert, monachus Cluniac., audacter et omnium apertissime caput extulit adversus hanc secretam canonis recitationem, opere quod primum evulgavit an. 1697. Adversus hunc hominem Vallemontius theologicam atque historicam dissertationem opposuit, Parisiis editam an. 1710, *du Secret de mystères, ou apologie de la rubrique des missels*; sed eum vehementius graviusque refutavit Languetus tunc episcopus Suessionensis *præfat. instruct. pastoral.* 8 *Sept.*, quæ iterum edita deinceps est anno 1720. Vallemontii dissertationem impugnavit anonymus auctor in tractatu Bruxellis edito an. 1717 cum titulo : *apologie de M.r du Vert, ou remarques critiques sur le livre de M.r Vallemont du secret des mystères;* sed eum accurate copioseque defendit Petrus le Brun *diss.* 15 *tom.* 4 operis cui titulus *explicatio Missæ,* qua quidem dissertatione solide graviterque ostenditur, semper in ecclesiis occidentalibus canonem secreto recitari consuevisse. Dignæ in primis sunt, quæ legantur ea de re dissertationes duæ, in quibus cuncta habes, quæ ad hoc argumentum pertinent, explicata diligenter; altera nimirum est dissertatio le Brun, cujus paulo ante facta mentio est, altera vero cum titulo : *Della legittima disciplina da osservarsi nella pronuncia del canone della Messa etc.* anno 1787, Romæ edita est a Fr. Ant. Mondellio, viro erudito et auditore olim meo in Romana academia.

§. LVI. Apostoli eorumque successores in singulis provinciis divina officia persolverunt eo sermone, qui

tunc ipsis communis erat (1); atque ita Hierosolymis hebraice (2); Antiochiæ vero, Alexandriæ atque in aliis græcorum civitatibus græce; Romæ atque in toto occidente latine rem divinam confecerunt (3). Labentibus annis licet hæ linguæ vulgares esse desiissent, ac tantum doctis viris innotescerent, tamen ecclesia eas in divinis celebrandis officiis retineri voluit, tum ne frequens verborum mutatio sensim etiam mutationem sententiarum induceret (4). Interdum tamen populis, qui novissime Christi religionem susceperunt, sedes Apostolica liturgias permittit, quæ vernaculo eorum sermone consriptæ sint (5).

(1) Apostolos eorumque successores, usque ad ætatem Hadriani imp. hebraicum sermonem adhibuisse, tum deinceps ecclesiam græcum usurpare cœpisse, putat Joannes Eckius *de Sacrific. Missæ l.* 2 *cap.* 2. Verum hæc opinio nullo nititur idoneo fundamento.

(2) Hebraicum idioma, quo usi sunt apostoli rem divinam conficientes, non illud erat antiquum idioma, quo veteris testamenti Patriarchæ usi sunt, et quod apostolorum ætate ne notum quidem vulgo Hebræorum erat. Nam eo temporis cursu, quo ipsi Babylone captivi fuerunt, habraici sermonis, quem a parentibus acceperant, oblivisci, et chaldaicam linguam addiscere cœperunt, qua deinceps usi sunt, aliquid tamen retinentes ex patrio sermone, quem pridem adhibebant. Hinc orta tertia lingua ex hebraica antiqua et chaldaica mixta, quæ a regione Syriaca dicta est, quæque deinceps Hebræis vulgaris esse cœpit, et hebraica vulgo appellata, tum quod commixtas habebat ex hebraico sermone voces, tum quod eam Judæi usurpabant. Hac lingua Christus Dominus usus creditur, et eadem S. Matthæi evangelium, ac S. Pauli apostoli epistola ac Hebræos scripta traduntur. Atque hic est sermo Hebraicus, vel potius Syriacus, aut Syro-Chaldaicus, qui Christi, et apostolorum ætate vernaculus erat sermo Hebræorum, quo apostoli rem divinam confecerunt. Confer Petitdidier *in diss. critic. in S. Script. diss.* 8 *pag.* 83; et Renaudotium *diss. de liturg. orient. orig. et antiq. cap.* 6; in primis autem videndus est V. Clar. Joan. Bern. du Rubeis opere Parmæ edito 1772, cui titulus *Della Lingua propria de Cristo, e degli Ebrei nazionali della Palestina da tempi de Maccabei.*

(3) Consule card. Bonam *rer. liturgic. lib.* 1 *cap.* 5 §. 4 *p.* 79

tom. 1. Negat Papebrochius *in conat. chronic. hist. diss.* 15, et Martenius *de antiq. eccl. rit. lib.* 1 *cap.* 3 *art.* 2 *tom.* 1 *p.* 101, his tantum linguis divina mysteria ab apostolis celebrata fuisse ac multa proferunt monumenta, ut conficiant, initio omnes gentes vernaculo sermone suo rem divinam confecisse. Sed eos graviter lateque refellit Rob. Sala *in not. ad Bonam. l. cit. not.* 6 *p.* 85. Vide etiam eumdem Bonam in *app. tom.* 1 *pag.* 416, ubi exstat dissertatio Honorati a S. Maria, qua ostenditur apostolos tantum his tribus linguis, nimirum Hebraica aut Syro-Chaldaica, Græca et Latina, rem divinam confecisse

(4) Conc. Trid. *sess.* 22 *de Sacrif. Miss. cap.* 8, « Etsi Missa, inquit, magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur. » Tum retineri jubet » Ubique cujusque ecclesiæ antiquum et a Sancta Rom. ecclesia, omnium ecclesiarum matre et magistra, probatum ritum, » *et canon.* 9 *ead. sess.* « Si quis, inquit, dixerit... lingua tantum vulgari Missam celebrari debere.. anathema sit. » Porro de Missa vulgari sermone non celebranda plures exstant doctorum hominum lucubrationes, quas omnes simul collectas superiori sæculo, jussu Cleri Gallicani, Parisiis edidit anno 1661 Ant. Vitræus, quibus apertissime ostenditur, quam recte quamque sapienter id ab ecclesia constitutum fuerit. Late etiam ea de re agit pluresque laudat, qui hoc ipsum argumentum egregie illustrarunt, Ben. XIV *de Sacrif. Missæ cap.* 6.

(5) Ita Sclavis sæc. IX a Joan. VIII permissa est liturgia vernaculo sermone, uti constat ex ipsius Joan. *ep.* 247 *ad Sfentopulchrum* apud Labb. *conc. tom.* 11 *col.* 170 *edit. Venet.* Sed eamdem facultatem postulanti Vratislao Bohemorum regi concedere noluit S. Greg. VII *ep.* 11 apud Labb. *tom.* 12 *conc. col.* 464. Confer Ben. XIV *de Sacrif. missæ lib.* 2 *c.* 3 *n.* 14.

§. LVII. Primis ecclesiæ sæculis non omni die sacra mysteria peragebantur. Solum diem Dominicum Paulus (1) memorat; sed tamen ab apostolis ternos dies in singulas hebdomadas, hoc est Dominicam, et quartam, sextamque feriam, constitutos fuisse, Epiphanius (2) tradit. Accessit etiam deinceps Sabbatum (3), qua die ab omnibus, exceptis Alexandrinis atque Romanis, sacra mysteria celebrari consueverunt (4). Ætate Augustini variæ erant ecclesiarum consuetudines, cum alibi quotidie, alibi Sabbato ac die Dominico, alibi

tantum Dominico die res divina perageretur (5). Sed jam diu Latini cunctis diebus, exceptis feria sexta ac Sabbato majoris hebdomadæ, sacrificium conficiunt. Græci illud omittunt per quadragesimam, exceptis Sabbatis, Dominicis et die festo Annuntiationis; et cum non celebrant adhibent Missam *præsanctificatorum*, hoc est corporis Christi ante consecrati, quæ missa etiam a Latinis feria sexta majoris hebdomadæ adhibetur.

(1) I *ad Cor. XVI v.* 2, quod etiam habet Just. M. *Apol.* 2 *n.* 67 *pag.* 83 *ed. Paris.* 1742.

(2) Epiph. *expos. fid. num.* 32 *pag.* 1105 *tom.* 1 *ed. Patavii Paris.* 1622.

(3) Basil. *ep.* 93 *ad Cæsar. Patric. p.* 186 *t.* 3 *ed. Paris.* 1730.

(4) Socrates *hist. lib.* 5 *cap.* 22 *pag.* 295 *ed. Cantabr.* 1720. Verum non multo post etiam Rom. ecclesia aliarum consuetudinem recepit, S. Hier. *ep.* 71 *n.* 6 *col.* 452 *tom.* 1 *ed. cit.* In Oriente *Pascha* (quo nomine Eucharistia designatur) *ter in hebdomade, nonnunquam etiam quater, vel potius quotiescumque voluerimus,* celebratum testatur S. J. Chrys. *Orat.* 3 *contr. Judæos tom.* 1 *pag.* 611 *ed. Parts.* 1718.

(5) Consule Aug. *ep.* 54 *ad Januar. col.* 124 *et seq. cap.* 2, *et Serm.* 58 *de Orat. dom. ad competen. col.* 339 *tom.* 5 *cit. ed.;* Hier. *cit. epist.* 71. Hæc autem ad solemnem tantum missam, quam *majorem* dicunt, pertinere monet Martenius *loc. cit. art.* 3 §. 4 *pag.* 105. Ipse Aug. *Confess. lib.* 5 *cap.* 9 *tom.* 1 *col.* 133 *edit. cit.*, Monicam matrem suam quovis die sacrificio interesse consuevisse testatur, et *de Civ. Dei lib.* 10 *cap.* 20 *tom.* 9 *col.* 335, altaris sacramentum appellat *quotidianum ecclesiæ sacrificium.* Ambr. etiam quotidie sacrum faciebat *epist.* 20 *ad Soror. num.* 15 *t.* 5 *col.* 905 *ed. cit. Vos quoque ipsos,* inquit, *mihi bonos filios gestiebat eripere, pro quibus ego quotidie instauro sacrificium.*

(6) De Missa præsanctificatorum vide Card. Bonam *rer. liturg. lib,* 1 *cap.* 15 §. 6 *t.* 6, et Salam *in not. pag.* 317 *ed. Taurin.* 1747; Leonem Allatium *in Prolegom. ad Gabr. Naudœum de Missa præsanctificat. num.* 1 *pag.* 1551, et Ben. XIV *in const. Allatæ* 47 §. 31 *pag.* 188, *et const. Ex quo primum* 54 §. 32 *pag.* 234 *tom.* 4 *Bullar. edit. laud.*, quibus duabus constitutionibus de Græcorum ritibus late disseritur.

§. LVIII. Quin etiam uno eodemque die idem sacerdos plures missas, et eas non in eodem, sed in diversis altaribus celebrabat (1). Ita in Natali Domini, kalendis Januarii, in cœna Domini, in Paschate, in Rogationibus, in jejuniis post Pentecosten, in festo apostolorum Petri et Pauli, Sancti Joannis Baptistæ, sancti Laurentii et aliorum quorumdam, unus sacerdos pluries rem divinam conficiebat, quot nimirum erant officia et festa, quæ iis diebus occurrebant. Aliis quoque diebus plures sacerdoti missas celebrare licebat (2); sed sæculo XI positus est usque ad tertiam vicem huic arbitrio modus (3). Denique ut avaritiæ quæstus, et obloquentium suspiciones removeret ecclesia, sancivit ut semel tantum, nisi aliud necessitas postulet, a sacerdotibus quotidie sacrificium fiat, excepto die Natali Christi Domini (4).

(1) S Greg. Turon. *de Glor. Confess. cap.* 50 *de col.* 935 *edit. Paris.* 1699; Conc. Antissiod. *can.* 10 *tom.* 3 *col.* 444 *collect.* Hard. Consule Vicecomitem *de antiq. Miss. rit. lib.* 3 *cap.* 28; card. Bonam *rer. liturgic. lib.* 1 *cap.* 18 §. 5 *et seq. pag.* 15 *et seq. tom.* 2 *ed. Taurin.* 1749, et Martenium *de antiq. eccl. rit. l.* 1 *c.* 3 *art.* 3 §. 4 *et seq. p.* 103 *et seq. t.* 1 *ed. cit.*

(2) S. Leo M. *ep.* 9 *ad Dioscor. Alexandr. cap.* 2 *tom.* 1 *col.* 631 *ed. Venet.* 1755; Regino *de eccl. discipl.* 1 *cap.* 33 *pag.* 10 *edit. Viennæ* 1765; Walafridus Strabo *de reb. eccles. cap.* 21 *in Bibl. PP. tom.* 10 *ed. Paris. col.* 679.

(3) Conc. Salegunstad. an. 1012 *c.* 5 *tom.* 6 *par.* 1 *c.* 829 *collect.* Hard.

(4) *Can.* 53 *de Consecr. dist.* 1 *C. Consuluisti* 3 *et cap. Te referente* 12 *de celebr. Missarum.* Subditis tamen Hispaniarum et Lusitaniæ regum a Ben. XIV *in Const. Quod expensis* 61 *pag.* 296 *t.* 2 *Bullar.*, concessa est facultas duas tresve missas celebrandi in die commemorationis omnium defunctorum, modo nihil exinde accipiant easque speciatim non applicent. Ceterum nunc etiam necessitas, secundum Inn. III decretal. *in can.* 3 *de celebr. missar.*, efficere potest, ut ab uno sacerdote Missa repetatur. Verum Sac. Congregatio apud Fagnanum *in cap. In ordinando* 1 *de Simon. num.* 57 declaravit, id tantum posse fieri, cum gravis urget necessitas, quæ primum episcopo probata sit.

Tum Bened. XIV *in Const. Declarasti* 3 *pag.* 15 *tom.* 2 « Certissimum esse monet, missionariis tantum a sede Apostolica potestatem aliquando fieri, ut uno die sacrificium bis operentur; reliquis vero sacerdotibus opus esse, ut hac de re facultatem ab episcopo consequantur, etiamsi causa necessitatis intercedere videatur. » Ipse Ben. XIV *in const. Apostolicum* 16 §. 11 *pag.* 62 *t.* 4 *Bullar. ed. cit.* missionariis in Anglia degentibus bis interdum uno die sacrificium permisit, cum consensu Vicarii apostolici, ob fidelis populi necessitatem. Quæ eadem necessitatis causa facit, ut parochus, qui duas habet distantes ecclesias, cum in unam universus populus convenire non potest, neque alius est sacerdos, qui rem divinam conficiat, diebus festis, impetrata primum legitima facultate, duas Missas celebrare possit. Ben. XIV *in const. Declarasti* 3 *pag.* 9 *tom.* 2 *Bull. ed. cit.*

§. LIX. Initio sacra mysteria noctu, et vero etiam post cœnam peragebantur, tum ut fideles Christum imitarentur, qui post legalem cœnam primum obtulit sacrificium, tum ut ethnicos laterent conventus, quos in latebris habebant (1). Cum pax ecclesiæ data est, confici res divina per diem cœpit; sed tamen etiam post ea tempora, ecclesia retinuit antiquam consuetudinem certis quibusdam temporibus, nimirum in nocte Natalis Domini, in pervigiliis Paschatis et Pentecostis, atque in diebus ordinationum (2). Nunc sola missa Natalis Domini noctu celebratur. Privatæ missæ quavis hora fiebant, uti nunc omni hora recte fiunt, ab aurora usque ad meridiem (3); sed pro publicis ac solemnibus missis certæ erant constitutæ horæ, nimirum tertia, sexta et nona (4).

(1) Hinc christiani ab ethnicis appellati apud Minutium Felicem *in lib. Octavius pag.* 332 *ed. Paris.* 1605 *natio latebrosa et lucifuga;* atque hinc *nocturnæ convocationes, et cœtus antelucani* apud Tert. *Apolog. cap.* 2 *pag.* 3 *de Coron. cap.* 3 *pag.* 102, *et ad uxor. cap.* 4 *pag.* 168 *ed. Paris.* 1675.

(2) Late ea de re disputat card. Bona *rer. liturg. l.* 1 *cap.* 21 §. 4 *pag.* 114 *et seq.*, ibique Sala *in notis tom.* 2.

(3) Consule Martenium *loc. cit. art.* 4 §. 3 *et seq. pag.* 207.

(4) Amalarius *de rit. eccl. lib.* 3 *cap.* 24 *in Bibl. PP. t.* 14

pag. 1000 *edit. Lugd.* Honorius autem *de Gemma animæ lib.* 1 *cap.* 115 *col.* 1215 *Bibl. PP tom.* 10 *edit. Paris. cit.* ita rem explicat, ut in festis tertia, in privatis diebus sexta, in quadragesima, vel in diebus jejunii, nona hora Missa peragatur, idemque tradit Durandus *rational. lib.* 4 *cap.* 1. Certe diebus festis hora tertia sacrificium offerri consuevisse, manifestum est ex conc. Aurelian. III *can.* 14 *tom.* 2 *col.* 1426 *coll.* Hard.; Gregor. M. *hom.* 37 *in Evang. num.* 9 *col.* 1632 *tom.* 1 *ed. Paris.* 1705; Greg. Turonensi *de vit. Patr. cap.* 8 *num.* 11 *col.* 1196 *edit. Paris.* 1699; Reginone *de eccl. discipl. lib.* 1 *cap.* 33 *pag.* 10 *ed. Vien.* 1765. Atque ita intelligendi sunt Epiph. *exposit. fid. cap.* 23 *pag.* 1106 *t.* 1 *ed. Paris.* 1622, et Walafridus Strabo *de reb. eccles. cap.* 23 *in Bibl. PP. tom.* 10 *edit. Paris. col.* 685, quorum alter *matutinis horis*, alter *ante meridiem* rem divinam conficiendam statuunt.

§. LX. Nam missa alia publica, alia privata est. Missa publica apud veteres ea præsertim erat, ad quam populus una cum suo pastore conveniebat, atque in precibus et oblatione communicabat; aderant autem clerici, qui suorum ordinum muneribus fungebantur (1). Quæ missa dicebatur *collecta et synaxis*, quod ad offerendum atque ad communicandum multitudo fidelium colligeretur (2). Verum lapsu temporum cum illa desiit frequens communio christianorum, missa *publica*, sive *conventualis*, et *canonica* appellata est, quæ cum cantu rituque solemni peragitur, quæque in omnibus cathedralibus, collegiatis et conventualibus ecclesiis pro benefactoribus quotidie celebranda est (3). Parochialis quoque missa, quam omnes parochi saltem diebus festis pro populo, cui præsunt, offerre debent, publica dicitur (4); ut distinguatur a privatis sacrificiis, quæ pro quovis homine privato, ac bene de ea ecclesia merito offeruntur.

(1) Non tantum clerici missæ præsentes erant, suorum ordinum munera exercentes, verum etiam presbyteri adhærebant sacerdoti sacra facienti, cum eoque communicabant et ejusdem sacrificii participes erant; quem ritum late explicat Morinus *de Sacram. ordinat. pag.* 3 *exerc.* 8 *cap.* 11 *et seq.* Certe auctor *Apostol.*

constit. lib. 8 *cap.* 11 *et seq. pag.* 401 episcopum describit, qui rem divinam agit cum presbyteris adstantibus, offerentibus et communicantibus. Verba etiam consecrationis ab adstantibus presbyteris prolata fuisse tradit Amalarius *de eccl. offic. l.* 1 *cap.* 12 *in Bibl. PP. tom.* 14 *pag.* 945 *edit. Lugd.*, idemque patet ex vetusto Pontificali eccl. Rothomag. apud Menardum *in not. ad sacram. S. Greg. not.* 282 *col.* 337 *opp. S. Greg. tom.* 3 *edit. Paris.* 1705. Antiquæ hujus consuetudinis apud Latinos vestigia supersunt in episcoporum et presbyterorum ordinationibus; sed apud Græcos concelebratio adhuc viget.

(2) S. Aug. *in Brevic. collat. diei tertiæ cap.* 17 *col.* 573 *t.* 9 *cit. ed.* distinguit *collectam a Dominico*, veluti speciem a genere, uti nos publicam solemnemque Missam a sacrificio distinguimus.

(3) Confer ea de re Ben. XIV *in Const. Cum semper* 103 §. 11 *et seq. pag.* 225 *tom.* 1 *Bullarii.*

(4) De missa paroch. vide ibid. Ben. XIV §. 2 *et seq. p.* 223.

§. LXI. Privata Missa est, quæ sine cantu, ac solemnibus cæremoniis a sacerdote celebratur, uno tantum ministrante; sive pauci alii, sive nulli intersint, sive solus sacerdos, sive alii etiam Eucharistiam accipiant (1). Privatæ Missæ usus perpetuus in ecclesia fuit, ut proinde sese deridendos præbeant recentiores hæretici, cum rem novam et contra Missæ œconomiam prædicant id, quod constanti ecclesiæ sententia longaque vetustate firmatum est (2).

(1) Missa privata differt *a solitaria*, quam nimirum solus sacerdos, ministrante ac præsente nemine, celebrabat. Id missæ genus primum instituerunt monachi sæc. IX, deinde etiam sæculares presbyteri arripuerunt. Verum hanc missam vetuerunt sacri canones, quod præsertim absurdum esset in ea sacerdotem dicere *Dominus vobiscum, sursum corda, gratias agamus, oremus*, Conc. Mogunt. an. 813 *can.* 43 *col.* 1015; Parisiense VI *lib.* 1 *cap.* 48 *col.* 1524 *tom.* 4 *coll.* Hard.; Nannetense apud Ivonem *par.* 3 *cap.* 7 *can.* 61 *de Consecr. dist.* 1, qui canon sæculo IX antiquior non est, et ideo male Soteri aut Anacleto attribuitur.

(2) Vide conc. Trident. *sess.* 22 *can.* 8 *et cap.* 6 *de sacrific. missæ;* Ben. XIV *in Const. Certiores* 64 *pag.* 129 *t.* 1 *Bullar. ed. cit.* Et sane gravis est insania atque error Lutheri aliorumque

hæreticorum, qui privatas missas atque eas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, abrogandas censuerunt. Nam etiam privata Missa, quamquam careat externo illo solemni ritu, qui intimam ejus naturam non attingit, verum est sacrificium, atque in ea similiter, sicut in missa solemni, verum Christi corpus et sanguis consecratur. Atque hæ quoque missæ, ut recte inquit syn. Trid. *loc. cit.* « Vere communes censeri debent, partim quod in iis populus spiritualiter communicet, partim vero quod a publico ecclesiæ ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur. » Perpetuum ea de re ecclesiæ usum, pluribus collectis ecclesiasticis monumentis, fuse demonstrant card. Bona, *rer. liturg. lib.* 1 *cap.* 14 §. 1 *et seq.*, ibique Sala *in not. pag.* 276 *et seq. tom.* 1; Nat. Alex. *hist. eccl. sæc.* 4 *cap.* 6 *art.* 19 §. 1 *n.* 3 *tom.* 4 *pag.* 300 *sæc.* 13 *et* 14 *tota diss.* 13 *pag.* 476 *seq. t.* 8, *et sæc.* 15 *ac* 16 *diss.* 12 *num.* 5 *pag.* 556 *t.* 9 *ed. Venet. an.* 1776; Tournelyus *præl. theolog. de sacrif. missæ art.* 8; Drouin *de re sacram. lib.* 5 *q.* 9 *per totam;* eamdemque rem agunt, petitis ex liturgiis argumentis, Muratorius *diss. de liturg. Rom. cap.* 16 *seq.*, et Assemanus *in diss. cod. liturgic. lib.* 6 *par.* 7 *præmiss. sect.* 2 *art.* 1, 2, 3. Videndus est etiam Em. Schelstratius *in act. eccl. orient. contr. Lutheran. cap.* 1 *de missis privat. in eccl. græc. circ. fin.*, ubi narrantur conatus Lutheranorum, qui ut orientales ad suam sententiam perducerent, ad Hieremiam CP. Patriarcham miserunt Augustanam confessionem, in qua privatæ missæ tolluntur. Sed responsum est ab Orientalibus, sicut ab Occidentalibus damnari pravum morem illorum, qui improba obtinendæ eleemosynæ cupiditate ad altare accedunt, non autem illos qui ea, qua decet, pietate et religione privatas missas celebrant, ut Deo sacrificium offerant.

§. LXII. Omni etiam loco, ethnicis dominantibus, sive is esset privata domus, sive carcer, sive cœmeterium, sacrificium offerebatur (1). Cum ad christianos imperatores rerum summa delata est, eam ob rem publica templa ædificata sunt; et vero nunc tantum in ecclesiis consecratis, aut jussu episcopi benedictis res divina conficitur, nisi secus postulet necessitas, quia tunc ea recte fit quovis commodo et decenti loco (2). Cum venia sedis Apostolicæ etiam in privatis sacellis sacra mysteria celebrantur (3).

(1) Act. XX *v.* 7; Auctor *const. Apost. l.* 6 *cap.* 30 *pag.* 361 apud Coteler. *loc. cit.;* S. Cypr. *epist.* 4 *ad presb. et diacon. pag.* 12 *ed. Paris.* 1666; Philostorgius *hist. eccl. lib.* 2 *cap.* 13 *pag.* 484 *ed. Cantabr.* 1720.

(2) Confer Ben. XIV *Const. Inter omnigenas* 89 §. 22 *tom.* 1 *pag.* 180 *Bullar. ed. ind.*

(3) Vide Ben. XIV *const. Magno* 48 *p.* 217 *t.* 3 *Bull.*

§. LXIII. Jam ecclesiæ lege christiani dominicis festisque diebus missæ sacrificio interesse debent. Ac vetus quidem ecclesiæ disciplina fuit, ut iis diebus singuli accederent ad ecclesiam parochialem, ibique interessent sacrificio quod a parocho conficiebatur (1). Verum hæc disciplina jam pridem antiquata est; et licet deceat christianos diebus festis ire ad ecclesiam parochialem, nulla tamen ea de re necessitas est, et qui extra eam sacrificio intersunt, ecclesiasticæ legi satisfaciunt, neque alicujus criminis rei sunt (2).

(1) Conc. Sardicense *can.* 14 *col.* 648 *tom.* 1; Quini-Sextum *can.* 80 *col.* 1690 t. 3 *coll.* Hard. *ed. Paris. can.* 2 *de Paroch.*

(2) Leo X *const. Intelleximus* 28 *pag.* 462 *t.* 3 *p.* 3 *Bull. Rom.;* S. Pius V *const. Etsi* 58 *n.* 8 *pag.* 376 *t.* 4 *p.* 2. Confer Ben. XIV *de syn. diœc. lib.* 11 *cap.* 14 §. 7 *et seq.*

§. LXIV. Mos in ecclesia fuit, qui quidem diu servatus est, ut fideles omnes, qui ad missam convenirent, suam sacrificii partem, hoc est panem et vinum offerrent (1). Eo pane ac vino Christi corpus et sanguis conficiebatur, et quod supererat (supererat autem plurimum, quoniam satis lautæ et copiosæ oblationes erant) id totum alendis clericis et pauperibus inserviebat (2). Labentibus annis, loco panis et vini, pecunia offerri cœpit, quæ initio dabatur ecclesiæ, atque omnibus generatim clericis, deinceps autem data est certo sacerdoti, ut privatim pro certis designatisque personis sacrificium offerret (3).

(1) Late ea de re disseram paulo post, cum de oblationibus agendi locus occurret.

(2) Confer Christ. Lupum *schol. in can.* 13 *conc. Rom. V. t.* 6 *pag.* 101 *et seq. ed. Venet.* 1726.

(3) Ab ipsis ecclesiæ primordiis in omnibus christianorum templis fuisse arcam, in quam fidelium pecunia inferebatur, constat ex Tertull. *Apolog. cap.* 39 *pag.* 31 *ed. Paris.* 1675, et Justino *Apolog.* 1 *ad Antonin. Pium num.* 67 *p.* 84 *ed. Paris.* 1724. Eamdem consuetudinem adhuc IV et V sæculo perseverasse ostendunt Aug. *Serm.* 356 *tom.* 5 *part.* 2 *num.* 13 *col.* 1589 *ed. Venet.* 1731; Hier. *ep.* 71 *num.* 3 *col.* 451 *tom.* 1 *ed. Veronæ* 1734, et Paulinus *ep.* 54 *sive Serm. de Gazophylacio col.* 215 *edit. Veron.* 1736. Sed quo primum tempore pecunia in arcam inferri desierit, atque ad ipsum altare offerri cœperit, certo definiri non potest. Testatur quidem Aug. *epist.* 12 *ad Aurelium Primat. num.* 6 *col.* 29 *tom.* 2 tempore oblationis, seu missæ pro defunctis, fuisse simul denarios oblatos, sed eos oblatos fuisse constat ea lege, ut pauperibus tribuerentur. Honorius Augustod., qui sæc. XII floruit, *in Gemma animæ l.* 1 *c.* 66 *in Bibl. PP. tom.* 10 *col.* 1199 *ed. Paris.*, tunc pecuniam ad altare loco pacis offerri cœpisse asseverat, cum fideles, qui sacrificio intererant, sacrorum mysteriorum participes esse desierunt; verum non ipsum designat tempus, quod id factum fuerit. Illud vero compertissimum est, quod recte animadvertit Thom. *vet. et nov. eccl. disc. par.* 3 *lib.* 2 *cap.* 7 *n.* 8, semper olim sive panem, sive denarium, ecclesiæ atque omnibus generatim clericis offerri consuevisse, non dari certo sacerdoti, ut privatim rem divinam ageret pro eo, qui oblationem fecerat. Morem offerendi eleemosynam certo sacerdoti, ut ejus largitor exuberantem sacrificii fructum in se aliosve derivet, tantum sæc. VIII inductum, ac sæculo XII passim ubique receptum putat Mabillon. *præf.* 1 *in sæc.* 3 *Bened. num.* 62 *p.* 27 *ed. Venet.* 1734, sed tamen eum longe antiquiorem esse contendit Fr. Berlendius *in diss. Historico-Theolog. de oblation. par.* 2 §. 2. Certe sæculo VIII ad exitum vergente jam eam consuetudinem fuisse receptam, ostendit Chrodegangus Metensis episc. in regula, quam ea ætate pro suis canonicis scripsit, et in qua *cap.* 32 *de eleemosynis*, apud Holstenium *cod. regular. tom.* 2 *pag.* 107 *ed. Aug. Vind. an.* 1759, canonicorum cuique permittit accipere, et in quemvis usum convertere eleemosynam, quæ pro sua sibi missa offerebatur. Sæculo vero XI mos hic tam late patebat, ut etiam pueris notus esset, sicut patet ex eo, quod de S. Petro Damiano memoriæ prodidit Joan. Monachus *in ejus vit. cap.* 2 *p.* 3 *opp.*

Petri Damian. tom. 1 *ed. Paris.* 1664, quem narrat repertum nummum tradidisse presbytero, qui Deo pro ejus patre sacrificium offerret. Confer Mamachium *del diritto libero della Chiesa etc. tom.* 2 *par.* 1 *not.* 1 *pag.* 147 *seqq., et tom.* 3 *p.* 1 *not.* 1 *pag.* 66 *seq.*

§. LXV. Quæ pecunia offertur sacerdoti rem divinam conficienti, non quasi pretium sit consecrationis Eucharistiæ, quod certe simoniæ crimen esset; sed quasi stipendium debitum sacerdoti, qui cum altari serviat, habere ex eo debet, quæ suppeditent ad cultum et ad victum (1). Et quoniam episcopi est judicare, quid singulis presbyteris in unoquoque loco sit necessarium, ut vitam honeste traducant, hinc ejus est definire, quid ipsis rem divinam facientibus tribuendum sit (2) Sacrificium pro eo speciatim oblatum, qui stipem dedit, non ei solum, sed etiam toti prodest ecclesiæ; verum ille fructum ex eo capit uberiorem, modo ad capiendum sacrificii fructum aptus et idoneus sit (3).

(1) Lutherani et Calviniani improbant morem dandi pecuniam sacerdoti rem divinam acturo, quasi ea pretium sacrificii sit. Sed hanc calumniam jam pridem anteverterat S. Thom. 2. 2 *qu.* 100 *art.* 2 *ad.* 2, inquiens: « Sacerdos non accipit pecuniam, quasi pretium consecrationis Eucharistiæ, aut missæ decantandæ, hoc enim esset simoniacum, sed quasi stipendium suæ sustentationis.» Et *in* 4 *dist.* 25 *qu.* 3 *art.* 2 *quæstiunc.* 1 *ad* 4: « Facere pactionem, inquit, de missa celebranda est simoniacum semper. Si tamen non habet alios sumptus, et non tenetur ex officio missam cantare, potest accipere denarios, sicuti conducti sacerdotes faciunt; non quasi pretium missæ, sed quasi sustentamentum vitæ. » Huc etiam spectat Gersonius *in opusc. de Sollicitud. eccl. tom.* 2 *part.* 19 *pag.* 603 *ed. Antv.* 1706, cum ait: « Sufficere in primis debet ad consensum hujus veritatis usus totius communis ecclesiæ, qui sic habet et recipit, cui si quis detrahit, imprudenter se decipit. » Et *part.* 6 *p.* 599. « Nihil æquius, inquit, secundum omnem legem esse deducit *apost.* 1 *ad Cor.* 9, quam qui altario deservit, de altario et vivat. Hæc eadem, quæ a D. Th., aliisque pietate ac doctrina præstantibus viris de honorario mis-

sarum adversus hæreticos animadversa sunt, quadrant etiam in libellum Neapoli editum, cui titulus : *dissertazione sull' onorario delle Messe*, de quo libello judicium ediderunt veritatis ac sapientiæ plenum, scriptores annalium Trivultiensium *ad menses Jan., et Febr.* 1740. In hoc libello eadem pene dicuntur, quæ contra missarum honorarium dicta, et a pluribus refutata sunt, tum potissimum recensentur mala et incommoda, quæ ex eo propter sacerdotum avaritiam oriri dicuntur. Sed huic rei satis provisum est a syn. Trid. *sess.* 22 *in decret. de observ. et evit. in celebr. missæ*, cum sancivit, ut episcopi « Cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, et quidquid pro missis novis celebrandis datur; nec non importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones potius, quam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ a simoniaca labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt, omnino prohibeant; » atque a summis Pontificibus, præsertim Ben. XIV, cujus præclara ea de re est *Constitutio* 52 *p.* 34 *t.* 1 *ejus bull.* Si qui sunt sacerdotes, qui saluberrimis hisce legibus non obtemperant, non ideo tollendum est missarum honorarium, uti nemo tollenda dicat beneficia, quoniam interdum simoniæ causam præbent; itemque cetera bona, quoniam iis sæpe hominum vitia abutuntur.

(2) Consule Ben. XIV *de syn. diœc. lib.* 5 *cap.* 9 *et instit. eccles.* 56. Atque in omnibus quidem, quæ ad missarum celebrationem pertinent, episcopus tamquam delegatus sedis Apostolicæ etiam in exemptos jurisdictionem exercet, Ben. XIV *in Const. Accepimus* 17 *tom.* 2 *bullarii pag.* 78 *ind. ed.*

(3) Walafridus Strabo *de reb. eccl. cap.* 22 *col.* 683 *Bibl. PP. tom.* 10 *edit. cit.* visus est improbare consuetudinem, per quam sacrificium speciatim offertur pro illo, qui eleemosynam dedit, non plus illud ei prodesse ratus, quam cœtui fidelium universo. Sed specialem pro certa persona sacrificii oblationem expresse docet S. Cypr. *ep.* 66 *ad Cler. et Pleb. Furn. consisten. col.* 272 *ed. Venet.* 1758; S. Aug. *Confess. lib.* 9 *cap.* 12 *num.* 32 *tom.* 1 *ed. Venet.* 1756, *et in Respon. ad* 2 *Dulcitii quæst. n.* 4 *t.* 11 *col.* 475; conc. Carthag. III *can.* 29 et 4 *can.* 79, apud Labb. *tom.* 2 *conc. col.* 1405 *et* 1443 *ed. Venet.*, aliique complures, quos collegit Mamachius *del Diritto libero della Chiesa etc. t.* 3 *par.* 1 *pag.* 111 *et seq. not.* 2, ubi ea de re graviter copioseque agitur, quamquam sacrificium, si rem ipsam ac præcipuum offerentem, nimirum Christum spectemus, vim infinitam habeat, tamen, ita Christo ipso volente, ejus effectus finitus est, et ideo plus ei, pro quo speciatim offertur, quam ceteris prodesse manifestum est. Aut enim sacrificium tamquam propitiatorium seu

satisfactorium habetur, et certe pro illo speciatim satisfacit, cujus debiti dissolvendi gratia Deo exhibetur; aut tamquam impetratorium habetur, et profecto Deum movet ad uberiora beneficia ei concedenda, pro quo sacerdos offerens sacrificium, Deum ipsum nominatim rogat. Rem omnem explicat diligenter D. Th. *in 4 diss. 45 art. 4 quæstiunc. 1 et 2.* Hinc triplex Missæ fructus distinguitur *Generalis, Specialis, Specialissimus; generalis* ad totam ecclesiam pertinet, *specialis* ad eum, pro quo nominatim sacrificium offertur, *specialissimo* solus sacerdos fruitur, præterea nemo. Qui specialem sacrificii oblationem respuunt, ii ne probandas quidem putant speciales preces, quæ pro aliquo funduntur. Sed alia est doctrina S. Cypriani, qui se pluries his precibus commendavit, alia ceterorum Patrum, alia concilii Constantiensis, quod damnavit 19 art. Wiclefi ajentis, quod « Speciales orationes applicatæ uni personæ per prælatos, vel religiosos, non plus prosunt eidem quam generales, ceteris paribus; » *t. 16 conc. col. 756 coll.* Labbei *ed. Venet.*

§. LXVI. Et quamquam missæ, quæ pro uno nominatim celebrantur, universam quoque ecclesiam attingant, tamen sacerdos pro eo speciatim offerre sacrificium debet, a quo eleemosynam accepit, nec licet missam unam celebrare, ac pro pluribus stipendium accipere. Nam suam adstringunt fidem sacerdotes, ut pro uno rem divinam agant; ac præterea cavendum est, ne quis divinum illud opus in quæstum vertat, si pro pluribus stipendiis missam unam celebrare liceret (1). Hinc qui propter beneficium, aut capellaniam, qua fruitur, tenetur onere celebrandæ missæ, non potest pro eadem missa eleemosynam accipere (2).

(1) Confer propositiones damnatas ab Alex. VII *num. 8, 9, 10 in bullar. t. 6 part. 6 Const. 520 pag. 85* et Ben. XIV *Const. Demandatam 87* §. *10 pag. 178 t. 1 ejus bull.*

(2) Vide decreta Urbani VII *Const. 132 pag. 335 t. 5 par. 5*, præsertim *ad 4 dub. p. 340*, et Innoc. XII *in Constit. Nuper 155 p. 464 t. 9 bullar. ult. edit.* Consule etiam Bened. XIV *in inst. eccl. 36, 56, 92 et de syn. diœc. l. 5 c. 9*, et Gagliardum *in inst. canon. lib. 2 tit. 7 n. 36 et seq.*, ubi de his omnibus, quæ pertinent ad missarum eleemosynas, late disputatur.

SECTIO IV.

De Pœnitentia.

LXVII. Effectus et necessitas sacramenti pœnitentiæ.
LXVIII. Ejus quasi materia.
LXIX. Confessio peccatorum.
LXX. Qualis confessio esse debeat?
LXXI. Satisfactio seu pœnitentia.
LXXII. Ea vel publica, vel privata.
LXXIII. Antiqui pœnitentium gradus, seu stationes.
LXXIV. Flentes et audientes.
LXXV. Substrati et consistentes.
LXXVI. Stationum pœnitentiæ tempora.
LXXVII. Pœnitentium vita.
LXXVIII. Pœnitentium restituendorum tempus.
LXXIX Vetusti solemnis pœnitentiæ gradus antiquati.
LXXX. Absolutio quando danda?
LXXXI. Forma sacramenti pœnitentiæ.
LXXXII. Minister hujus sacramenti.
LXXXIII. In ministro requiritur potestas ordinis et jurisdictionis.
LXXXIV. Unde sumitur potestas jurisdictionis?
LXXXV. Casus episcopo reservati.
LXXXVI. Casus reservati S. Pontifici.
LXXXVII. Omnia crimina ecclesiæ potestati subjecta.

§. LXVII.

Dei gratiam baptismo quæsitam, ac postea nostris criminibus amissam, per sacramentum pœnitentiæ recuperamus. Itaque quantum ad æternam salutem necessarius est baptismus nondum regeneratis, tantum est necessaria pœnitentia iis, qui post baptismum criminis rei facti (1); et recte hoc sacramentum *secunda post naufragium tabula* appellatur (2); quoniam in eo spes est posita ac salus eorum, qui se contagione scelerum contaminarunt. Dicitur etiam hoc sacramentum *reconciliatio, et absolutio, et confessio, et manuum impositio reconciliatoria* (3), a græcis autem Μετανοια et Εξομολογησις (4) nuncupatur. Definitur a theologis sacramentum, quo lapsis post baptismum, contritis, confessis ac satisfacere proponentibus absolutio a peccatis tribuitur.

(1) Conc. Trid. *sess.* 14 *cap.* 2 *de Sacram. pœnit.*
(2) S. Hier. *ep.* 84 *ad Pamm. n.* 6 *col.* 524 *t.* 1 *ed. Veron.*
(3) Conc. Arausic. I *can.* 3 apud Labb. *tom.* 4 *col.* 702 *edit. Venet.* Sed in conc. Carthag. IV *can.* 76 *col.* 1443 *tom.* 2 apud eumd. Labb. dicitur simpliciter *manuum impositio.*
(4) Exomologesis vocabulum, et confessionem, et criminum pœnitentiam significat, quod late ostendunt Fratres Ballerinii *not.* 40 *in S. Zenon. l.* 2 *tr.* 14 *pag.* 197 *t.* 1 *ed. Aug. Vind.* 1758.

§. LXVIII. Hujus sacramenti quasi materia sunt actus pœnitentis, Contritio, Confessio, Satisfactio (1). Qui actus omnes in pœnitente sunt necessarii, ut integrum sit sacramentum, atque ut ipse plenam perfectamque suorum criminum veniam consequatur, et ideo pœnitentiæ partes dicuntur. Contritio est *animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero* (2); eaque duplex est, altera *caritate perfecta,* quæ cum sacramenti voto conjuncta *hominem Deo reconciliat, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur:* altera *imperfecta, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur:* eaque si *voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, peccatorem ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit* (3).

(1) Eug. IV *in decr. conc. Flor. col.* 440 *tom.* 9 *coll.* Hard.; conc. Trid. *sess.* 14 *cap.* 3 *de sacram. pœnit.*; Catechismus Rom. *par.* 2 *cap.* 5 §. 13.
(2) Conc. Trid. *ibid. cap.* 4. (3) Conc. Trid. *ib.*

§. LXIX. Confessio est peccatorum accusatio, eo suscepta, ut virtute clavium veniam impetremus. Accusatio inquam, quoniam nostra scelera non ita commemoranda sunt, quasi otiosis auditoribus rem gestam narraremus, sed accusatorio animo ita sunt enumeranda, ut ea etiam in nobis vindicare cupiamus (1).

Omnibus post baptismum lapsis integra peccatorum confessio jure divino necessaria est : quoniam Christus Dominus ad cœlos migraturus sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tamquam præsides et judices, ad quos omnia christianorum mortalia crimina deferantur, ut pro clavium potestate, remissionis aut retentionis peccatorum sententiam proferant. Quod judicium ferri, et justa, quæ facinori debetur, pœna imponi non potest, nisi omnia singillatim ac perspicue crimina aperiantur (2).

(1) Consule Catechism. Rom. *par.* 2 *cap.* 5 §. 38.
(2) Conc. Trid. *sess.* 14 *de Sacram. pœnit. cap.* 6.

§. LXX. Itaque omnia mortalia peccata, quæ post omnes excussas animi latebras, diligenter cogitanti occurrunt, sacerdoti aperire oportet, ac præterea patefaciendæ sunt *circumstantiæ, quæ speciem peccati mutant* (1). Cuncta hæc apud solius sacerdotis aures secreto deponuntur (2). Publicæ confessionis multa exstant in antiquis monumentis exempla, eaque justas habuere causas, quas laudant Trid. Patres; sed nulla unquam ecclesiæ lege publicæ confessionis necessitas imposita est (3). Olim sedentes peccata confitebantur (4), qui nunc etiam mos Græcorum est (5); hodie Latini genua flectunt, quam consuetudinem a monachis, ut videtur, arreptam, sæc. XIII usurpare cœperunt (6).

(1) Confer concilium Tridentinum *loc. cit.*
(2) De sacramentali confessione, quæ apud sacerdotis aures absolvitur, quamque semper agnovit ac probavit ecclesia, late inter ceteros agit Jueninius *de Sacram. diss.* 6 *qu.* 5 *art.* 2, collectis unoquoque sæculo Patrum testimoniis, aliisque ecclesiasticis monumentis, unde intelligitur illam semper fuisse, quæ nunc est, ea de re ecclesiæ sententiam. Quare ut recte monet Jul. Laur. Selvagius *antiq. Christ. lib.* 3 *cap.* 12 §. 42, « Risu potius, quam solida confutatione excipiendum est commentum

eorum, qui contendunt, Innoc. III auricularem confessionem excogitasse vetustati prorsus inauditam. » Ac multi quidem adversus catholicam de auriculari confessione doctrinam sunt, semperque fuerunt, impetus et conatus hæreticorum, qui nullo prorsus modo peccandi licentiam coerceri vellent. Ut mittam Valdenses, Albigenses, Wiclefianos in Calvinianis redivivos, Jo. Dallæus calvinianus minister libros quatuor contra auricularem confessionem in lucem edidit. Sed ejus ac ceterorum hæreticorum deliramenta late refutavit Nat. Alex. *hist. eccles. sæc.* 13 *et* 14 *tot. diss.* 14 *pag.* 501 *et seq. t.* 8 *ed. cit.*, ejusdemque etiam Dallæi ratiunculis atque commentis satisfecit peculiari tractatu et responsione Dionysius Sanmarthanus monachus e Congr. S. Mauri. Videndi etiam sunt Emm. Schelstratius *de conc. Antioch. tot. cap.* 9 *a pag.* 231 *usque ad* 307; Mabillon. *præf. ad sæc.* 3 *Bened. num.* 80 *seq. p.* 38 *tom.* 3 *ed. Venet. an.* 1734; Juenin *de Sacram. qu.* 6 *diss.* 6 *art.* 2 *cap.* 1; Drouin *de re sacr. lib.* 6 *qu.* 5 *cap.* 1; Tournelyus *prælect. theolog. de Sacram. Pœniten. q.* 6 *art.* 2; Selvagius *cit. cap.* 12 *per tot.*, aliique complures, qui catholicum dogma de auriculari confessione latissime ostendunt. Dallæi ac ceterorum hæreticorum errores novissime renovavit Eybel, libello edito Vindobonæ an. 1784, cujus titulus latine redditus est : « Quid continent documenta antiquitatis christianæ de auriculari confessione? » Quo quidem libello totus Eybelii labor et totum ingenium est in recoquenda crambe toties recocta, atque in alienis erroribus describendis. Deterrimum et dignum homine hæretico librum merito damnavit sapientissimus idemque opt. Pont. PIUS VI apostolicis litteris *Mediator Dei* datis die 11 nov. 1784. Illud non omittam, etiam hostes sacramentalis confessionis experiundo discere ac fateri debuisse, quam utilis quamque necessaria ea sit, non tantum ad salutem animarum, sed etiam pro communi reip. bono, ad vitia comprimenda virtutesque inducendas. Hinc, uti narrat Sotus oculatus testis *in* 4 *dist.* 18 *qu.* 1 *art.* 1, cum propter abrogatam a Luthero sacramentalem confessionem virgines Deo dicatæ ex monasteriis ereptæ, furta, raptus, adulteria, aliaque multa eaque gravissima mala erupissent, Norimbergensis civitas Carolum V Imp. publica supplicatione exoravit, ut ibi sacramentalis confessio restitueretur, quoniam tot ac tantorum scelerum copia nonnisi ex ejus abrogatione processerat.

(3) Confer S. Leonem M. *ep.* 140 *tom.* 2 *pag.* 492 *ed. Rom.* 1755, et conc. Trid. *loc. citat.*

(4) Consule Martenium *de antiq. eccl. rit. lib.* 1 *cap.* 6 *art.* 3 §. 5 *p.* 265 *tom.* 1 *cit. ed.*

(5) Vide Leonem Allat. *de cons. eccl. occid. et orient. l.* 3 *c.* 9 *n.* 6.
(6) Vide Martenium *loc. cit.*

§. LXXI. Satisfactio est pœna, quæ pœnitenti arbitrio sacerdotis imponitur. Per sacramentalem absolutionem remittitur quidem culpa, removenturque pœnæ in inferis constitutæ; sed tamen sæpe remanent peccatorum reliquiæ, et, quæ criminibus debetur, pœna certo tempore definita (1). Nam omnis æqui ratio postulat, ut pro illatis Deo injuriis aliquid persolvamus, et consentanea est Divinæ clementiæ compensatio, quam ipse postulat, ut ea sit quasi frenum, quo diligentius contineamur in officio, atque a criminibus pravaque consuetudine abstrahamur (2). Itaque necessaria est satisfactio, per quam eluatur quidquid sordium propter peccati maculam in anima resedit, ac solvamur pœnis temporariis, quibus tenebamur (3).

(1) Conc. Trid. *sess.* 14 *de Sacram. pœnit. can.* 12, 13, 14, *et* 15; Catechism. Rom. *par.* 2 *cap.* 5 §. 65.
(2) Conc. Trid. *sess.* 14 *cap.* 8 *de Sacram. pœnit.;* Catechism. Rom. *loc. cit.* §. 62 *et* 66.
(3) Catechismus Romanus *loc. cit.* §. 64.

§. LXXII. Hæc satisfactio passim dicitur pœnitentia, eaque vel publica est, quæ publice et coram ecclesia, vel privata, quæ clam et privatim absolvitur. Mortalia peccata palam admissa publica pœnitentia expianda esse, constans semper ecclesiæ doctrina fuit, ut ita publicæ offensioni satisfiat (1). Sed et publica pro gravioribus criminibus, licet occultis, pœnitentia frequens olim erat (2); quin etiam felicissimis illis ecclesiæ temporibus multi erant, qui sceleris puri publicam pœnitentiam sponte suscipiebant.

(1) I *ad Tim.* V *v.* 10; Conc. Trid. *sess.* 24 *de ref. c.* 8.
(2) Frequentissimam fuisse olim publicam occultorum, eorumque graviorum criminum pœnitentiam, inter omnes constat;

verum magna inter eruditos disputatio est, num hujus, pro occultis criminibus, publicæ pœnitentiæ necessitas aliqua unquam ecclesiæ lege imposita fuerit. Jo. Morinus *de Pœn. lib.* 5 *c.* 8; Nat. Alex. *Hist. eccl. sæc.* 3 *diss.* 6 *pag.* 54 *tom.* 4 *ed. indic.*, aliique complures, ecclesiæ lege sancitum putant, ut rei graviorum criminum, qualia erant idololatria, homicidium, adulterium aliaque his affinia, licet ea essent occulta, publicam pœnitentiam agere cogerentur. Contra vero Bellarm. *in Controv. de Pœn. tit.* 3 *cap.* 14 *tom.* 3 *pag.* 501 *ed. Ven.* 1721; Sirmondus *Hist. pœnit. pub. cap.* 2 *et* 3 *tom.* 4 *pag.* 482 *et seq. ed. Paris.* 1696; Jac. Petit. *ad Theod. Cantuarien. pœnit. tom.* 2 *ad calcem pag.* 61 *et sep.*; Const. Roncaglia *in not. ad Nat. Alex. loc. cit. pag.* 69, atque alii bene multi, nullam fuisse putant ecclesiæ legem, qua propter occulta crimina, licet gravissima, publica pœnitentia imponeretur. Longum esset in hac quæstione immorari; confer tamen Tournelyum *Prælec. theol. de Sacr. pœn. q.* 8 *art.* 3, et Rob. Salam *in not. ad card. Bonam rer. liturg. lib.* 1 *cap.* 17 §. 6 *not.* 4 *pag.* 380 *et seq. tom.* 1 *ed. Taurin.* 1747, qui de ea multis disputant.

§. LXXIII. Publica pœnitentia nullis certis definitis spatiis atque solemnibus, initio peracta est, eaque tota erat posita in ejectione ab ecclesia laboriosisque operibus, quæ rei criminum suscipere cogebantur (1). Sed post schisma Novatianum, quod medio fere tertio sæculo erupit, certa atque solemnia agendæ pœnitentiæ spatia sunt constituta; ut ita vel externis ritibus ecclesia occurreret Novatianis, qui dimittendi graviora peccata post baptismum admissa in ecclesia potestatem esse negabant (2). Omnis hæc solemnitas atque omnes hi ritus consistebant in certis gradibus, sive stationibus, quæ quatuor numero erant, *Fletus*, *Auditio*, *Substratio*, *Consistentia* (3).

(1) Consule Martenium *loc. ind. art.* 4 §. 1 *pag.* 266. Sane ab ecclesiæ primordiis usque ad ætatem Montani et vero etiam Tertulliani, nullum fuisse solemne tempus agendæ pœnitentiæ constitutum, patet ex silentio Tertull., qui nusquam ejus rei meminit, quamquam *de pœnitentia* egerit, itemque ex silentio eorum, qui ante Tert. floruerunt. Idem jus fuisse a Montano ad Novatianum, eorum qui per ea tempora scripserunt ac præ-

sertim Cypriani silentium ostendit. Quin etiam constat ex eorum temporum monumentis, rem hanc totam episcopi arbitrio gestam fuisse; licet post Montanum diuturniores, quam antea, pœnæ dari consueverint, quæ omnia late persequitur Juenin *de Sacram. diss.* 6 *cap.* 4 *art.* 1 §. 1 *et* 2.

(2) Confer Card. Bonam *rer. liturg. lib.* 1 *cap.* 17 §. 3, ibique Salam *in not. pag.* 365 *tom.* 1 *ed. Taur.* 1747; Morinum *de Pœnit. lib.* 4 *cap.* 1 *num.* 3; Albaspinæum *observ. lib.* 2 *cap.* 22 *pag.* 111 *ed. Neap.* 1770.

(3) Quatuor hos pœnitentiæ gradus, ut observat Nat. Alex. *hist. eccles. sæc.* 3 *diss.* 8 *tom.* 4 *p.* 77 *ed. Ven.* 1776, primus singillatim ac distincte S. Greg. Neocæsar, cognomento Thaumaturgus *can. ult. ep. canonicæ* memoravit. Negat Morinus hunc canonem revera Gregorii esse, sed eum refellit Nat. Alex. *loc. cit.* Eorumdem graduum mentio est apud S. Basil. *ep.* 199 *can. ad Amphiloch.* 2 *can.* 22, *et ep.* 217 *canonic.* 3 *can.* 56 *et seq.* 64, 75, 77, 80, 81, 83 *tom.* 3 *pag.* 293, 326 *et seq. ed. Paris.* 1730; concil. Ancyr. *can.* 6, 16, 17 *tom.* 1 *coll.* Hard. *col.* 273 *et* 277, et Trullan. *can.* 87 *col.* 1691 *tom.* 3. Apud Latinos jam inde a IV sæc. pœnitentium divisiones fuisse, ostendunt ecclesiæ per ea tempora ædificatæ, ac præsertim antiquissima basilica S. Clementis, de qua videndi Jo. Ciampinius *Vet. monum. Mus. p.* 1, et Philippus Rondinius, qui de ea peculiarem librum edidit. Hos etiam pœnitentium gradus et ordines, in vetustis Urbis Basilicis exstitisse Ciampinius ostendit *loc. cit.* Consule Morinum, Albaspinæum, Martenium *loc. ind.*, itemque Christ. Lupum *in Schol. ad can.* 11 *conc. Nicæni opp. tom.* 1 *pag.* 254 *ed. Ven.* 1724, et ceteros recentiores sacrorum rituum scriptores, qui singulos pœnitentium gradus accurate describunt.

§. LXXIV. Primo gradu erant *Flentes;* qui scilicet extra ecclesiam in porticu commorabantur, ac lugubri induti veste, sparsisque crinibus, et cinere ac cilicio sordidati, peccata sua publice confitebantur, et flentes sæpeque etiam ad pedes provoluti, fideles, qui ecclesiam ingrediebantur, rogabant, ut sibi a Deo atque episcopo pœnitentiæ locum impetrarent (1). Hi potius candidati pœnitentiæ, quam veri pœnitentes erant. Proximum tenebant locum *Audientes,* qui scilicet ecclesiæ narthecem ingressi divinam Scriptu-

ram sacrasque conciones audiebant, quibus finitis, cum reliquis audientibus, sive ethnicis sive catechumenis, ab ecclesia exire jubebantur (1). Erat hic gradus et beneficii et opprobrii loco; beneficii inquam, quoniam ita pœnitentia digni habebantur, opprobrii autem, quod iterum mittebantur ad audienda fidei rudimenta quæ, quod graviter peccassent, vix didicisse videbantur.

(1) Vide Cypr. *de Lapsis p.* 177 *cit. ed.*, et ep. cleri Rom. ad Cypr. *ep.* 31 *p.* 45, ubi flentium status graphice describitur; Ambr. *de pœn. lib.* 1 *cap.* 16 *col.* 523, *et de Laps. Virgin. cap.* 8 *col.* 392 *tom.* 3; conc. Agath. *can.* 15 *t.* 2 *col.* 999, Barcinon. I *can.* 6 *col.* 1434 *tom.* 2; Tolet. III *can.* 12 *col.* 481 *tom.* 4 *coll.* Hard. Apud Basil. *epist.* 217 *ad Amphiloch. can.* 56 *tom.* 3 *pag.* 526 *edit. Paris.*, de voluntario homicida, quem inter flentes per triennium esse jubet, habentur hæc: « Quatuor annis deflere stans extra fores domus orationis; » hæc autem *can.* 75 *p.* 528 de incesto, qui sororem vitiavit: « Triennio defleat stans ad fores domus orationis. » Antiqua monumenta eccles. memorant etiam *Hyemantes*, qui *Flentibus* inferiores erant, quoniam extra tectum ecclesiæ pulsi, sub dio pœnitentiam agere cogebantur. Præsertim Ancyrana syn. *can.* 17 apud Labb. *tom.* 1 *col.* 149, Gentiano Herveto interprete *ed. Venet.*, eos qui « Rationis expertia animantia inierunt, et qui leprosi sunt vel fuerunt, » jussit inter hyemantes orare. Verum hic gradus aut a *Fletu* non differebat, ut quidam putant, aut erat veluti extra ordinem gradus, in quo rei gravissimorum quorumdam criminum versabantur, quoniam ordinarius pœnitentiæ cursus conficiebatur ex quatuor illis gradibus, quos recensuimus. Erant autem inter hyemantes majori excommunicatione percussi, ac plane ab ecclesia præcisi, quo etiam in loco, procul scilicet a porticu, jussi sunt stare leprosi, ne ceteros inficerent, et qui cum brutis aut contra naturam luxuriabantur, quos monstra et furias appellabant. Confer card. Bonam *loc. cit.* §. 5, ibique Salam *not.* 2 *pag.* 574 *et* 577 *tom.* 1; Albaspinæum *in not. ad cit. can.* 17 *Ancyran. pag.* 205 *ed. Neapol.* 1770, et Selvagium *antiq. christ. lib.* 3 *cap.* 11 §. 21 *not.* 27, a quibus de hyemantibus, deque leprosis, qui in hoc loco, late disseritur.

(2) Memorant *Audientes* S. Gregor. Thaumaturgus *loc. cit.*; S. Basil. *cit. ep. can.* 57 *pag.* 316; Conc. Nicœn. *can.* 19 *col.* 466 *tom.* 1 *coll.* Hard. Similiter S. Greg. Nyss. *in ep. canon. ad*

Letojum epist. Mytilen. can. 4 et 5 pag. 951 et seq. tom. 1 ed. Paris. 1615, hæc adversus homicidam voluntarium, post novem annos in fletu exactos, statuit : « Tot annos in auditione permaneat, sola doctorum et Scripturarum auditione dignus habitus. »

§. LXXV In tertio gradu erant *Substrati* seu *Geneflectentes*, qui stabant intra ecclesiæ ambitum usque ad ambonem; ubi post ejectos *Audientes* in genua provoluti (1), manuum impositionem sub certis precibus accipiebant, inde etiam ab ecclesia exibant; interim vero jejuniis, precibus, durisque et laboriosis operibus exercebantur (2). Quartus denique gradus est *consistentium*, qui ita dicebantur, quod post ejectos catechumenos ceterosque pœnitentes, cum fidelibus in ecclesia consisterent precesque funderent (3). Hi participes quidem erant precum, quæ fidelium dicebantur, sed non item corporis et sanguinis Christi, neque eorum oblationes recipiebantur : quo factum est, ut quarta hæc pœnitentium statio interdum *Segregatio et Separatio* diceretur.

(1) Illud quasi prætereuntes animadvertemus, non solum pœnitentes presbyteris, atque episcopis præsertim advolvi solitos fuisse, sed et ceteros fideles id obsequii genus adversus illos a primis ecclesiæ sæculis præstare consuevisse. Hinc illa orta est ethnicorum calumnia apud Minutium Felicem *Octav. p.* 333 *ed. laud.* Christianos *antistitis, ac sacerdotis, quasi parentis sui, adorare naturam.* Unde intelligitur, quam graviter desipiant, qui nostras adgeniculationes, seu genuflexiones ad Rom. Pontificis Christi vicarii pedes irridenť; cum exploratissimum sit, hanc reverentiam ab antiquis ecclesiæ sæculis etiam in episcopos et sacerdotes semper adhibitam fuisse. Et summo quidem Pontifici hoc semper obsequii genus christianos exhibuisse ejusque pedes osculari solitos fuisse, compertum est. In actis antiquissimis S. Susannæ virginis et martyris, quæ recitat card. Baronius *ad an.* 294 *num.* 10 *pag.* 271 *tom.* 3 *ed. Lucæ*, de Præpedigna Claudii uxore narratur, quod « Audita viri tanta a Deo facta mutatione, repente ad Gajum Papam se contulit, ad pedesque concidens, eos ex more exosculata, æque se ad fidem recipi pos-

tulabat. » Cum autem id *ex more* factum dicatur, perspicuum est, ab ipsis ecclesiæ primordiis fieri consuevisse; quod et paulo post confirmatur in iisdem actis, ubi de eodem Cajo Pontifice dicuntur hæc : Ad cujus adventum quì erant congregati in domo Gabinii, in terram prostraverunt se omnes ex more. » Eadem etiam de Maximo occurrunt. Vetustus ordo Romanus, qui Gelasio tribuitur, apud *Mabillon. Ord. I num.* 11, *Ord. II num.* 8, *Ord. III num.* 10 *p.* 945 *et* 56 *edit. Paris.* 1686, diaconum inducit osculantem pedes Pontificis, antequam evangelium legat. In vitis RR. Pontificum, quæ Anastasio tribuuntur, pluries mentio est obsequii, quo imperatores S. Pontificem exceperunt. Cum Joan. I an. 525 Constantinopolim adiit, cuncti eum summo honore prosequuti sunt, sed præsertim « Justinus Augustus dans honorem Deo humiliavit se pronus, et adoravit Beatissimum Papam Joannem. » Vide Baron. *ad. an.* 525 *n.* 6 *tom.* 9 *pag.* 341 *ed. Lucæ* 1741. Non multo post Agapitus simili honore exceptus fuit, quoniam « Augustus Justinianus gaudio repletus humiliavit se S. Sedi Apostolicæ, et adoravit Sanctissimum Papam Agapitum. » Etiam Justinianus II ineunte VIII sæculo hoc ipsum obsequium præstitit adversus Constantinum summum Pontificem : « In die autem qua se invicem viderunt, Augustus christianissimus cum regno in capite sese prostravit, pedes osculans Pontificis, deinde in amplexum mutuum corruerunt. » Anastasius bibliothecarius *in vitis sum. Pontificum tom.* 1 *sect.* 88 *pag.* 95 *sect.* 96 *pag.* 102, *et sect.* 173 *pag.* 160 *ed. Rom.* 1755. Mitto cetera, quæ fusius et uberius explicat Cajet. Cennius *diss.* 6 inter ejus dissertationes Pistorii editas *an.* 1778 *tom.* 1 *pag.* 171 *et seq.* Vide Thomass. *vet. et nov. eccl. discipl. par.* 2 *lib.* 3 *cap.* 65, et Dominicum a SS. Trinitate *Bibl. Theol. tom.* 5 *par.* 2 *l.* 4 *sect.* 11 *cap.* 42.

(2) Vide conc. Ancyran. *can.* 16 apud cit. Labb. *tom.* 1 *col.* 1491 *ejusd. ed.*, ubi potissimum de substratis agitur. Erat substratorum statio intra ecclesiæ ambitum a portis usque ad ambonem, videlicet parvum illud atque altius ædificium, ex quo legebantur epistolæ et evangelium, diptycha recitabantur, atque ad populum conciones habebantur. Adhuc Romæ exstant vetusti quidam ambones in ecclesia S. Clementis, SS. Nerei et Achillei, aliisque ecclesiis, ac de iis late scripserunt Du Cange *in not. ad Pauli Silentiarii descript. Templi S. Sophiæ n.* 75 *et seq. ac in Glossar. med. et inf. latin. verb. Ambo;* Thiers *in Diss. eccl. num.* 2; Rondini *de eccl. S. Clemen. pag.* 95.

(3) Conc. Nicœn. *can.* 11 *col.* 328 *tom.* 1 *coll.* Hard. hunc gradum vocat *communicare cum populo orationibus* χωρις προσφορας *sine oblatione, et can.* 12 *et* 13 *col.* 330 *communionem orationis*

appellat. Conc. Ancyr. *can. 4 et seq. col.* 27 *tom.* 1 *coll.* Hard. utitur his formulis : « Communicent sine oblatione; sola oratione communicent; communionem ad preces assequantur. » Quæ formulæ etiam apud plures Latinos patres occurrunt. Consistentium in ecclesia locum fuisse ab ambone usque ad altare, inter omnes constat : sed non ita exploratum est, num permixti cum fidelibus, nullo discrimine, an potius ab iis loco disjuncti fuerint. Verisimilius tamen est, eos fuisse sejunctos; nam secus ad cancellos sanctuarii accedere potuissent, a quibus non offerentes et non communicantes arcebantur.

§. LXXVI. Certa erant stationum spatia pro singulis criminibus constituta; sed ea tamen pro gravitate delicti longiora, aut breviora erant (1) : et vero rei gravissimorum quorumdam criminum toto vitæ curriculo pœnitentiam agere cogebantur (2). Episcopus stata tempora pro vario pœnitentium studio contrahebat aut producebat arbitratu suo; et hoc quidem episcopi arbitrium interdum tam late patebat, ut posset pœnitentes ex Auditione ad Consistentiam, omissa Substratione traducere (3). Longius, ut plurimum, erat tempus substrationis, quoniam hæc statio ad eluendas animorum sordes proprie erat instituta, et interdum anno decimo quinto absolvebatur (4).

(1) Concil. Ancyr. *can.* 5 *col.* 273 *t.* 1 *coll.* Hard.; S. Basil. *ep.* 217 *ad Amph. fere per tot. t.* 3 *pag.* 324 *et seq. ed. cit.*

(2) Hujusmodi pœnitentiam concil. Eliber. *can.* 3 *col.* 249 *tom.* 1 *coll.* Hard. constituit adversus eos, qui flaminis, sive ethnici sacerdotis officium suscepissent, et *can.* 13 *col.* 250 adversus virgines consecratas, quæ se stupro contaminassent; conc. Neocæs. *can.* 2 *col.* 28 *t.* 1, adversus mulierem duobus fratribus nuptam; Arelat. 1 *can.* 14 *col.* 265 *tom.* 1 adversus eos, qui falso fratres accusaverant; Ancyran. *can.* 16 *col.* 277; Valentin in Gallia *can.* 3 *col.* 790 *eod. t.* 1; Ilerdense *can.* 5 *collect.* 1065 *tom.* 2, adversus aliorum criminum reos. Confer Muratorium *antiq. Ital. medii ævi* 5 *diss.* 68.

(3) Conc. Nicæn. *can. col.* 328 *tom.* 1 *col.* Hard.

(4) Conc. Ancyran. *can.* 16 *loco mox laud.*

§. LXXVII. Toto illo temporis cursu, quo pœnitentes in iis stationibus versabantur, multas edere debebant dolentis animi significationes, seque etiam a multis, quæ ceteris licebant, abstinere. Et vero cinere aspersi, et operti cilicio (1), ac mares vel raso capite, vel tonsis capillis, mulieres autem aut sumpto pœnitentiæ velo, aut passis tonsisve crinibus pœnitentiam accipiebant (2). Præterea corpus jejuniis cruciabant, eleemosynas dabant pauperibus; iis etiam diebus, quibus ceteri fideles stantes orabant, flexis genibus preces fundebant, seque a balneis, conviviis, ipsoque matrimonii usu abstinebant (3)

(1) Cilicium erat vestis aspera ex pilis animalium contexta quæ totum corpus operiebat, Ambros. *de Laps virg. cap.* 8 *num.* 35 *tom.* 3 *col.* 342 *ed. Venet.* 1751.

(2) Conc. Agath. *can.* 15 *col.* 999 *tom.* 2 *coll.* Hard.; Tolet. III *can.* 12 *col.* 481 *tom.* 3 *collect. ejusd.;* Ambr. *loc. cit.*, Hier. *ep.* 77 *num.* 4 *col.* 456 *tom.* 1. Velum pœnitentiæ, quod mulieres sumebant, memorat Optatus Milev. *l.* 2 *contra Parm. pag.* 58 *ed. Paris.* 1676.

(3) Consule Martenium *de antiq. eccl. rit. l.* 1 *c.* 6 *art.* 4 *tom.* 1 *p.* 266 *et seq. ed. c.*, a quo hæc omnia accurate describuntur.

§. LXXVIII. Certus erat pœnitentium restituendorum dies (1), nisi justa adesset causa, propter quam id celerius faciendum videretur. Nam citius restituebantur ii, quos martyrum libelli commendarent, qui ad martyrium erant comparandi, qui illustrem Christo pii et obsequentis animi significationem edidissent, qui in vitæ discrimine versarentur; idem denique fiebat, si quid inde mali ab ecclesia amoveretur, aut si quid boni in eam redundaret (3). Quin etiam multi erant, qui sua crimina privata pœnitentia expiabant, neque publicam subire cogebantur, quamquam graviora flagitia admisissent. Hujusmodi erant juvenes propter ætatis fragilitatem (4), et mulieres adulteræ, quoniam

publica pœnitentia, quæ certum erat earum criminis monumentum, iis mortis causa esse poterat (5); et conjugati, nisi conjugis consensus accederet (6); et clerici majores, qui clam in monasterio sua crimina deflebant, nisi publicam pœnitentiam sponte susciperent (7).

(1) Feria V in cœna Domini olim pœnitentes reconciliari consuevisse, demonstrat Innoc. I *in epist. ad Decentium Eugubin. cap.* 7 *col.* 862, apud Coustantium *ep. Rom. Pont.* Hæc quidem consuetudo erat ecclesiæ Romanæ aliarumque occidentalium ecclesiarum, quæ ejus ritus susceperant. Verum in Mediol. ecclesia pœnitentes reconciliari solebant feria sexta majoris hebdomadæ, uti patet ex S. Ambros. *ep.* 20 *ad Marcellinam soror. num.* 26 *col.* 908 *tom.* 3, *et in Hexamer. lib.* 5 *cap. ult. col.* 130 *tom.* 1 *ed. indic.* Eamdem quoque consuetudinem viguisse in Hispaniis atque in quibusdam Gallicanis ecclesiis, ostendit Martenius *de antiq. eccl. rit.* 1 *cap.* 6 *art.* 5 §. 10 *tom.* 1 *pag.* 21.

(2) Confer Albaspinæum *in can.* 25 *conc. Eliber. p.* 167 *ed. Veap.* 1770, et Nat. Alex. *hist. eccl. sæc.* 3 *et* 4 *diss.* 3 *tom.* 4 *p.* 46 *ed. Venet.* 1776.

(3) Late hæc omnia persequitur et multis confirmat monumentis Nat. Alex. *loc. cit. diss.* 9 *pag.* 80.

(4) Conc. Aurelian. III *can.* 24 *col.* 1428 *tom.* 2, et Agath. *can.* 15 *col.* 1000 *tom.* 2 *coll.* Harduini.

(5) S. Basil. *can.* 31 ibique Balsamon, et Alexius Aristinus *in Scholiis* apud Beveregium *in Pand. tom.* 2 *par.* 1 *pag.* 47. Consule Card. Bonam *rer. liturg. lib.* 1 *cap.* 17 §. 5, ibique Salam *not.* 1 *pag.* 373 *et seq. tom.* 1 *laud. ed.*

(6) Conc. Arelat. III *can.* 22 *col.* 775 *tom.* 2 *coll.* Hard.

(7) Siricius P. *ep. ad Himerium Tarracon. episc. cap.* 14 *col.* 636 apud Coustantium *loc. cit.;* Hier. *ep.* 147 *ad Sabinian. diacon. col.* 1078 *tom.* 1 *cit. ed.* Confer Morinum *Exerc. eccl. lib.* 2 *exerc.* 14; Natal. Alex. *Diss.* 11 *pag.* 89 *loc. cit.*. et P. Coustant. *de pœnit. major. cleric. in thesaur. theolog. tom.* 12 *opusc.* 12 *pag.* 191.

§. LXXIX. Solemnes illi, quos numeravi, publicæ pœnitentiæ gradus jam pridem antiquati sunt (1); et nunc pœnitentia arbitrio sacerdotis imponitur. Quod eo spectat, ut non certæ, sicuti olim fiebat (2), pro

singulis criminibus constitutæ a canonibus pœnæ infligantur; verum sacerdotes debent *salutares et convenientes satisfactiones injungere* (3), quæ scilicet apte conveniant ad novæ vitæ custodiam atque ad peccatorum castigationem. Hinc pœnitentiæ ministri, ut suo recte munere fungi possint, scire debent canones pœnitentiales, ut inde criminum gravitatem et dignam crimine pœnitentiam noscant (4).

(1) Solemnes publicæ pœnitentiæ gradus CP. sustulit Nectarius patriarcha CP., cujus exemplum etiam reliquæ græcorum ecclesiæ brevi sequutæ sunt. Consule Cl. Fr. A. Zaccariam, qui rem totam diligenter explicat *diatrib. de pœnitentia CP. sublata a Nectario in thesaur. theolog. tom.* 11 *pag.* 290. In Occidente vetus illa disciplina diutius obtinuit. Nam Latini octavo exeunte, nonoque ineunte sæculo, gradus illos integros retinebant, uti patet ex capitularibus Caroli M. et Ludovici Pii *lib.* 5 *cap.* 136 apud Baluzium *capitul. reg. Francor. tom.* 1 *col.* 569 *ed. Ven.* 1772. Medio sæc. IX solemnes pœnitentiæ ritus memorat Nicolaus I *ep. ad Rivoladrum episc.*, apud Labb. *tom.* 8 *conc. col.* 503 *ed. Ven., et ep.* 24 *ad Hincmar. Remens. col.* 513, et conc. Wormatiense *an.* 868 *can.* 30 *col.* 742 *tom.* 5 *coll.* Hard. Sed iis in locis tantum tres pœnitentiæ gradus describuntur, scilicet Fletus, Auditio, Consistentia, omittitur autem Substratio, quod etiam fit in epistolis summ. Pontificum et decretis conciliorum, quæ ad eam ætatem pertinent. Denique sæc. XII gradus illi pœnitentiæ apud Latinos fere ubique desierunt, atque ejus mutatæ disciplinæ causæ præsertim fuerunt canonicæ pœnitentiæ commutatio cum certis precibus et corporis flagellis, cum pecunia collata in pauperes atque in alios pios usus conversa, aut cum laborioso aliquo opere, quod in bonum ecclesiæ redundaret; et ideo peccatores sæpe sunt jussi arma capere contra hæreticos aut infideles, et communis prope theologorum ejus ætatis sententia fuit, pœnitentiam in foro conscientiæ sacerdotis arbitrio esse constituendam, quæ omnia late enarrat Morinus *de Pœn. lib.* 10 *cap.* 16 *et* 25.

(2) Magna erat veterum Patrum cura et diligentia, ut propria remedia, et justa pro unoquoque crimine pœnitentiæ tempora constituerentur. Ea de re agebatur in conciliis, ubi plures conditi sunt canones, consulebantur etiam primarum sedium episcopi, et qui ceteris pietate ac doctrina præstarent; et hi suas

dabant litteras, quibus aptam et idoneam ad singula crimina pœnitentiam et ejus quoque tempus stabiliebant. Hinc collecti sunt *canones pœnitentiales*, ex quorum auctoritate pœnitentiæ imponebantur; et ideo cum episcopi synodum habebant, inter cetera monebant presbyteros, ut *non ex corde, sed sicut in pœnitentiali scriptum est*, pœnitentias darent, apud Reginon. *lib.* 1 *cap.* 98. Similiter episcopi, cum diœcesim lustrabant, illud in primis quærebant, num presbyter haberet librum pœnitentialem, et num secundum ejus leges pœnitentiam imponeret, uti patet ex Burchardo *lib.* 1 *cap.* 94, et Reginone *lib.* 1 *cap.* 95. Multi adhuc exstant hujusmodi libri pœnitentiales evulgati a viris eruditis, quos memorat Ben. XIV *de syn. diœc. l.* 1 *c.* 11 *n.* 5.

(3) Conc. Trid. *sess.* 14 *cap.* 8 *de Pœniten.*

(4) Consule S. Car. Borr. *in Præf. ad can. pœn.*, et card. de Aguirre *ad can.* 11 *et* 12 *Conc. Tolet. III tom.* 2 *coll. max.* Concil. Hispan.

§. LXXX. Absolutio primis ecclesiæ sæculis, ut plurimum, post actam pœnitentiam concedebatur (1). Verum cum ea res ad disciplinam pertineat, nullaque sit necessitas præmittendæ pœnitentiæ, ut integrum sit sacramentum, labentibus annis invaluit usus tribuendæ absolutionis, antequam pœnitentia peragatur. Quin et vetusta ætate quamquam ea, quam memoravi, disciplina obtineret, tamen sæpe ante emensa pœnitentiæ spatia absolutio dabatur, si quem libelli martyrum commendarent, si quis præclaram pietatis significationem edidisset, si qua gravis urgeret causa, quæ mitiorem disciplinam postulare videretur (2); diuque obtinuit, ut statim post confessionem dimitterentur crimina, quæ publica pœnitentia expiare non oportebat (3). Merito hinc damnatæ et proscriptæ sunt duriores asperioresque sententiæ illorum, qui Christi lege institutum ferunt, ut pœnitentia absolutioni præeat, ac minus probant eam, quæ nunc viget, disciplinam per quam absolutio pœnitentiam antevertit (4).

(1) Cypr. *ep.* 10, 52 *et* 59 *pag.* 23, 66, 94, *ed. Paris.* 1666; Pacianus *ep.* 1 *ad Sympronian. pag.* 307 *biblioth. PP.*

tom. 4 ed. Lugd.; Ambr. *de Pœn. lib.* 2 *cap.* 9 *col.* 549 *tom.* 5 *cit. ed.;* Innoc. I *ep.* 25 *ad Decent. col.* 862, apud Coustant. *ep. Pontif. Rom.;* Leo M. *ep.* 84 *ad Theodor. Forojul. episc. tom.* 2 *pag.* 328 *ed. cit.*; conc. Tolet. III *cap.* 11 *col.* 418 *tom.* 5 *coll.* Harduin.

(2) Cypr. *ep.* 18 *et* 19 *ad Caldon.* 52, 54 *col.* 71, 73, 165, 187 *ed. Venet.* 1758; Cornelius *ep. ad Cypr.*, quæ inter Cyprianicas est *ep.* 46 *col.* 147; Innoc. I *ep.* 25 *ad Decent. num.* 10 *col.* 862 apud Coustant.; Leo M. *ep.* 108 *ad Theodor. cap.* 4 *col.* 1175 *tom.* 1 *ed. Venet.* 1753: conc. Nicæn. *can.* 13 apud Labb. *tom.* 2 *col.* 39 *ed. Ven.;* Carthag. IV *can.* 76 *col.* 1443 *ibid.;* Ancyr. *can.* 5 *col.* 1487 *ibid.;* Arausic. I *can.* 3 *col.* 702 *tom.* 4; Epaonense *can.* 36 *col.* 716 *tom.* 5 *ib.*

(3) Consule Morinum *de pœnit. lib.* 9 *cap.* 14.

(4) Sæc. XV Petr. Oxomensis theologiæ in Salmanticensi academia professor docuit, satisfactionem absolutioni omnino esse præmittendam, isque a Sixto IV damnatus est. Superiori sæculo hunc errorem aliqui renovarunt, contendentes differendam esse absolutionem sacramentalem, ut prius aliqua saltem laboriosa opera a sacerdote imposita pœnitentes absolverent; sed eum damnarunt Alex. VIII *n.* 16, 17, 18 *in bullar. Rom. p.* 97 *tom.* 9 *ult., ed.*, et Clem. IX *in const. Unigenitus* 187 *pag.* 340 *t.* 10 *ejusd. Bullar.* Eumdem hunc errorem, quem scripto mandarat Theoph. Brachet, Sacra Facultas Paris. die 23 jun. an. 1644 condemnavit.

§. LXXXI. Formam hujus sacramenti conficiunt verba illa absolutionis, quæ sacerdos profert, *non nudum* præstans *ministerium pronuntiandi remissa esse peccata, sed actum judicialem* exercens : *Ego te absolvo etc. quibus de ecclesiæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur, ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius sacramenti administrationem sunt necessariæ* (1). *Indicativa hæc forma* antiquissima certe est apud Latinos (2); de Græcorum forma non eadem omnibus sententia est (3).

(1) Conc. Trid. *sess.* 14 *de Sacram. pœnit. cap.* 3 *et* 6.

(2) Jo. Morinus *lib.* 8 *de admin. pœn.* multis capitibus defendit, deprecativam fuisse formam sacramenti pœnitentiæ qua us-

que ad sæc. XII Latini usi sunt. Morinum complures sequuntur, licet fateantur nunc tantum indicativam esse formam, quam syn. Flor. ac Trid. proposuit. Contra Latinorum formam et nunc esse, et semper fuisse indicativam, contendit Edm. Simonetus *de forma sacram. pœn. thesaur. theol. tom.* 11 *Opusc.* 9 *p.* 485 *et seq.* Ætate S. Thomæ, quæ pertinet ad sæc. XIII, indicativa jamdudum inducta erat, de eaque loquitur ipse Th. *Opusc.* 23 *alias* 22 *cap.* 1 tamquam antiquissima et ubique recepta, imo potius existimare videtur, nullam aliam unquam obtinuisse. Martenius autem *de antiq. eccl. rit. lib.* 1 *cap.* 6 *art.* 5 §. 12, in quatuor antiquissimis libris ritualibus sese indicativam formam deprehendisse testatur.

(3) Simonetus *loco mox laud. art.* 5 *pag.* 536 *et seq.*, Græcorum formam non deprecativam, sed indicativam esse, arbitratur. Sed alia sententia est Morino *loc. cit. cap.* 12, Juenino *de Sacr. diss.* 6 *qu.* 7 *cap.* 2 *art.* 1 aliisque compluribus.

§. LXXXII. Minister sacramenti pœnitentiæ est episcopus, aut sacerdos (1). Si quando a diacono datam absolutionem constat (2), non id referendum est ad sacramentalem absolutionem, quæ rei crimen tollit quæque ordinis propria est, sed ad cæremonialem absolutionem, quæ pœnitentem solvit legibus publicæ pœnitentiæ quæque etiam diacono committi poterat, cum tota jurisdictionis sit (3). Similiter si quem laico sua interdum patefecisse crimina scriptum est (4), factum id fuit patientiæ et demissionis causa, non quod laicus per sacramentum pœnitentiæ solvere quemquam posset (5).

(1) Conc. Trid. *sess.* 14 *de pœn. cap.* 6; Eug. IV *in decr. union. Armen. tom.* 9 *coll.* Hard. *col.* 440; Leo X *Const.* 44 *tom.* 3 *par.* 3 *bullarii pag.* 449, ubi inter ceteros damnatur Lutheri error, quod videlicet « In sacramento pœnitentiæ, ac remissione culpæ non plus facit Papa, aut episcopus, quam infimus sacerdos; imo, ubi non est sacerdos, æque tantum quilibet christianus, etiamsi mulier aut puer esset. » Quo in luto ante Lutherum hæsitaverant Wiclefus, Flagellantes et Hussitæ, qui spreto sacerdotis tribunali sua apud laicos crimina confitebantur atque ab iis absolutionem obtinebant, ut videre est *in l.* 3 *de Gestis Baldewini de Luczenb. cap.* 9, apud Baluzium

Miscell. hist. tom. 1 *pag.* 324 *ed. Luc.* 1761. Quamquam, ut in ceteris, ita etiam in hoc errore Lutherus inconstans et varius, *de captivit. Babylon.* unum baptismum sacramentum habeat : quo factum est, ut quasi duæ familiæ proseminatæ sint lutheranorum, quorum alii pœnitentiam sacramentum esse affirmant, alii negant. Adeo verum est, non nisi in ecclesia catholica unam semper et eamdem esse fidem.

(2) S. Cypr. *epist.* 12 *p.* 25 *ed. cit.;* Constitutiones Odonis Paris. episcopi *cap.* 56 *tom.* 6 *par.* 2 *coll.* 1946 *coll.* Hard.; *cap. Fures de Furtis,* si vera est lectio, quæ vulgo traditur, *presbytero, vel diacono confessi fuerint.* Nam Ant. Augustinus *in not. ad prim. collect. decretalium lib.* 5 *tit.* 26 *cap.* 4 *pag.* 326 *edit. Luc.* 1769, legendum esse monet *presbytero vel Deo,* uti est in *can.* 31, conc. Triburensis *col.* 449 *tom.* 6 *coll.* Hard., unde illud caput desumptum est.

(3) Confer card. de Aguirre *conc. Hispan. tom.* 1 *pag.* 729; Nat. Alex. *hist. eccl. sæc.* 5 *diss.* 4 *t.* 4 *pag.* 49 *ed. Ven.* 1776, et Ben. XIV *de syn. diœces. lib.* 7 *cap.* 16 *num.* 5 *ad* 8. Late etiam ac solide hoc argumentum persequitur Car. Blaschus *diss.* 1, et contra Basnagium, Launojum atque alios ostendit, numquam diaconos, etiam urgente necessitate, pœnitentiæ sacramentum administrasse.

(4) *Can. Qui vult. de pœn. diss.* 6. Multa hujusmodi exempla colligunt Morinus *de pœn. lib.* 8 *c.* 24; Juenin *de sacram. diss.* 6 *qu.* 5 *c.* 4 *art.* 2; Martenius *de Antiq. eccl. rit. lib.* 1 *cap.* 6 *art.* 6 §. 8 *pag.* 274 *tom.* 1 *cit. ed.*

(5) Vide D. Th. *in* 4 *dist.* 17 *q.* 3 *art.* 3 *qu.* 2, et vide etiam Ben. XIV *loc. cit. num.* 9 *et seq.*

§. LXXXIII. Ut autem valeat absolutio, in ministro requiritur non tantum potestas ordinis, per quam ei ex divina institutione committitur judicium animarum in foro pœnitentiæ, sed etiam jurisdictionis. Potestas ordinis efficit, ut presbyter judicium hoc sacramentaliter exercere possit; sed frustra id exerceret, nisi haberet subditos, in quos suam explicet potestatem. Atque hæc est potestas jurisdictionis, quæ tota pendet ex imperio in subditos, adeo ut sine subditis nulla sit. Cetera sacramenta sine hac potestate conferre non licet, sed tamen valent collata cum sola

ordinis potestate : verum sacramentum pœnitentiæ utramque desiderat; quoniam opus est ministro, per quem et conferatur gratia, feratur sententia, quæ tantum valet prolata in eos, qui Judicis jurisdictioni subjecti sunt (2).

(1) Conc. Trid. *sess.* 14 *de Sacram. pœnit. cap.* 6 *et can.* 9, et catechismus Rom. *par.* 2 *cap.* 4 §. 54.

(2) Consule Cl. Christianop. in libro *della nullità delle assoluzioni ne' casi riservati cap.* 2 §. 3 §. 109. *pag.* 158 *et seq.*

§. LXXXIV. Jurisdictio penes episcopum in omni diœcesi est, et ideo nisi quis eam ab episcopo obtineat, in ejus subditos exercere judicium ac sententiam ferre non potest. Parochi, cum animarum curæ præficiuntur, sui officii jure obtinent hanc potestatem, quia cum parochi fiunt, accipiunt ab episcopo subditos, quos regant et in quos jurisdictionem exerceant. Ceteri sacerdotes, quibus nulli cum beneficio subditi dati sunt, opus habent venia episcopi, a quo ad hoc munus apti et idonei judicentur, ac muneris gerendi potestatem accipiant (1). Itaque parochi posteaquam rite constituti sunt, jure proprio, reliqui sacerdotes, sive ex sæcularibus, sive ex regularibus, jure delegato pœnitentiæ sacramentum administrant (2).

(1) Conc. Trid. *sess.* 23 *cap.* 15 *de ref.* Consule Ben. XIV *Inst.* 85, ubi multa sunt, quæ ad hunc locum pertinent.

(2) « Nullus ita sit temerarius, inquiunt Patres Gallicani in comitiis generalibus an. 1625, 1635, 1645, ut ingerat se audiendis confessionibus, quin ad id facultatem scripto traditam ab episcopo, aut ejus vicario generali obtinuerit. Et religiosi, quamvis exempti ab illius jurisdictione, excipere non poterunt confessiones, quin prius examen subierint, ab eoque, aut ejus vicario generali approbati fuerint, ex quorum nutu pendebit, ut indefinitam, aut ad tempus solum facultatem concedant. » Hinc Pius IV *const. In Principis Apost.* 109, *bullar. Rom. ult. edit. tom.* 4 *par.* 2 *pag.* 214. et Urbanus VIII *Const. Cum sicut accepimus* 279 *tom.* 6 *par.* 1 *ejusd. bull. pag.* 142, sustulerunt

privilegia omnia concessa regularibus, aliisque omnibus audiendi sæcularium confessiones, non impetrata primum ab episcopo facultate. Alias eadem de re propositiones, a regularibus quibusdam Andegav. evulgatas contra episcoporum potestatem, confixere Clerus Gall. in comitiis generalibus an. 1656, et Alex. VII die 24 sept. 1665 *Const.* 120 *ejusd. bullar. tom.* 6 *par.* 6 *pag.* 84.

§. LXXXV Hæc autem ab episcopo data potestas modo angustioribus coercetur finibus, et modo latioribus explicatur. Nam ea res pendet ab episcopi arbitrio, qui ut jurisdictionem attribuit, ita eam arctat, constringit, explicat suo arbitratu. Ex quo patet, posse episcopum suo lubitu tantum in certos homines atque in certa crimina potestatem concedere; unde intelligitur, quamobrem sacerdotes nequeant ferre sententiam in certos homines, ac judicare de quibusdam criminibus, quorum sibi judicium episcopus reservavit. Inde jus oritur *casuum*, quos *reservatos* vocamus, quod efficit, ut sacerdos, excepto mortis articulo (1), nihil possit in iis rebus quarum potestatem episcopus non mandaverit (2).

(1) Mortis articulus a periculo differt. « Est namque mortis periculum, inquit Melchior Canus *de Pœnit. par.* 9, in his dumtaxat unde mors frequenter solet accidere. . . . At articulus mortis intelligitur, cum regulariter certa mors est. » Non solum in articulo, sed etiam in gravi mortis periculo, cum abest parochus, aut alius ab episcopo approbatus confessarius, quemlibet sacerdotem absolutionem impertiri posse, ostendit Car. Blaschus *in app. ad. diss. de pœn.*

(2) Conc. Trid. *sess.* 14 *de Sacram. pœn. cap.* 7 *et can.* 11. Inquit autem ipsa Synodus *cit. cap.* 7, quod « Nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt. » Quæ verba cum pateant amplissime, ac nullum sacerdotem excipiant, omnibus fere scriptoribus Juris Canonici argumento sunt, quod, urgente necessitate, absolvere possit quivis sacerdos, etiam excommunicatus, suspensus, degradatus, hæreticus, modo absit publica offensio ac periculum subversionis. Graviter et copiose in hoc argumenti genere versatur Car. Blaschus *Diss.* 2 *de pœn.*

Verum autem adeo est, quod supra dixi, neminem sine episcopi venia absolvere quemquam posse a casibus ipsi episcopo reservatis, ut id etiam ad eos pertineat, qui absolvendi a casibus reservatis sedi Apost. facultatem obtinuerant. « Et habentes, inquit Clemens X *Const. Superna* 10 §. 7 *pag.* 32 *tom.* 7 *bullar. Rom. ult. ed.*, facultatem absolvendi ab omnibus casibus sedi Apost. reservatis, non ideo a casibus episcopo reservatis posse absolvere. » Consule S. Carolum Bor. *Conc. provinc. III tit. de iis quæ ad pœnit. sacram. pert., et Conc. provinc. V eod. tit. act. eccl. Mediol. par.* 1 *pag.* 79 *et* 199 *ed. Patav.* 1754.

§. XXXXVI. Quod autem episcopus in sua diœcesi, id potest summ. Pontifex supremo jure. cui subsunt omnes, in ecclesia universa (1). Nam per totam ecclesiam ejus propagata ac diffusa jurisdictio est; et ideo nulla est aliorum potestas in iis, quæ huic summæ potestati servata sunt. Ac recte quidem et merito graviora quædam crimina summo Pontifici, aut episcopo reservata sunt, ut ea difficultate absolutionis cohiberentur, et gravioribus peritiores medici remedium adhiberent (2).

(1) Conc. Trid. *sess.* 14 *de pœn. cap.* 7, et merito sapientissimus atque optimus Pontifex PIUS SEXTUS litteris doctrinæ, veritatis, dignitatis, auctoritatisque plenis, quas edidit die 28 Nov. ann. 1786, Eybelum damnavit, ausum in libro *Quid est Papa?* calumniari reservationes absolutionum, quæ ad sedem Apostolicam pertinent. De casibus a summo Pontifice, aut ab episcopo reservatis, deque nullitate absolutionis, quæ contra reservationis legem data est, copiose disputat Cl. Christianop. libro Romæ edito anno 1785, cui titulus; *della nullità delle assoluzioni ne' casi riservati.* Vide etiam Cl. Bolgenium in egregio libello Maceratæ edito an. 1785, cui titulus: *Esame della vera idea della Sancta Sede* §. 133 *et* 134 *p.* 208 *et seq.* Falsi autem sunt Espenius *jur. eccl. univ. tom.* 1 *par.* 2 *tit.* 6 *cap.* 7 *n.* 9, et Dom. Cavallarius *inst. jur. canon. par.* 2 *cap.* 16 §. 7 *in not.*, qui graviora crimina sedi Apostolicæ tantum reservari cœpisse putant post sæc. X, et initio quidem potius episcoporum, quam summ. Pontificum auctoritate. Nam Romani Pontifices jam VI sæculo quosdam sibi *casus*, ut dicimus, suo sibi jure reservare solitos fuisse, demonstrat S. Greg. M., quem nemo ignorat ab-

fuisse quam maxime a violandis juribus episcoporum. Is autem *ep.* 7 *lib.* 3 *col.* 931 *tom.* 2 *edit. cit.* Jo. Larissensem metropolitam, si quid ageret contra quam ab sede Apostolica præscriptum fuisset, privandum statuit communione sacrorum, quam non recuperaret, « Excepto ultimo vitæ suæ tempore, nisi concessa Rom. Pontificis jussione. » Vide etiam S. Leonem M. *ep.* 12 *ad Anast. Thessal. c.* 1 *et ult. pag.* 49 *et seq. et* 55 *seq.* Homicidas autem ante annos circiter nongentos, quod vere observat Martenius *de antiq. eccles. rit. tom.* 1 *lib.* 1 *cap.* 6 *art.* 6 *num.* 6 *pag.* 273, veniæ impetrandæ causa ad S. Pontificem missos fuisse, constat ex *lib.* 3 *de gest. Sanctor. Rotonens. cap.* 1 *sæc. IV Benedictin.* Cum autem homicidium esset ex genere eorum criminum, quæ in quibusdam ecclesiis veniæ locum non relinquebant, fortasse cum hæc disciplinæ austeritas emolliri ac mitigari cœpit, id retentum est, ut eorum graviorum criminum rei non nisi a sede Apostolica veniam consequerentur. Nam ea semper ipsius lenitas benignitasque fuit, ut etiam cum antiqua vigeret disciplinæ severitas, ipsa tamen justis de causis veniam interdum daret in criminibus, quæ alicubi ordinaria lege uni Dei judicio relinqui, non autem ab ecclesia dimitti solebant. Ita Tertull., posteaquam in Montani errores incidebat, Zephyrinum P. reprehendit, quod veniam daret mœchis, quibus illam aliæ ecclesiæ antea denegare consueverant.

(2) Conc. Eliber. *can.* 32 *cap.* 1 *conc. coll.* Labb. *col.* 996. « Apud presbyterum, inquit, si quis gravi lapsu in ruinam mortis inciderit, placuit agere pœnitentiam non debere, sed potius apud episcopum. » Ergo gravius crimen jam tunc episcopo reservatum erat. Sed et nota cunctis antiqua ecclesiæ disciplina de publica pœnitentia, quæ donec viguit, publice pœnitentium reconciliatio ad episcopum pertinebat, eademque obsolescente, summi Pontifices et episcopi potestatem absolvendi a gravioribus quibusdam criminibus, extra mortis periculum, sibi reservarunt. Quinimo non tantum episcopis, sed etiam majoribus sedibus ab atrocioribus quibusdam criminibus absolutionem reservari consuevisse jam inde a V ineunte sæculo, ostendit Synesius *ep.* 67, unde constat, Theophilo Alex. Patriarchæ, cui Synesius suberat, Lamponiani cujusdam absolutionem fuisse servatam. Inquit autem ipse Synes. *cit. ep.* 67 *pag.* 215 *ed. Paris* 1633: « Sed ego in iis perseveravi, quæ semel decreveram; solvendi porro jus et auctoritatem ad Pontificiam sedem rejeci. »

§. LXXXVII. Nullum esse scelus, quod ecclesiæ potestati non subjiciatur, contra Montanistas et No-

vatianos definitum est; et vero hanc potestatem initio ecclesiam nullo discrimine exercuisse, demonstrant Paulus (1), et Joannes Evangelista (2), quorum alter incestus in novercam reo, alter homicidæ veniam dedit (3). Quoniam vero Christus dimittendorum æque ac retinendorum criminum jus ecclesiæ fecit, *non desperatione indulgentiæ, sed rigore disciplinæ* (4), factum est, ut alicubi venia et cum ecclesia reconciliatio non daretur reis graviorum quorumdam criminum, quibus spes omnis veniæ in una Dei misericordia relinquebatur (5). Verum disciplina hæc, quæ non diu obtinuit (6), propria fuit peculiarium quarumdam ecclesiarum (7), non totius ecclesiæ catholicæ, quæ reis criminum pœnitentia functis, præsertim in vitæ exitu, nunquam pacem aut sacramentalem absolutionem denegavit (8).

(1) *Ep. II ad Cor. cap.* 2.

(2) Euseb. *hist. eccles. l.* 3 *c.* 23 *p.* 112 *ed. Cantabr.* 1720.

(3) Consule Hermam, Pastorem *lib.* 2 *mandat.* 4; auctorem *Constit. Apost. lib.* 2 *cap.* 25, utrumque apud Cotelerium *PP. Apost. tom.* 1 *pag.* 88 *et* 236 *cit. ed.*

(4) Aug. *ep.* 185 *ad Bonif. n.* 45 *col.* 661 *t.* 2 *ed. cit.*

(5) Graviora hæc crimina quæ in iis locis cum ecclesia reconciliationis spem adimebant, erant idololatria, homicidium, adulterium.

(6) Zephyrinus P. mœchis veniam dedit; qua de re eum acerbe carpit Tertull. *de Pudicit. cap.* 1 *pag.* 555 *ed. Venet.* 1744, posteaquam in Montani hæresim lapsus fuerat. Verum Zephyrinus non novam aliquam disciplinam induxit, sed potius jam inductam confirmavit. Confer etiam Cypr. *ep.* 52 *col.* 177 *ed. Ven.* 1758, qui mirari se ait, « Quosdam sic obstinatos esse, ut dandam non putent lapsis pœnitentiam, aut pœnitentibus exstiment veniam denegandam, » postremoque addit, « neminem putamus a fructu satisfactionis, et spe pacis arcendum. » Conc. Nicæn. *can.* 19 *col.* 466 *tom.* 1 *coll.* Hard. nemini morienti sacramentalem absolutionem, quam *viatici* nomine appellat, denegandam statuit; qui canon ostendit, adhuc ea ætate quosdam fuisse, qui reis quorumdam criminum veniam denegabant: secus enim ejus condendi canonis causa defuisset. Conc. Sardicense, quod non multo post

Nicænum habitum est, *can.* 1 *col.* 657 *t.* 1 *coll.* Hard., Prælatis ecclesiarum, qui per ambitionem sedem mutaverant, ne in exitu quidem laicam communionem habere permittit; quod decretum ita mitigavit Damasus P. *in epist. ad Paulin. Thessal.* apud Holstenium *in coll. Rom. par.* 1 *pag.* 183, ut illi a communione alieni haberentur, *quoad ipsas ad urbes* redierint, *in quibus erant primum ad aliquem honoris ecclesiastici gradum elati.* Quam Pontificiam sanctionem memorat etiam Theodoretus *hist. eccl. l.* 5 *cap.* 11 *pag.* 210 *ed. Cantabr.* 1720. Sed et ante Damasum Julius I, quo Pontifice Sardicense conc. habitum est, *reum animarum*, dixit presbyterum, qui morientibus veniam denegaret *can.* 12 *caus.* 26 *q.* 6; Cœlestinus I, qui sum. Pontifex creatus est an. 423, ep. 4 *ad episcopos provinc. Vienn., et Narbon. cap.* 2 *col.* 1067, apud Coustantium *ep. Rom. Pontific.*, graviter reprehendit Gallicanos Præsules, qui morientibus veniam denegabant, ac denique sic concludit: « Quovis tempore non est deneganda pœnitentia postulanti. » Eadem sententia est Innoc. I *ep.* 25 *ad Decent. Eugubin. cap.* 7 *col.* 862, apud eumdem Coustant., et eadem Leonis M. *epist.* 84 *cap.* 3 *tom.* 2 *pag.* 329 *edit. Romæ* 1755, cum inquit « In dispensandis Dei donis non debemus esse difficiles. »

(7) Fuit hæc disciplina quarumdam in Africa ecclesiarum, uti testatur Cypr. *ep.* 55 *ad Antonian. pag.* 247 *ed. Amstel.* 1700, « Et quidem apud antecessores nostros quidam de episcopis istis in provincia nostra dandam pacem mœchis non putaverunt, et in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauserunt. » In Hispaniis graviorum quorumdam criminum reis, etiam in exitu vitæ, communionem denegatam ostendunt plures Eliberitani concilii canones; nemini tamen unquam pœnitentiæ copia denegata est. Imo eodem Eliber. concilio *can.* 22 *tom.* 1 *coll.* Labbei *col.* 995 *ed. Ven.* cautum expresse est, ut hæretici ad ecclesiam redeuntes a pœnitentia non repellantur. « Si quis, inquit, de catholica ecclesia ad hæresim transitum fecerit, rursusque recurrerit, placuit huic pœnitentiam non esse denegandam, eo quod cognoverit peccatum suum. » Confer Nat. Alex. *hist. eccl. sec.* 3 *diss.* 7 *prop.* 2 *tom.* 4 *pag.* 72 *ed. indic.*

(8) Dionys. Petavius *animad. ad Epiphan. hæres.* 59 *tom.* 2 *pag.* 227 *ed. Paris.* 1662; Gabr. Albaspinæus *lib.* 2 *Observ.* 7 *pag.* 90 *ed. Neapol.* 1770; Jac. Sirmondus *Hist. pœn. public. tom.* 4 *cap.* 1 *col.* 481 *edit. Paris.* 1697; Edm. Martenius *de antiq. eccl. rit. lib.* 1 *cap.* 6 *art.* 2 *tom.* 1 *pag.* 261 *ed. indic.*, aliique putant, tribus prioribus, aut saltem II et III sæculo ecclesiam idololatris, homicidis, adulteris veniam denegare

consuevisse. Contra Morinus *de Pœnit. lib.* 9 *cap.* 20 *et seq.*; Nat. Alex. *loco mox laudato*; card. Capizucchius *in select. quæst. theolog. pag.* 52; Tournelyus *Præl. theol. de Sacram. pœn. q.* 9 *art.* 2; Balthazar Francolinus *in Cleric. Rom. par.* 1 *disp.* 2, aliique complures ostendunt, numquam ecclesiam eo severitatis venisse, ut reis atrociorum quorumvis criminum in vitæ exitu veniam non concederet. Præ ceteris vero card. Orsius, peculiari ea de re edita dissertatione, demonstravit « Catholicam ecclesiam, tribus prioribus sæculis, capitalium criminum reis pacem et absolutionem neutiquam denegasse. » Certe in ecclesiis quibusdam aliquamdiu viguit severior illa disciplina, quam ea ætate retinere licuit, cum adversus eam nulla adhuc ecclesiæ lex esset. Verum catholicæ ecclesiæ sententia semper fuit, nulla esse crimina, quorum rei vere pœnitentes veniam et absolutionem aliquando non obtinerent. Hinc quemadmodum Tertullianum ab ecclesiæ communione rejecit, ejusque nimiam severitatem repressit Zephyrinus; Novatianum, qui criminum reis implacabilem se inexpiabilemque præbebat, Cornelius, deincepsque Innocentius; ita duritiem et asperitatem episcoporum aliquot Galliæ Cœlestinus, et postea similem aliorum duritiem Leo M. damnarunt; quos et alii RR. Pontifices usque ad hanc nostram ætatem sequuti sunt, ex recentioribus S. Pius V, Greg. XIII, Urban. VIII, Innoc. X, Alex. VIII et Clem. XI, qui antiquos Montanistas, Novatianos, Encratitas, Eustathianos et Luciferianos in Mich. Bajo, Corn. Jansenio, ceterisque similibus redivivos, nimiam atque a Christi et Ecclesiæ benignitate alienam severitatem præ se ferentes damnarunt et rejecerunt. Consule cardin. de Aguirre *conc. Hispan. tom.* 2 *diss.* 7, 8 *et* 9 *in can.* 11 *et* 12 *conc. Toletani II* vulgo *III an.* 589 *pag.* 358 *et seq.*, ubi late agitur de antiqua Hispaniarum ea in re disciplina, *et in not. ad can.* 1, 2, 3, *et* 7, *concilii Eliber. tom.* 1 *pag.* 333 *et seq.*, qui Eliberitani canones valde torquent eruditorum ingenia, cum duriores asperioresque videantur; de his ipsis canonibus agit etiam card. Orsius *laud. diss. sect.* 4 *cap.* 1 *digr.* 5 *et cap.* 3 *num.* 4.

SECTIO V.

De Extrema Unctione.

LXXXVIII. Effectus sacramenti Extremæ Unctionis.
LXXXIX. Ejus materia remota.
XC. Materia proxima.
XCI. Forma.
XCII. Minister.
XCIII. Parochus minister ordinarius.
XCIV. Quibus datur hoc sacramentum?
XCV. Græcorum unctio.
XCVI. Quando datur sacramentum Extremæ Unctionis?

§. LXXXVIII.

Extrema unctio, quæ et *Oleum Sanctum* et *Oleum infirmorum* appellatur, sacramentum est, quod ex hac vita migrantibus tribuitur (1). Propterea dicitur Extrema Unctio, quoniam hæc omnium sacrarum unctionum, quas Christus Dominus ecclesiæ commendavit, ultimo administranda est. Hujus sacramenti vim expressit Jacobus Apostolus his verbis (2): *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis sit, remittentur ei.* Quibus ex verbis facile est intelligere materiam, formam, ministrum hujus sacramenti; atque iis utitur, ut hæc cuncta explicet, synodus Tridentina (3).

(1) Conc. Trid. *sess. 14 de Extr. unct. can. 1.*
(2) *Cap. V v. 14*
(3) *Sess. 14 de sacr. extr. unct. c. 2.*

§. LXXXIX. Materia, unde conficitur Extrema Unctio, est oleum olivarum (1), et oleum quidem merum; quoniam nulla permixtionis mentio in libris

ritualibus atque in antiquis monumentis occurrit (2). Oleum ab episcopo benedictum esse debet (3), atque hæc quidem vetus ecclesiæ consuetudo est (4). Apud Latinos solus episcopus oleum infirmorum consecrat feria V cœnæ Domini (5), ab eoque illud quotannis accipiunt singuli, quibus opus est (6): apud Græcos etiam presbyteri; et vero non semel in anno, sed singulis vicibus quibus illud adhibere oportet (7).

(1) Conc. Trid. *sess.* 14 *de Extr. unct. cap.* 1; Catechism. Rom. *de sacram. extr. unct. par.* 3 *num.* 5.

(2) Innoc. I *in epist.* 25 *ad Decent. episc. Eugubin. cap.* 8 *col.* 893 apud Coustantium *ep. Rom. Pontif.* hujus sacramenti materiam esse inquit *oleum Chrismatis*, qui locus Suaresium *t.* 4 *in* 3 *part. disp.* 40 *sect.* 1 *num.* 10, aliosque scholasticos in eam opinionem adduxit, ut crederent, olim balsamum cum oleo misceri consuevisse. Verum sæpe apud eccl. scriptores chrisma merum oleum infirmorum est. Confer Juenin. *de Sacr. diss.* 7 *q.* 3 *c.* 1, et Tournelyum *de Sacr. extr. unct. q.* 1 *art.* 3.

(3) Eug. IV *in Decret. pro instr. Armen. conc. Florent. col.* 440 *tom.* 9 *coll.* Hard.; conc. Trid. *sess.* 14 *de Sacram. Extr. unct. cap.* 1. Episcopus autem oleum benedicit præsentibus presbyteris aliisque clericis, de quibus agit Pontificale Rom. *tit. de offic. in fer. V cœna Domini* §. 3, ibique Catalanus *in not.* 4 *tom.* 3 *pag.* 57, unde, ut putat Martenius *de antiq. eccles. rit. lib.* 4 *cap.* 22 §. 3 *num.* 3 *tom.* 3 *pag.* 87 *ed. cit.*, factum est, ut quidam presbyteri sibi olei consecrandi potestatem adscriberent; sed iis restitit conc. Carthag. II *can.* 3 *col.* 1245 *tom.* 2, et Tolet. I *can.* 20, apud Labb. *tom.* 2 *col.* 1247 *ed. Ven.* Quæstio tamen est inter theologos, num ex Christi Domini institutione, an tantum ex ecclesiæ præcepto, episcopi benedictio sit necessaria. Verum ut ex Christi institutione consecratio aliqua requiratur, ut oleum fiat apta materia sacramenti extremæ unctionis, cum tamen illud ex delegatione S. Pontificis sive tacita, sive expressa etiam a presbytero benedici possit, tantum ecclesiæ lege inductum est, ut oleum infirmorum ab episcopo benedicatur. Consule Ben. XIV *de syn. diœc. lib.* 8 *cap.* 1 *num.* 4.

(4) Innoc. I *loc. cit.*; Greg. M. *Sacram. col.* 67 *t.* 3 *ed. ind.*

(5) Disciplinam conficiendi quotannis chrismatis feria 5 in cœna Domini memorat Fabian. P. *in can.* 18 *de Consecr. dist.* 3; verum hic canon pertinet ad falsas Isidori decretales. Hoc cer-

tum est, uti observat Espenius *Jus eccl. par.* 2 *tit.* 5 *cap.* 3 *num.* 13, disciplinam illam sæc. VII obtinuisse, quoniam eam memorant sacramentarium S. Greg., vetustus Ordo Romanus atque omnes, qui per ea tempora *de divinis Officiis* scripserunt. Constitutus deinceps fuit etiam olei conficiendi locus, scilicet ecclesia cathedralis *in cap.* 12 *de celebr. Miss.*

(6) Non nisi a proprio episcopo sacra olea, hoc est chrisma, et oleum catechumenorum ac infirmorum accipiendum est *can.* 122 *et* 123 *de Consecr. dist.* 4, neque exemptionis privilegium aliquem ea lege solvit, quod late ostendit Passerinus *de Stat. homin. tom.* 3 *qu.* 189 *art.* 10 *insp.* 10 *num.* 910 *et seq.* Quotannis autem sacra hæc olea sumenda sunt; nam vetus, quod superest, « ponitur, ut inquit rituale Rom. *tom.* 1 *Comm. tit.* 2 *cap.* 1 §. 34 *num.* 3 *pag.* 71 *edit. Rom.* 1767, in lampadibus ecclesiæ ante sacramentum, ut comburatur; reliquum autem, quod est in pyxidibus sive capsulis, cum bombice igni comburitur, et novum deinde cum novo bombice in pyxidibus sive capsulis imponitur. » Vide etiam conc. Prov. IV. Mediol. a S. Carolo habitum *act. Eccl. Mediol. par.* 1 *tom.* 1 *p.* 113 *ed. Patav.* 1754.

(7) Confer Goarium *in eucholog. græc. pag.* 436; Arcudium *lib.* 5 *cap.* 2; Allatium *de Cons. utriusque eccl. cap.* 16. Quam græcorum consuetudinem ratam habuit Clem. VIII. *Instr. seu Const.* 107 *bullar. tom.* 3 *par.* 2 *pag.* 72, et Ben. XIV *Const.* 57 §. 4 *tom.* 1 *ejus Bullar. pag.* 104 *ed. cit.*

§. XC. Consecrato oleo ægrotus inungitur; quæ unctio materia proxima appellatur. Quoniam vero Jacobus Apostolus nullam certam indicavit corporis partem quam inungere oporteret, hinc varia ea de re fuit ecclesiæ disciplina. Olim una pars corporis, puta pectus, inungi consuevisse videtur (1). Placuit deinde plures partes inungere, ac præter ceteras alicubi partem morbo affectam (2), quo referebant verba Jacobi: *et alleviabit eum Dominus.* Nunc Latini ungunt quinque organa sensuum, videlicet oculos, aures, nares, os, manus, itemque pedes et renes: verum renum unctio in fœminis propter honestatem omittitur, et omittitur etiam in viris, cum ea morbi vis est, ut infirmus commode moveri non possit (3). Græci sacerdotes ungunt ægri frontem, mentum, ambas genas,

deinde pectus, tum utramque manum, postremo pedes (4).

(1) Consule Mabillon. *præf. ad sæc. I Bened. n.* 97 *pag.* 56 *ed. Venet.* 1733.

(2) Vide Menardum *in Sacram. S. Greg. M. col.* 540 *et* 541 *tom.* 3 *opp. S. Greg. ed. cit.*

(3) Confer rituale Rom. *tom.* 1 *in Comm. tit.* 5 *cap.* 2 §. 15 *num.* 2 *pag.* 336 *edit. cit., et decretum Eug. IV pro instruct. Armen. col.* 440 *t.* 9 *coll.* Hard. Constat inter omnes, pedum ac renum unctiones necessarias non esse ad vim sacramenti; verum inter theologos quæritur, num reliquæ quinque unctiones omnes necessario requirantur, ut integrum sacramentum sit. Plerique sic statuunt, valere hoc sacramentum collatum per unicam unctionem, prolata tamen formula universali, quæ sensus omnes complectatur; quod tamen facere non licet, nisi id summa necessitas postulet. Late ea de re agit Bened. XIV *de syn. diœc. lib.* 8 *cap.* 3.

(4) Vide Arcudium *lib.* 5 *cap.* 7.

§. XCI. Formam comprehendunt preces, quas sacerdos fundit, cum ægrotum ungit: *Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus etc.* (1). Et quoniam Jacobus apostolus non designavit verba, quibus sacerdotem ungentem uti oportet, hinc ecclesiæ variis orationibus et formulis, iisque conceptis verbis tum precantibus, tum directis usæ sunt (2). Synodus Tridentina precativam formulam proposuit; sed cum non expresse rejecerit indicativam, hinc factum videtur, ut etiam post synodum aliquæ ecclesiæ eam formulam retinuerint (3). Nunc omnes Latini deprecativa formula utuntur; forma Græcorum non iisdem est concepta verbis, sed tamen eodem redit ac similiter deprecativa est (4).

(1) Conc. Trid. *sess.* 14 *cap.* 1 *de extrem. unct.*

(2) Albertus M. *in IV dist.* 23 *art.* 4, plures vetustos, Germaniæ rituales libros se legisse testatur, qui indicativam formam describunt, eamque disciplinam ab ipsis Gregorianam appellari dicit. Sacramentale Venetum a Leone X, ut fertur, approbatum

indicativam habet formam, quod Arcudius refert *lib.* 5 *cap.* 5. Plures etiam describit Morinus *de Sacram. pœn. lib.* 8 *cap.* 16, aliarum ecclesiarum formas, quæ conceptæ sunt verbis aut indicativis, aut precibus intermixtis. Vide Menardum *in not. ad sacram. S. Greg. not.* 923 *col.* 537 *et seq. tom.* 3 *opp. S. Greg. ed. Paris.* 1705, et Martenium *de antiq. eccl. rit. lib.* 1 *cap.* 7 *art.* 3 §. 4 *tom.* 1 *pag.* 301 *ed. cit.*

(3) Confer Bened. XIV *de synod. diœc. lib.* 8 *cap.* 2, ubi quæritur, num propter formam directis verbis prolatam sacramentum valeat.

(4) Vide Arcudium *loc. cit.*

§. XCII. Minister hujus sacramenti jure divino est episcopus, aut sacerdos, quoniam uterque *presbyter* est, quem Jacobus memorat (1). Et quoniam Jacobus plurali numero *presbyteros* nominat, plures olim sacerdotes apud Latinos vocari solebant (2), uti nunc etiam plures a Græcis vocantur (3), ad hoc sacramentum administrandum. Sed jamdiu in occidentali ecclesia universa tantum sacerdos unus adhibetur, atque eum solum recte ægrotum inungere certo jure cautum est (4). Non enim pluralis numerus, quem Jacobus expressit, divinum aliquod præceptum continet; cum præsertim in sacris libris sæpe pluralis numerus singularis vicem obtineat (5).

(1) Conc. Trid. *cit. sess.* 14 *cap.* 3; Innoc. I *cit. ep. ad. Decent. Eugubin. cap.* 8; quem in locum vide Petr. Coustant. *in not. col.* 863, ubi omnem evellit scrupulum, quem forte alia ipsius Innoc. verba de ministro extremæ unctionis injicere videntur posse.

(2) Id multis collectis monumentis ostendunt Menardus *in Sacram. S. Greg. not.* 909 *col.* 534 *loc. cit.*, et Martenius *loc. cit.* §. 3. Quæ disciplina adhuc in Galliis vigebat sæc. XII, uti patet ex constitutionibus Odonis episcopi Parisiensis apud Hard. *Coll. conc. tom.* 6 *par.* 2 *col.* 1941; imo vero eam deinceps etiam consequenti ætate obtinuisse, demonstrant synodalia statuta ecclesiarum Æduensis, Cadurcensis, Ruthenensis et Tutelensis, apud Martenium *cap.* 17 *tom.* 4 *Anecdot.* Recte tamen animadvertit ipse Martenius, illam latinæ ecclesiæ consuetudinem non

ita firmam atque constantem fuisse, ut non interdum ab uno tantum sacerdote ægrotus ungeretur. Nam Artemium febre correptum ab unico *S. Nepotiano visitatum, atque oleo sancto perunctum* narrat S. Greg. Turon. *lib.* 1 *Hist. cap.* 41 *pag.* 51 *ed. Ruinarti Paris.* 1699, atque etiam S. Eugendum *ab uno de fratribus* inunctum legimus in *ejus vita* apud Bolland. 1 *Jan.*

(3) Adhibent autem Græci sacerdotes septem, uti patet ex eorum euchologio, atque testantur Simeon Thessalonic., apud Sambovium *de Sacram. extr. unct. disp.* 6 *art.* 2, et Arcudius *lib.* 5 *cap.* 3.

(4) *Cap. Quæsivit. de verb. signif.*

(5) Confer S. Aug. *de cons. Evang. lib.* 3 *c.* 16 *tom.* 3 *pag.* 2 *col.* 128 *ed. Ven.* 1730, et S. Th. *lib.* 4 *Contr. gent. cap.* 73.

§. XCIII. A quovis presbytero collatum hoc sacramentum valet; sed tamen soli parocho illud conferre licet, qui ordinarius ejus minister est, aut ei, cui suam parochus jurisdictionem commisit (1). Quod si mors instet, ac parochus præsens esse non possit, cuivis sacerdoti licet jamjam moriturum inungere (2).

(1) Catech. Rom. *par.* 2 *c.* 6 §. 13. Hinc in *Clem.* 1 *Privil.* vetatur sine parochi venia hoc sacramentum administrare, ac si religiosus sit, excommunicationis pœna plectitur.

(2) Consule S. Carolum Borr. *in conc. Mediolan V. par.* 1 *act. Mediol. par.* 1 *pag.* 190 *ed. Patav.* 1754.

§. XCIV. Datur hoc sacramentum infirmis *de quorum morte timetur* (1); sive mortis periculum proxime immineat, sive absit longius; modo ea sit vis morbi ut in gravi vitæ discrimine versari videantur (2). Decet autem ægrotum ungere, cum integris adhuc sensibus utitur, non cum omnino fractis viribus ac omni spe salutis amissa, vita carere incipit. Nam ita salus corporis facilius restituitur, atque ita infirmus integra adhuc mente et ratione valens, fidem ac religiosam animi voluntatem afferre, ac sacramenti gratiam percipere uberiorem potest (3). Pueri, qui nulla admiserunt peccata, quorum reliquias hoc sacramentum de-

leat, sacro oleo non unguntur; similiter et amentes, nisi interdum rationis usum habuerint, atque eo potissimum tempore suscipiendi sacramenti voluntatem significaverint (4).

(1) Eug. IV *in Decret.* apud Hard. *coll. tom.* 9 *col.* 440.

(2) Conc. Trid. *sess.* 14 *de extr. unct. cap.* 3; Catech. Rom. *cit. cap.* 6 §. 9.

(3) Catech. Rom. *par.* 2 *de Sacram. extr. unct. num.* 9; S. Carolus. Borr. *conc. Prov. I et III actor. eccles. Mediolan. par.* 1 *pag.* 11 *et* 79 *ed. cit.* Circa sæc. XIII loca quædam occidentalis ecclesiæ mos perversus invasit differendi hoc sacramentum ad extremum vitæ tempus; quem morem induxit falsa opinio, quod eo sumpto non amplius liceret uxorem cognoscere, et carnes comedere ac condere testamentum. Falsam hanc opinonem evellere curarunt synodi ea ætate habitæ, præsertim Wigorniensis *cap.* 19 *col.* 337 *tom.* 7, et Exoniensis *cap.* 6 *col.* 1081 *tom.* 7 *coll.* Hard. Consule Thiers *de Superstit. cap.* 7 *tom.* 2; Mabillon *Præf. in sæc.* 1 *Bened. num.* 100 *pag.* 38 *ed. Venet.* 1733.

(4) Vide Catechismum Romanum *loc. mox. indic.*

§. XCV. Græci non eos tantum ungunt, qui corpore, sed etiam qui mente ægrotant, quales sunt peccatores, qui edita peccatorum confessione pœnitentiam agunt (1). Nam apud eos feria V in cœna Domini, postquam episcopus infirmorum oleum solemni ritu consecravit, non illud servari jubet, ut suo tempore ad ægrotos deferatur, sed totum insumit inungendo illos, qui præsentes sunt. Verum hæc græcorum unctio sacra tantum cæremonia, non verum sacramentum est (2).

(1) Confer Allatium *de consens. eccl. occid. et orient. lib.* 9 *cap.* 16; Goarium *in not. ad eucholog. græcor. pag.* 432 *et seq. ed. Paris.* 1647; Arcudium *concord. lib.* 5 *cap.* 4 *et ult.* Quam græcorum consuetudinem tolerandam statuit Innoc. IV *epist.* 10 *ad Ottonem. card. Tusculan.* apud Labb. *tom* 14 *concil. col.* 17 *ed. Venet.*

(2) Confer Ben. XIV *de syn. diœc. lib.* 8 *cap.* 5 *num.* 4 *et seq.*, qui graviter et copiose ea de re disputat adversus Arcudium, Juenin., Sambovium.

§. XCVI. Sacramentum extremæ unctionis in veteri disciplina cum pœnitentia, ut plurimum, conjungebatur, ut per utrumque sacramentum omnes eluerentur animæ sordes ac plane expiatus homo Eucharistiam acciperet (1). Desiit jamdudum hæc disciplina, et nunc post acceptum viaticum ægrotus inungitur (2). Toties autem sacra unctio repetitur, quoties aliquis incidit in morbum, a quo in vitæ discrimen adducitur (3); verum in uno eodemque morbo, cum æger in eodem vitæ periculo versatur, semel tantum ungendus est (4).

(1) Hæc quidem disciplina antiquitus generatim obtinebat, ut ægrotis primum Extrema Unctio, deinceps Eucharistia tribueretur, quod late ostendunt Hugo Menardus *in Sacram. S. Greg. not.* 915 *col.* 556 *opp. S. Greg. t.* 3 *ed. cit.;* Mabillon *præf. ad sæc.* 1 *Bened. num.* 98 *p.* 37 *ed. cit.;* Pouget. *instit. cathol. tom.* 2 *par.* 3 *sect.* 1 *cap.* 6 §. 4. Verum contraria consuetudo alicubi obtinuit, neque unquam aliquis hanc consuetudinem improbare ausus est, quasi Extrema Unctio ante Eucharistiam omnino danda videretur. Sane Cæsarius Arelat. *Serm.* 265 *in app. opp. S. Aug. tom.* 5 *par.* 2 *col.* 437 *ed. cit.* Eucharistiam ante Extremam Unctionem ægroto concedi jubet, « Quoties, inquit, aliqua infirmitas supervenerit, corpus et sanguinem Christi ille qui ægrotat accipiat: et inde corpusculum suum unguat; » idemque habet *Serm.* 279 *col.* 465. Concinit id, quod scriptum est *in vita S. Eligii episc. Noviomensis lib.* 2 *cap.* 2 *Spicileg. Acherii pag.* 79 *ed. Paris.* 1723, quodque ipse tradit Eligius *de rectitud. catholic. conversat. num.* 6 *in app. opp. S. Aug. tom.* 6 *col.* 268 *ind. edit.*, ac præterea consentiunt Isaac Lingonensis episc. *in Capitul. tit.* 1 *cap.* 23, apud Hard. *coll. tom.* 5 *col.* 425 *ed. Paris.;* Herardus Turonensis archiep. *in Capitulis num.* 21, apud Labb. *tom.* 10 *conc. col.* 62 *ed. Ven.;* Prudentius Trecensis episc. *in Serm. de vit. et morte S. Mauræ* apud Camusatium *in Prompt. antiquit. Tricassic. diœces. pag.* 47 *ed. Augustæ* 1610. Idem videri potest in vita B. Roberti de Arbrisello *num.* 2 *et* 28, apud Bollandum 23 *Febr. cap.* 5 *pag.* 613 *edit. Antv.* 1658, in vetusto Pontificali Florentino apud Mabillon. *Itiner. Ital. p.* 164, et in antiquo libro rituali Eugubino, quem vidit CL. Card. Garampius, quemque ipse memorat in libro *Memorie della B. Chiara di Rimini diss.* 5 *pag.* 187 *in not. lib.* 6.

Ex quibus intelligimus, neque novam esse, neque minus probandam videri posse disciplinam, quæ viget quæque justissimas habet causas, dandi ægrotis extremam unctionem, posteaquam Eucharistiam acceperunt.

(2) Rituale Rom. *tit. de extrem. unct.*

(3) Conc. Trid. *cit. sess. 14 cap. 3 de extr. unct.;* Catech. Rom. *par. 2 cap. 6* §. 11; S. Th. *in Suppl. q. 33 art. 1.*

(4) Consule Ben. XIV *de syn. diœc. lib. 8 cap. 8*, qui late ea de re agit, atque etiam refert falsam opinionem illorum, qui hoc sacramentum aut nunquam, aut tantum post certum tempus iterari posse putabant, et illorum etiam, qui illud in eadem ægrotatione eodemque vitæ periculo repetebant.

SECTIO VI.

De Ordine.

XCVII. Quid Ordo et quot Ordines sunt.

XCVIII et XCIX. Materia et Forma Ordinis
C. Minister et subjectum Ordinis.

§. XCVII.

Ordo sacramentum est, quo solemni inauguratione spiritualis potestas ad sacra obeunda munera confertur. Proprie ipsa potestas data ordo est; sacra autem cæremonia, per quam illa datur, ordinatio dicitur. Ordines sunt numero septem, ostiariatus, lectoratus, exorcistatus, acolythatus, subdiaconatus, diaconatus, presbyteratus; atque horum priores quatuor *minores*, posteriores tres *majores* appellantur (1). Presbyteratum seu sacerdotium, et ordinem et sacramentum esse certum est: verum non constat inter theologos, num episcopatus ac diaconatus sacramenta sint a sacerdotio re ipsa distincta; et num ostiariatus, lectoratus, exor-

cistatus, acolythatus, itemque subdiaconatus ordines tantum sint, an etiam sacramenta (2).

(1) Conc. Trid. *sess.* 23 *de Sacram. ordin. cap.* 2; Catech. Rom. *par.* 2 *cap.* 7 §. 12.

(2) Late ea de re disputant theologi et canonistæ, quos omnes referre longum esset. Satis erit indicare Ben. XIV *de syn. diœc. l.* 8 *cap.* 9, et Rob. Salam *in not. ad card. Bonam rer. liturg. lib.* 1 *cap.* 25 §. 17 *not.* 1 *tom.* 2 *pag.* 365 *ed. Taurin.* 1749. De simplici tonsura quæstio est inter theologos et canonistas, num ea ordo sit, uti animadvertimus *lib.* 1 *tit.* 2 *sect.* 2 §. 34 *pag.* 135.

§. XCVIII. De materia, et forma ordinis Eugenius IV (1) habet hæc: *Materia est illud, per cujus traditionem confertur ordo, sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenæ cum pane porrectionem: Diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem: Subdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem; et similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem.* Tum pergit Eugenius, *ac forma,* inquit, *sacerdotii talis est; accipe potestatem offerendi sacrificium pro vivis et mortuis, in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti, et sic de aliorum ordinum formis; prout in Pontificali Romano late continetur.* Locus hic Eugenii caput et radix est controversiarum, quæ inter homines doctos de ordinis forma et materia sunt.

(1) *In decreto conc. Flor. col.* 440 *t.* 9 *coll.* Hard.

§. XCIX. Nam plurimi sunt præstantes ingenio et doctrina viri, qui trium majorum ordinum, quos hierarchicos dicimus, episcopatus videlicet, presbyteratus, diaconatus, materiam faciunt manuum impositionem (1), formam orationem, quam episcopus manus imponens recitat. Et certe hanc græci mate-

riam, et hanc formam agnoscunt; neque unquam de vi harum ordinationum latina ecclesia dubitavit. Accedit, quod illa instrumentorum traditio recentioris disciplinæ est; quoniam apostolos atque antiquos ecclesiæ Patres per manuum impositionem majores illos ordines contulisse, memoriæ proditum est. Eugenius autem, cum illam memoravit instrumentorum traditionem, verbaque illa descripsit, non ordinis materiam et formam definivit, unde vis sacramenti penderet; sed tantum proposuit Romanæ ecclesiæ ritum, quem manuum impositioni Armenos adjungere optabat, ut ita cum ecclesia Romana communes haberent ritus atque ad eam firmius adhærescerent. Omnis hæc disputatio propria theologorum est (2).

(1) Ceteros tamen ordines diaconatu inferiores per solam instrumentorum traditionem conferri, inter omnes constat.

(2) Sunt et alii, qui tertiam sequuntur sententiam, ponentes ordinis materiam in utroque ritu, scilicet in illa instrumentorum traditione, atque in manuum impositione. Totam hanc quæstionem, præter ceteros, graviter et copiose pertractat Ben. XIV *de syn. diœc. lib.* 8 *c.* 10.

§. C. Episcopus ordinarius est minister hujus sacramenti; extra ordinem, et cum venia summi Pontificis, etiam presbyteri subdiaconatum ceterosque inferiores ordines conferre possunt (1). Ordinationes factæ ab episcopo excommunicato, schismatico, hæretico valent, modo cum legitima potestate, debitoque ritu, materia, forma, intentione perficiantur (2). Soli mares ordines suscipere possunt, non item fœminæ, quas *turpe est in ecclesia loqui ac docere* (3). Cetera, quæ ad hoc sacramentum pertinent, superiori libro explicavimus.

(1) Confer ea, quæ diximus *l.* 1 *tit.* 5 *sect.* 6 §. 53 *not.* 2 *p.* 202.

(2) Anglicanas ordinationes, ceteris etiam missis, nullas omnino atque irritas esse, facile deprehendet quisquis ad solam

advertat formam, quæ secundum Eduardi VI rituale jam usurpatur. Nam ea Christi Domini institutioni et apostolicæ traditioni adversatur, apertasque hæreses complectitur. Hinc merito Romana ecclesia ceterarum mater et magistra sancivit, ut, quoties minister aliquis Anglus ad Catholicam ecclesiam redeat, si dignus sit, qui in clerum cooptetur, tamquam merus laicus omnes ordines suscipere debeat secundum ritualis Rom. leges.

(3) *I ad Cor. XIV v.* 34, *et I ad Tim. II v.* 12.

SECTIO VII.

De Matrimonio.

CI. Matrimonium novæ legis sacramentum.
CII. Ejus definitio.
CIII. Materia. Contractus christianis unus et idem ac sacramentum.
CIV. Forma et minister Matrimonii.
CV. Consensus in matrimonio necessarius et quomodo declaretur.
CVI. Matrimonium legitimum ratum, consummatum.
CVII. Verum, præsumptum, putativum.
CVIII. Matrimonium conscientiæ.

§. CI.

Matrimonium etiam novæ legis sacramentum est (1). Cum enim christianus homo christianæ mulieri rite et recte nubit, utrumque divina virtute donari voluit Christus Dominus, ad perpetuam unius vitæ societatem retinendam, atque ad filios instituendos sapienter, educatione doctrinaque christiana. Recte ab apostolo (2) matrimonium dicitur *honorabile connubium;* quoniam in baptizatis signum est conjunctionis Christi cum ecclesia, *propter quam Dominus Patrem suum Deum reliquit, et venit ad terras, sicut de homine dictum est: relinquet homo patrem suum et matrem et adhærebit uxori suæ.* Matrimonii nomine intelligitur

tum ipse contractus inter virum ac mulierem initus, tum vinculum, quod ex contractu oritur et quod solvi non potest (4).

(1) Conc. Trid. *sess.* 24 *can.* 1 *de Sacram. matrim.*
(2) *Epist. ad Hebr.* XIII *v.* 4.
(3) S. Hier. *in c.* V *v.* 32 *ad Ephes. col.* 660 *tom.* 7 *ed. cit.*
(4) Eug. IV *in decret. pro Armen.* apud Hard. *coll. tom.* 9 *col.* 440. Ita sola vocis explicatione dirimenda est quæstio, quæ a scholasticis de matrimonii essentia proponitur. Hanc autem perpetuam matrimonii firmitatem ex jure divino procedere certum est, idque docent Bonifacius VIII *in cap. unic. de vot. et vot. redempt. in* 6, et conc. Trid. *in decr. de sacr. Matr. sess.* 24.

§. CII. Est autem matrimonium, viri et mulieris maritalis conjunctio inter legitimas personas, quæ individuam continet vitæ consuetudinem. Ex quo intelligitur, quam procul absit a matrimonii ratione conjunctio non maritalis, neque individuam continens vitæ consuetudinem, uti est concubinatus (1), adulterium, stuprum, itemque conjunctio duarum personarum, quas dirimens impedimentum nuptias inire vetat (2). Maritalis autem conjunctio non in corporum præcise, verum in animorum præcipue copulatione consistit (3); et translatio dominii in corpus utriusque conjugis ab usu separari potest (4).

(1) Concubina proprie est mulier, quam quis non mariti animo, sed concubitus tantum causa domi retinet, atque hæc consuetudo, sive concubinatus, individuam non continet vitæ consuetudinem, et procul abest a matrimonio, quod dissolvi non potest. Decet tamen animadvertere, quod concubina interdum dicitur vera uxor, ducta tamen sine dote et nuptiali solemnitate, uti colligitur ex *L.* 144 *ff. de verb. signif.*, *L.* 32 *ff. de donat. et novell.* 18, eaque a vera uxore tantum dignitate differebat, quia scilicet concubina, etsi vera esset uxor, non transibat in familiam mariti, neque, uti uxor legitima, ejus jurium, privilegiorum, honorum particeps fiebat, quod ostendunt Merillus *Obs. lib.* 3 *cap.* 16; Ant. Augustinus *de emend. Gratian. lib.* 1 *dialog.* 15 *tom.* 3 *pag.* 80 *ed. Lucæ;* Du Cange *in Glossar.*

verb. Dos. De his concubinis, quas a pellicibus sedulo distinguere oportet, loquuntur antiqui canones, qui concubinas ad baptismum, et concubinarios ad communionem admittunt: et has porro spectant auctor *Const. Apost. lib.* 8 *cap.* 32, apud Coteler. *PP. apost. pag.* 417 *tom.* 1 *ed. Amstel.* 1724; Patres conc. Tolet. I, et Isidorus apud Gratian. *can.* 4 *et* 5 *dist.* 34. Ad hoc sane concubinatus genus non adverterunt Espenius et ceteri, qui Gratianum reprehendunt, quod Toletanum illum canonem in decreto descripserit. Occurrit et mentio concubinarum, quas viri accipiebant non solum sine tabulis nuptialibus, sed etiam cum vinculo, quod solveretur; et cum his quidem viri individuam servabant vitæ consuetudinem, sed eas tamen suo libitu dimittebant. Genus hoc concubinatus non infrequens olim fuit, neque deerant qui licere putarent unam sibi fœminam jungere, quam a se abjicerent suo arbitratu; sed ecclesia semper hujusmodi conjunctiones extra matrimonium improbavit. De concubinatus discrimine late agunt Ben. XIV *de synod. diœces. lib.* 9 *cap.* 12, et Card. Blaschus *in ep. de interpr. can. Fraternitatis dist.* 34 *inter ejus opuscula Neap. ed. an.* 1758 *p.* 1 *et seq.*

(2) Consule Catechismum Rom. *par.* 2 *cap.* 8 §. 3.

(3) Vide S. Aug. *serm.* 51 *cap.* 13 *col.* 259 *tom.* 5 *edit. cit.*, et S. Ambr. *de Inst. virgin. cap.* 5 *et* 6 *tom.* 3 *col.* 318 *et seq. edit. Venet.* 1751. Unde illud apud Patres et in canonibus frequenter occurrit: non concubinatu, sed consensu matrimonium existere.

(4) Hinc verum matrimonium fuit inter B. V. et S. Josephum, quamquam immaculata semper Virgo ad perpetuo servandam virginitatem sese voto obstrinxisset. B. V., ut inquit S. Th. *in* 4 *dist.* 3 *q.* 2 *art.* 1 *ad.* 2, antequam cum S. Josepho matrimonium contraheret, divinitus intellexit, « Quod Joseph in simili ¡proposito erat, et ideo non se commisit periculo nubens, nec tamen propter hoc aliquid veritati deperiit, quia illud propositum non fuit conditionaliter in consensu appositum; talis enim conditio cum sit contra matrimonii bonum, scilicet prolem procreandam, matrimonium tolleret. » Ceterum quod dixi translationem dominii in corpus utriusque conjugis ab usu secerni posse, id ita est intelligendum, ut uterque in alterius corpus dominium habeat, quamquam nihil referat, quod eo jure non utatur. Si enim cum initur matrimonium, expresso pacto caveatur, uti neque vir in corpus mulieris, neque vicissim mulier in viri corpus dominium habeat, hoc pactum irritum matrimonium facit, quoniam ejus bono adversatur. Consule Bened. XIV *de synod. diœc. lib.* 13 *c.* 22 *num.* 10 *et seq.*

§. CIII. Materia sacramenti matrimonii est contractus, per quem vir et fœmina suam obstringunt fidem ac perpetuam coeunt vitæ societatem. Hunc contractum Christus Dominus in lege Gratiæ ad sacramenti extulit dignitatem, ita ut quisquis inter ecclesiæ filios cooptatus, rite et recte hunc contractum perficit, sacramentum suscipiat. Neque enim fieri potest, ut in hac lege contractus a sacramento distinguatur, ita ut hæc duo diversa et dissimilia sint. Ille idem contractus, in quo Christus in prima institutione mysticum impressit signum copulationis suæ cum ecclesia, in Lege nova sacramentum esse voluit; idemque hic contractus, cui dignitas accessit et gratia sacramenti, ab eodem Christo revocatus est ad primam institutionem suam, quæ fuit ut dissolvi non posset (1). Sic matrimonium, quod in lege naturæ tantum contractus erat naturalis, post institutas societates, atque illud earum legibus approbatum, civilis etiam contractus evasit, et sic factum quoque sacramentum, postquam illi Christus Dominus in Lege nova sacramenti gratiam et dignitatem adjunxit. Unus et idem semper est contractus, qui initio fuit, neque novæ accessiones ejus naturam pervertere potuerunt, ita ut in tres scinderetur, atque alius et distinctus Christianis esset contractus juris naturalis, alius juris civilis, alius juris evangelici.

(1) Nemo ignorat ex prima sui institutione eam esse matrimonii naturam, ut solvi non possit, quod apertissime docet Christus apud Matth. *XIX v. 4 et seqq.*, ubi Hebræis repudii libellum a Moyse permissum objicientibus respondit, id a Moyse factum *ad duritiam cordis* eorum, *ab initio autem non fuisse sic*, ideoque hoc libello abrogato, ad pristinam sui naturam, solvi nesciam, matrimonium revocavit. Vide etiam Matth. *V v.* 32; Marc. *XV v.* 11; Luc. *XVI v.* 18; *I ad Cor. VII v.* 10. Paucis, uti institutionum modus patiebatur, attigi hoc argumentum, quod si longiorem vitam dederit Deus, latius persequar *lib. 4 Juris. can. univ. publici et privati.* Videndus interim est egregius liber card. Gerdilii cui titulus : *Trattato del Matrimonio.*

§. CIV. De forma vero et ministro magna disputatio est. Sunt enim qui sacerdotem benedicentem nuptiis ministrum, sacerdotalem benedictionem sacramenti formam esse arbitrantur. Sed plerique sacramenti ministros ipsos contrahentes faciunt, formam in verbis aut signis, quæ consensum declarant, positam esse sentiunt (1).

(1) Theologorum de his rebus sententias, quæ variæ sunt, enumerat atque expendit Ben. XIV *de syn. diœc. lib.* 8 *cap.* 13. Vide etiam eadem de re Car. Blaschum *Diatrib.* 5 *pag.* 231, ubi de forma sacramenti matrimonii late disputatur.

§. CV. Matrimonium mutuo consensu contrahitur, quoniam societas est, neque sine consensu jungi societates possunt. Hic vero consensus tum verbis, tum signis ostenditur; ac debet respicere tempus præsens, quoniam in futurum collatus matrimonium non conjungit, sed spondet (1); editurque vel verbis, vel signis certam voluntatem declarantibus; quin etiam vicaria alterius opera uti quis potest; modo ad id speciale mandatum detur, procuratur commissum sibi munus per se gerat, et mandans, cum matrimonium contrahitur, in consensu perseveret (2).

(1) Vide Catech. Roman. *par.* 2 *cap.* 8 §. 6.
(2) *C. ult. de Procurat. in* 6.

§. CVI. Dividitur matrimonium in legitimum, ratum et consummatum. Legitimum secundum gentium leges contrahitur cum solo naturali consensu, caret ecclesiæ auctoritate, ac sacramenti dignitate; et hujusmodi sunt matrimonia infidelium Ratum est, quod contrahunt fideles ex regulis christianæ religionis; et est quidem ratum, donec conjugum corpora commixta non sunt; cum hæc accessit maritalis conjunctio, matrimonium consummatum efficitur, ac significat conjunctionem Christi cum ecclesia, cujus conjunctionis

causa perfectum et consummatum dicitur. Nam propter sacramentum, quod gratiam confert, itemque ob civile negotium, etiam ratum perfectum consetur.

§. CVI. Est item matrimonium verum, præsumptum, putativum. Verum dicitur, quod rite et recte contractum est inter virum et mulierem, quorum uterque ad nuptialem consociationem aptus et idoneus est. Præsumptum educebatur olim ex juris præsumptione: puta si post consensum de futuro ineundo conjugio vir cum muliere concubuisset (1). Sed jure novo concilii Trid. nullum hoc matrimonium est (2). Putativum vocamus, quod re quidem est irritum ob latens impedimentum, sed specie valet; quia coram ecclesia contractum est, et impedimentum vel uterque, vel alter conjugum ignoravit. Filii ex hoc matrimonio suscepti legitimi habentur (3), et dos suis gaudet privilegiis.

(1) *Cap.* 15 *et* 30 *de Spons. et Matr.* 3 *et* 6 *de Cond. appos. in despons.* At inanis conatus ad copulam præsumptum matrimonium non efficiebat *cap.* 32 *ult. de Sponsal.*
(2) Conc. Trid. *sess.* 24 *cap.* 3 *de reform. matrim.*
(3) *Cap.* 11 *Qui fil. sint legit.*

§. CVIII. Nec prætereundum matrimonium conscientiæ, quod coram ecclesia contrahitur, ea lege, ut semper occultum maneat. Matrimonium hoc, ut cetera christianorum matrimonia palam ac rite inita, verum est sacramentum (1), et conjungitur coram parocho, ac duobus testibus, qui omnes arcani silentii lege obstringuntur (2); sed a reliquis differt, quia contrahitur omissis tribus denuntiationibus (3), neque contractum describitur in libro, quo parochus omnium matrimonia describit (4). Non omnes inire suo lubitu possunt hoc matrimonium quod, cum occultum sit, gravia mala importare potest, sed ab episcopo ex justa gravique causa permittitur (5). Hujus simile

est matrimonium *ad Morganaticam* (6), quod in Germania præsertim contrahunt viri nobiles, cum post obitum nobilis mulieris, quam pridem uxorem habebant, ac genitos ex ea filios, aliam ducunt humili loco natam. Uxor hæc, atque ex ea suscepti liberi, a viri ac patris dignitate excluduntur: quod in matrimonio conscientiæ secus est (7).

(1) Hertius, Willembergius aliique protestantes ita explicant hujus matrimonii naturam, ut vix illud a concubinatu distinguatur. Sed certum est inter catholicos verum esse ac legitimum matrimonium, et ideo sacramenti rationem habere. Videndæ autem in primis sunt encyclicæ litteræ *Satis vobis* Bened. XIV *in bullar. tom.* 1 *num.* 35 *pag.* 54 *ed. cit.*, in quibus omnia, quæ ad hoc matrimonium pertinent, accurate explicantur, quæque regulam præbent apostolicæ pœnitentiariæ, cum de his matrimoniis agitur, uti patet ex ipsius Ben. XIV *const.* 95 §. 39 *p.* 198.

(2) Late ea de re disputat Fr. Mazzeus in Rom. Curia advocatus, qui *de matrim. conscien.* singularem librum Romæ edidit *an.* 1765 *cap.* 9.

(3) Facultatem solvendi aliquem lege proclamationum totam episcopi arbitrio commisit synod. Trid. *sess.* 24 *cap.* 1 *de ref. matrim.* De harum proclamationum origine paulo post dicam.

(4) Synodus Trid. *loc. cit.* « Habeat, inquit, parochus librum, in qua conjugum et testium nomina, diemque et locum contracti matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat. » Eadem synodus episcopi arbitrio non committit hanc legem, ut committit proclamationes; sed cum hodie episcopus, secundum encyclicas litteras Bened. XIV, permittere possit matrimonium conscientiæ, dubitandi locus esse non potest, quin etiam cum ejus venia hujus matrimonii descriptio in ordinario matrimoniorum libro omitti possit.

(5) Ben. XIV in laudatis encyclicis mala commemorat, quæ ex occulto matrimonio oriri solent, ideoque statuit, illud non esse permittendum *sine causa gravi, urgenti et urgentissima.* Unam ipse expressit causam, si videlicet vir et mulier in occulto concubinatu vivant, neque ulla apud homines hujus criminis suspicio sit. Tunc enim permittendum est matrimonium conscientiæ; sed recte addidit ipse Pontifex « Hanc praxim vobis duximus proponendam; non quia dispensatio præmisso casui solum congruat, cum alii similes et fortasse urgentiores esse possint, in quibus dispensare expediat; sed quia vestri pastoralis officii

partes versari debent in sedulo investiganda legitima et urgenti causa dispensationis, ne matrimonia occulte celebrata luctuosos habeant exitus, quos intimo cordis mœrore recensuimus. »

(6) De origine matrimonii *ad Morganaticam* deque hujus vocabuli significatione late disputant Heineccius *elem. jur. Germ. lib.* 1 *tit.* 15 *per tot.*, et Henricus Coccejus *de Leg. morganat. sect.* 2 §. 7, quorum alter ex lege Salica, et alter moribus hoc matrimonium obtinuisse putat. Ita autem describitur *in lib.* 2 *Feud. tit.* 29, « Quidam habens filium ex nobili conjuge, post mortem ejus non valens continere, aliam minus nobilem duxit, qui nolens existere in peccato eam desponsavit, ea lege, ut nec ipsa nec filii ejus amplius habeant de bonis patris, quam dixerit tempore sponsaliorum: verbi gratia decem libras, vel quantum voluerit dare quando eam desponsavit, quod Mediolanenses dicunt accipere uxorem ad morganaticam, alibi lege Salica; hic filiis ex ea susceptis decessit. Isti in proprietatem non succedunt aliis exstantibus; sed nec in feuda, etiam aliis non existentibus, qui licet legitimi sint, tamen in beneficio minime succedunt. In proprietate vero succedunt patri, prioribus non existentibus: succedunt etiam fratribus sine legitima prole decedentibus, secundum usum Mediolanensium. » Quo ex loco facile intelligitur, quæ hujus matrimonii natura sit, et quibus legibus regatur. Est autem *Morgengabe*, unde ductum est vocabulum *ad morganaticam*, donum matutinum, quod a viro uxori datur post concubitum, cum adhuc nuptiarum solemnia peraguntur. Ac illud quidem erat voluntarium, magis scilicet lautum magisque tenue, pro cujusque amore et charitate in uxorem; et in lege Longobardorum *l.* 2 *tit.* 1 *c.* 8. gratuita donatio dicitur, *per gratuitam donationem, id est morgengabe.* Sed cum quorumdam, quos mulieris illecebræ deliniebant, ea in re dissolutior esset liberalitas, rex Longobardorum Luitprandus anno quinto regni sui legem tulit, qua sancivit, ut nemo propter *Morgengabe* uxori daret ultra quartam partem bonorum suorum *L.* 2 *Leg. Longobard. tit.* 4 *cap.* 1. Hinc Papias in suo vocabulario inquit: *Morgengabe, id est quarta pars in lege Longobardorum.* Multa de hoc *Morgengabe* antiqua monumenta afferuntur a Baluzio *in not. ad capitular. reg. Francor. verb. Morgangeba tom.* 2 *col.* 668, *edit. Ven.* 1773. Vide etiam du Cange *Glossar. verb. Morganegiba.*

(7) Pactum præsertim, quo cavetur, ut uxor et liberi certis contenti bonis, quæ data sunt, a viri ac patris hereditate et dignitate arceantur, matrimonium *ad Morganaticam* a conscientiæ matrimonio distinguit.

SECTIO VIII.

De Sponsalibus.

CIX. Sponsalia quid?
CX. Qui ea recte contrahant?
CXI. Consensu sponsalia fiunt.
CXII. Eorum vis et obligatio.
CXIII et CXIV. Quomodo solvantur?

§ CIX.

Quod veteribus in more fuisse scribit Ulpianus (1), *stipulari et spondere sibi uxores futuras*, id etiam a christianis semper fieri consuevit; tum quia comparare se sponsi debent ad gratiam sacramenti, tum quia periculi plena res est sese perpetuo vinculo temere implicare. Itaque ante matrimonium fiunt sponsalia, quæ a *spondendo* dicuntur (2), quæque sunt futurarum nuptiarum facta et vicissim accepta promissio (3). Sponsalium nomine proprie intelligitur consensus in futuras nuptias; sed interdum etiam comprehenditur consensus in præsens matrimonium, quæ sponsalia *de præsenti* appellantur (4).

(1) *L.* 2 *ff. de Spons.*

(2) Confer A. Gellium *noct. Attic. lib.* 4 *cap.* 4 *p.* 181 *ed. Lugd. Batav.* 1666, *et* Brissonium *de Formul. lib.* 6 *form.* 123 *pag.* 518 *ed. Halæ* 1731.

(3) *Cap.* 31 *de Sponsal.*

(4) Sponsalia *de futuro* ac *de præsenti* memorat Greg. IX *in cap.* 31 *de Sponsal.* Sponsalia *de præsenti* rident Hotomanus *disp. de Sponsal. cap.* 7, et A. Matthæus *Manud. ad jus. can. lib.* 2 *tit.* 6. Sed ut rectissime animadvertit Panormitanus *in d. cap.* 31, matrimonium ratum sponsalia *de præsenti* appellare solemus, non propter conjugale vinculum, quod jam colligatum est, sed propter ejus *exequutionem*, quæ corporum conjunctio

est. Hanc sane loquutionem in vulgus probari, ac vulgares loquendi modos ipsis Romanis Jurisconsultis probatos constat. Adde et illud, quod ipsi veteres Romani sponsalia *de præsenti*, qualia canones agnoscunt, haud ignorasse videntur, quod recte tradit Huberus *Obs. jur. lib.* 2 *cap.* 8.

§. CX. Sponsalia consensu perficiuntur, eaque recte contrahunt omnes, qui in futurum matrimonium consentire possunt. Furiosi, amentes, itemque pueri, qui nondum e septennio excesserunt, eadem contrahere vetantur (1); sed majores septem annis, qui suo consensu futuras nuptias probare possunt, recte illa conciliant; modo, si sint filii familias, parentes assentiantur, aut saltem non dissentiant; quæ naturalis est reverentia, qua filios prosequi decet parentes suos (2). Quoniam vero impuberi lubrica ætas, atque incertum et præceps consilium est, ideo potest a sponsalibus resilire, cum pubertas advenit (3). Ipsi quoque parentes pro filiis impuberibus dare possunt futuri matrimonii fidem; at ea filii ipsi non obligantur, nisi expresse aut tacite consenserint, postquam puberes evaserunt (4). Sed et pro filiis puberibus parentes sponsalia contrahere possunt, verum ut ea vim habeant, illorum consensu opus est (5).

(1) *Leg.* 8 *et* 14 *ff. de Sponsal. c.* 13 *de Despon.*

(2) *Leg.* 7 *ff. de Sponsalibus can.* 1 *et* 3 *caus.* 30 *qu.* 5. Ac sponsalia quidem a filiisfamilias inita parentibus insciis vel juste invitis, etiamsi jurata sint, nullius momenti esse, demonstrat Fr. M. Muscettula *diss. de Spons. et Matrim. quæ a filiisfamilias contrahuntur parentibus insciis vel juste invitis, dub.* 4 *num.* 145 *et seq. pag.* 107 *et seq. ed. Rom.* 1766.

(3) *Cap.* 8 *de Desponsat. impuber.*

(4) Vetus disciplina erat, ut parentes pro filiis impuberibus sponsalia contraherent, eaque filii ipsi, cum ad pubertatem pervenerant, servare cogebantur, uti patet ex *cap.* 1 *de Despons. impuber.* Verum hoc jus abrogavit Bonif. VIII in C. *unic. de Despons. impub. in* 6, statuitque, ut his sponsalibus filii non teneantur, nisi ea post pubertatem suo consensu probaverint. Consule Bened. XIV *const. Probe* 54 §. 6 *tom.* 3 *Bullar. pag.* 241 *ed. indic.* (5) *Cit. cap. unic.* §. *ult.*

§. CXI. Confirmantur sponsalia donationibus sponsalitiis (1), aliisque solemnitatibus; imo et adhibentur testes (2), et matrimoniales tabulæ conficiuntur, ut ea jam contracta fuisse constet (3). Sed tota eorum vis posita est in consensu contrahentium, qui modo sit certus, nihil refert nutune quis assentiatur an verbis, sive ore prolatis, sive epistola comprehensis; neque etiam refert per se quis contrahat, an per procuratorem. Quin etiam sponsalia fiunt sub conditione, quæ pendet ab incerto futuro eventu, quæque si honesta et possibilis sit, vim contractus suspendit, donec existat, et si non existit, contractum solvit. Turpes autem atque impossibiles conditiones rejiciuntur, ac firma manent sponsalia; quæ tamen infirmantur, si conditio matrimonii bono adversetur(4).

(1) Munera hæc, quæ *arrhæ et pignora* vocantur, a christianis etiam usurpata memorat *Greg. Turon. de vit. Patr. c.* 20 *pag.* 1252 *edit. Paris.* 1699. Inter munera, quæ in sponsalibus tradebantur, eminebat præsertim annulus, qui a viro fœminæ dabatur ante nuptias. *Tertull. de Cultu fœminar. lib.* 1 *cap.* 3 *p.* 152 *et Apolog. cap.* 3 *pag.* 7 *ed. Paris.* 1675. Hujus annuli usum, quem christiani quoque retinebant, memorant etiam Clem. Alex. *Pædagog. lib.* 3 *cap.* 11 *pag.* 287 *tom.* 1 *ed. Oxonii* 1715. Annulus arrhæ nomine in omnibus sponsionibus a Romanis sæpe adhibebatur, cum darent vel pecuniam vel annulum, ut pignoris loco esset, Plinius *lib.* 33 *cap.* 6 *hist. Natur. t.* 3 *pag.* 16 *ed. Paris.* 1685; *L.* 11 §. 6 *ff. de Act. empt. L. ult. ff. de Leg. commiss.; L.* 3 §. 15 *ff. de instit.* Hinc ad firmandam sponsionem, quæ in sponsalibus fiebat, annulus adhiberi consuevit, quem ferreum ac sine gemma sua ætate fuisse, testatur Plinius *loc. cit.* Sed Tertulliani ætate, uti constat ex ejus *Apolog. cap.* 3 *pag.* 7 *edit. cit.* aureus erat. Antiqui Galli *per solidum et denarium, secundum Legem Salicam,* sponsalia contrahebant, uti patet ex *formula* 3 Bignonii, et ex *formula* 73 Lindebrogii apud Baluzium *capitular. reg. Francor. tom.* 2 *col.* 344 *ed. Venet.* 1773. Nimirum arrha erat et denarius et annulus, ideoque alterutra sponsalia contrahebantur. Sunt qui annuli cæremoniam non ad sponsalia, sed ad ipsas nuptias referendum putant; sed longe aliud ostendunt Greg. Turon. *loc. cit.*, et Nicolaus I *in resp. ad*

consult. Bulgar. cap. 3, apud Hard. *coll. conc. tom.* 5 *col.* 554; Isidorus *offic. eccl. lib.* 2 *cap.* 19 *pag.* 608 *edit. Paris.* 1601, annulum a sponso sponsæ dari inquit, « Vel propter mutuæ fidei signum, vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda jungantur. Unde et quarto digito annulus inde inseritur, quod in eo vena quædam, ut fertur, sanguinis ad cor usque perveniat. »

(2) Quo numero testes in sponsalibus adhiberi solerent, non satis exploratum est; adhibitos tamen fuisse testes decem, colligi potest ex Ambr. *de Laps. virg. cap.* 5 *tom.* 3 *col.* 586 *ed. indic.* Haud tamen necessaria est præsentia testium, ut sponsalia valeant; nam ut inquit Bened. XIV *de synod. diœc. lib.* 12 *cap.* 5 *num.* 1 Conc. Trid. « Nihil innovavit circa sponsalia, eaque reliquit sub dispositione juris communis, juxta quod, etiam remotis arbitris, valide contrahuntur. »

(3) Consule Martenium *de antiq. eccl. rit. lib.* 1 *cap.* 9 *art.* 3 *tom.* 9 *pag.* 124 *ed. Ven.* 1763, et Jac. Gothofredum *in Leg.* 3 *cod. Theodos. de nuptiis, tom.* 1 *pag.* 321 *ed. Lips.* 1736, a quibus omnes sponsalium ritus describuntur. Præter ceteros ritus, etiam osculum et dextrarum conjunctio adhibebatur. Osculi quidem sponsalitii consuetudinem a christianis, apud quos nihil osculo sanctius et usitatius erat, repetendam putant Jac. Gothofredus *in L. cod. Theodos. de sponsal. et ante nupt. donat. t.* 1 *p.* 308 *ed. indic.*, et Mazochius *in adnot. ad Muscettulæ disser. de sponsal. et matrimon. etc. diatrib.* 1 *num.* 8 *et seq. pag.* 227 *et seq. ed. Romæ* 1756. Meminit hujus Tertull. *de Veland. virg. cap.* 11 *pag.* 179 *ed. Paris.* 1675, et meminit Constantinus *in L.* 16 *Cod. de donat. ante nupt.*, quæ ejus constitutio est *Lex* 5 mox indicata Codicis Theodosiani ac refertur in Basilicis *lib.* 28 *tit.* 3 *cap.* 16. Hæc porro sponsalia osculo firmandi consuetudo viguit, et nunc etiam viget in ecclesia græca, uti ex Crutii Turcogræcia colligit Mazochius *loc. cit. not.* 3 *pag.* 235, sed latina ecclesia græcâ severior et austerior, cum sponsalia in grandiorem ætatem differre cœperunt, atque hominum malitia desiit antiqua simplicitas, rituale illud osculum omittendum putavit. Postrema ejus osculi mentio est in Palea *Can. Lex Divinæ cap.* 27 *q.* 2, quisquis tandem sit auctor hujus rescripti, quod vulgo Benedicto tribuitur.

(4) *Cap. ult. de condit. apposit.*

§. CXII. Contracta sponsalia obligationem contrahendi matrimonii pariunt; adeo ut renuens implere fidem, non tantum monendus, sed etiam metu pœnarum atque ecclesiasticis censuris cogendus sit (1).

Verum coactioni atque censuris, in quibus nervus inest ecclesiasticæ potestatis, non ita facile dandus est locus, quoniam tristes habent exitus coacta matrimonia; et ideo vel levis causa procul esse jubet coercitiones, atque ab iis plane abstinendum est, cum adhuc sponsus voluntate obstinata pergit matrimonio resistere (2). Quod si qua gravis causa urgeat, puta si mulier a sponso deflorata sit, ipse omnino ad nuptias cogi debet.

(1) Lucius III *in C.* 17 *de Sponsal.* sponsam *monendam potius, quam cogendam esse* statuit, *cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere.* Contra Alex. III *in cap.* 10 *eod.* sponsum non tantum moneri, sed etiam *ecclesiastica censura compelli* jubet *ut ipsam, nisi rationabilis causa obstiterit, in uxorem recipiat.* Ita componendus videtur uterque locus Juris canonici, ut vel levissima causa faciat soli monitioni locum; contra vero adhibenda sit coercitio, cum eam gravis causa postulat.

(2) Confer Muscettulam *diss. de Spons. et Matrim. etc. dub.* 4 *n.* 134 *pag.* 100 *et seq.* ibique Mazoch. *not.* 34 *p.* 103.

§. CXIII. Solvuntur sponsalia mutuo consensu eorum, a quibus contracta sunt, etiamsi jurata sint; quia sacramentum sequitur naturam actus, cui adjectum est (1). Impuberes vero dissentire non possunt, nisi puberes facti sint, et se corporum conjunctione abstinuerint (2). Quod si alter impubes suam obligavit fidem atque dissentiat, sponsalia dissolvuntur, etiam invito altero, qui ea contraxit, cum jam pubes evaserat (3).

(1) *C.* 25 *de Jurejur.* (2) *C.* 8 *de despons. impub.* (3) *C.* 7 *eod.*

§. CXIV. Sed et solvuntur sponsalia per matrimonium, quod sponsorum alter injuria quidem, sed valide cum alia, aliove contraxit; per sacros susceptos ordines (1), aut emissam in approbata religione professionem (2). Quin etiam interdum unus liberatur,

sed alter adhuc manet obstrictus sponsione sua; si nimirum ipse dolo rem egit, si in longinqua proficiscatur sine alterius consensu (3), si magnam atque constantem post sponsalia pertulit mutationem animi, corporis, fortunarum (4), si fidem fregit, hoc est suum cum alio corpore commiscuit (5). Qua in re canonici juris interpretes virum liberant, etiamsi mulier ante sponsalia ac per vim quoque stuprata sit; verum mulier lege solvitur tantum, si vir post inita sponsalia in fide non stetit.

(1) *Cap. unic. de Vot. in* 6.

(2) Qui ingreditur religionem obligatus manet, donec professionem emittat; sed alterius obligatio per solum illius ingressum tollitur.

(3) *Cap.* 5 *de Sponsal.*

(4) *Cap. ult. de conj. lepros.* Nam in omnibus pactionibus, multo magis sponsal., inesse censetur conditio, *rebus in eod. statu manentibus.*

(5) *Cap.* 25 *de Jurejur.*

SECTIO IX.

De Matrimonii Impedimentis.

CXV. Quæ et qualia sint matrimonii impedimenta?
CXVI. Ea constituere et laxare ecclesiæ est.
CXVII. Matrimonii sacramentum a contractu civili non pendet.
CXVIII ad CXXI. Summo Pontifici, non item episcopis laxandi dirimentia impedimenta potestas est.
CXXII. Impedimentorum dispensatio publica, vel occulta.
CXXIII et CXXIV. Divisio impedimentorum dirimentium.
CXXV. Ætas.
CXXVI et CXXVII. Impotentia.
CXXVIII. Ordo sacer.
CXXIX. Votum solemne.
CXXX. Ligamen.
CXXXI ad CXXXV. Cognatio naturalis.
CXXXVI. Cognatio civilis.
CXXXVII. Cognatio spiritualis.
CXXXVIII. Affinitas.
CXXIX. Publica honestas.
CXL. Crimen.
CXLI. Cultus disparitas.
CXLII. Error.
CXLIII. Ignoratio servilis conditionis.
CXLIV. Vis.
CXLV. Raptus.
CXLVI. Turpis conditio.
CXLVII. Matrimonium clandestinum.

§. XCV.

Dum ineuntur nuptiæ, illud in primis considerandum est, num aliquid interveniat, quo illæ vel prorsus irritæ; vel non laudabiles neque honestæ sint. Quæ irritum matrimonium faciunt, impedimenta dirimentia; quæ minus laudabile et honestum, impedientia appellantur. Impedimenta impedientia vetant, ne nuptiæ contrahantur, sed non tollunt evertuntque contractas; dirimentia vim prorsus adimunt matrimonio, et ideo non tantum contrahendum impediunt, sed etiam contractum dirimunt.

§. CXVI. Impedimentorum constituendorum, et laxandorum jus penes unam ecclesiam est (1) Id ostendit et natura matrimonii, quod cum apud christia-

nos sacramentum sit, civilibus legibus subesse non potest; ac perpetua traditio et consuetudo, quam semper christiani omnes ratam firmam habuerunt (2). Civilibus quidem legibus effici potest, ut qui certas nuptias conciliarunt, potiri non debeant juribus et privilegiis, quibus reliqui cives potiuntur; sed unius ecclesiæ est leges constituere, quæ vim matrimonii respiciunt.

(1) Conc. Trid. *sess.* 24 *can.* 3 *de Sacram. matrim.*, « Si quis inquit, dixerit, eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum et dirimere contractum, nec posse ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant et dirimant, anathema sit. » Idemque habet *can.* 4. Waldenses primum, postea Lutherani et Calviniani, tum Marc. Anton. de Dominis archiep. Spalatensis et apostata, Paulus Sarpius et Joan. Launojus nullam esse putarunt in ecclesiastica hierarchia impedimenta illa constituendi potestatem. Errorem hunc jam prope senescentem ab oblivione hominum atque silentio, non multis abhinc annis vindicare conati sunt Aloysius Litta, Thomas Nestius, Petrus Tamburinius, et quidam alii; qui etiam absurde detorquent Tridentinos canones, quorum supra facta mentio est, ne in illum ipsum incidere videantur errorem, quem synodus contra Lutherum ceterosque hæreticos damnavit. Inquiunt videlicet, canones non esse dogmaticos; Tridentinis Patribus ecclesiæ potestatem esse potestatem non propriam ecclesiæ, sed ei a principibus concessam: denique ecclesiæ nomen Patres ipsos usurpasse, non ut ecclesiasticum ordinem, sed ut sæculares principes significarent. Verum si Tridentina synodus hanc de matrimonio doctrinam non aliquo *de reformatione* titulo, sed comprehendit canonibus, quibus semper catholicum dogma stabilire solet; si initio *sess.* 24, in qua exstant duo illi canones de matrimonii impedimentis, declarat se *anathematizare* etiam eos, qui negant jus esse ecclesiæ constituendorum et laxandorum impedimentorum matrimonii, non nisi obfirmata cavillandi licentia hos canones dogmaticos esse inficiabitur. Quod vero ajunt de prava illa interpretatione vocabuli ecclesiæ, id argumentum est quo nullum illustrius et præclarius esse potest, perditæ ac desperatæ causæ, quam tuentur. Quis enim putat, ecclesiam, quæ omnibus, atque ipsis Tridentinis Patribus semper est Ordo ecclesiasticus, duobus illis canonibus esse potestatem sæcularem;

Patres ipsos, qui cuncta suis propriis germanisque vocabulis explicarunt, studio ac diligentia singulari, eo tantum loco a proposito discessisse pervertisseque vocabuli significationem, ut facerent disputationi locum, et simul integrum relinquerent errorem Lutheri, cujus erant conatus omnes in ecclesiasticam potestatem; principum Oratores, qui concilio intererant curabantque diligenter, ne quid verbis, aut factis eorum potestati detraheretur, permittere voluisse, quod hæc potestas, quæ suo et proprio vocabulo clarissime designari potuisset, comprehenderetur vocabulo, quod tantum violenter detortum ac minus proprie eam significare poterat? *C.* 1 *sess.* 14 *de ref. matrim.* synodus irrita facit clandestina matrimonia, quæ rata firma fuisse dicit, « Quamdiu ea ecclesia irrita non fecit. » Ergo Tridentinis Patribus ecclesia, quæ dirimentia matrimonium impedimenta constituit, est ipsa synodus, hoc est cœtus ecclesiasticus, cujus decreto factum est, ut clandestina matrimonia, quæ pridem *ecclesiæ lege* irrita non erant, alia deinceps *ecclesiæ lege* irrita habeantur et sint. Eodem sensu aliis in locis ecclesiæ vocabulum synodus usurpat ex. gr. *can.* 15 *sess.* 14 *de Pœnit.*, *can.* 12 *sess.* 24 *de Matrim. sess.* 25 *in decret. de Indulg.*, quibus locis omnibus ecclesiæ nomine intelliguntur superiores et pastores, in quibus inest regendi ac pascendi oves auctoritas. Quid? Nova illa a synodo constituta impedimenta, illæ principum oratorum preces, illaque de his impedimentis studia, quæ partim synodi Patres probarunt, partim rejecerunt arbitrio suo, nonne evidenter ostendunt in eo negotio ecclesiæ potestatem? Neque his precibus et officiis rem egissent *delegantes* cum *delegata*; nihil illis ab se postulantibus synodus recusare potuisset; non tuto ac certo statuere *can.* 3 *et* 4, (addita quoque pœna anathematis in eos, qui id negarent) non solum antea *potuisse*, sed etiam in posterum ecclesiam *posse* matrimonii impedimenta constituere; non pari anathematis pœna plectere *can* 12, qui dicerent, « Causas matrimoniales non spectare ad Judices ecclesiasticos, » si in eo negotio ecclesia delegato tantum jure uteretur, non proprio et suo. Denique cum Tridentini Patres impedimenta stabilire dicant *Ecclesiam et Sanctam synodum*, quibus iisdem verbis catholicum dogma constituunt; aut in utroque, aut in neutro potestas delegata ponenda est. Quis autem dicat, synodum œcumenicam in constituendo dogmate potestate delegata indigere? Paucis hæc attigi, quæ multo fusius et uberius explicari possunt, sed ita instituti mei ratio postulabat. Præclare in hoc argumenti genere versatus est Cl. auctor operis editi *Hierapoli anno* 1786, cui titulus : *Defensio Tridentinorum canonum de ecclesiæ potestate*

in dirimentia matrimonium impedimenta adversus Launojum, Tamburinium, Nestium, aliosque recentiores, auctore Petro Deodato Nicopolitano. Confer etiam ejusdem auctoris opus editum an. 1788, cum titulo : *Nuova difesa dei canoni III e IV della Sessione 24 del concilio di Trento scritta da Pietro Diodato,* itemque opus quod exstat *in supplemento diarii ecclesiastici Rom. Mens. Sept. et Oct.* 1791, atque evulgatum est a V. Cl. Aloysio Cuccagnio, cnm titulo : *Del matrimonio christiano, e della Divina immediata potestà della Chiesa di apportare ad esso gl' impedimenti, che si dicono dirimenti;* præterea *les vrais principes sur le mariage, opposés au rapport de Mr. Durand de Maillane par l'Abbé Barruel.*

(2) Id ostendam paulo post, cum de unoquoque impedimento singillatim disseram. Interim, ut mittam cetera ejus rei monumenta, quorum magnus est numerus, quæque a Gerbaisio recensentur, satis est legere duas canonum collectiones, quas VII et VIII sæc. ediderunt Theodorus Cantuariensis et Egbertus Eboracensis, ut pateat, quot jam essent ea ætate matrimonii impedimenta ab ecclesia constituta. Ille enim apud Acherium *Spicileg. t.* 1 *C.* 23, 24, 30, 31, 32, 63, 92, 93, 108, 139, 140, 143, *pag.* 487 *ad* 490 *edit. Paris.* 1723, multa hujusmodi impedimenta describit, et multa item habet Egbertus in collectione. cui titulus *Exceptiones a c.* 128 *ad* 138, apud Spelman. *conc. Britan. tom.* 1 *pag.* 271 *et seq. edit. Lond.* 1639. Vide Juenin *de Sacram. q.* 6 *de Matr. imped. in gen.;* Gerbais *traité du pouvoir de l'église, et des princes sur les empêchemens du mariage,* quo quidem opere *tota parte I* apertissime ostendit, ecclesiam jus proprium habere constituendi impedimenta matrimonii, atque omnium ætatum collectis monumentis, hanc esse demonstrat perpetuam traditionem et consuetudinem, quam etiam sæculares principes sæpissime ratam habuerunt; quamquam *parte* 2, minus vere jus constituendi impedimenta matrimonium dirimentia etiam laicæ potestati adscribere conetur. Vide etiam Launoii sophismata refellentem auctorem operis *de l'autorité des deux puissances cap.* 3 §. 8 *t.* 2, et Jac. Clemens *Traité du pouvoir irréfragable et inébranlable de l'église sur le mariage des catholiques.*

§. CXVII. Neque vero quod in matrimonio inest etiam civilis contractus, exinde effici potest, quod forte civiles leges contractum tollant, matrimonium quoque tollatur; quoniam materia eripitur in qua consistit. Nam sacramenti materia non civilis, sed

naturalis est contractus, qui simul est hinc quidem contractus civilis, illinc vero sacramentum; quoniam ab eo perficitur, qui simul civis et christianus est. Atqui nec contractus civilis a sacramento; nec sacramentum a civili contractu pendet, quæ diversa sunt rerum genera certæ civitatis et christianæ religionis, utrumque per se constans, non alterne necessario nexa inter se; cum sit tamen utrumque singillatim innexum conditioni naturali hominis atque ab hac pendeat. Itaque, sublato etiam civili contractu, integrum tamen est sacramentum, quod ab illo non pendet, et quod suam habet materiam in contractu naturali (1).

(1) Gravis est error illorum, qui cum in matrimonio civilem contractum fieri animadvertant, ita ab hoc contractu sacramentum pendere arbitrantur, ut illo sublato, alterum etiam tolli evertique debeat. Inquiunt enim, in matrimonio inesse et civilem contractum et sacramentum, sed primum contractum existere, postea sacramentum, quod ab illo sumit materiam, in qua consistat. Quemadmodum vero civilibus legibus ceteri contractus subjiciuntur, ita etiam iis subesse contendunt contractum matrimonii; et ideo cum civiles leges contractum perimunt, ipsam tollunt materiam, sine qua sacramentum stare non potest. Verum materia sacramenti matrimonii non civilis, sed ipse est contractus naturalis, qui certe absolvi cœpit, multo ante quam ullæ civiles societates constituerentur. Naturalis hic contractus materiam præbet tum contractui civili, tum sacramento. Cum is contractus ab eo perficitur, qui tantum est civis, ejus matrimonium tantum civilis contractus esse potest; atque ex eo genere sunt conjugia, quæ ab infidelibus contrahuntur. Sed quando nuptias conciliat, qui simul civis et christianus est, matrimonium simul efficitur contractus civilis et sacramentum; quia non primum a cive, deinde a christiano, sed ab uno simul cive et simul christiano contrahitur. Quare utut leges civiles impedimenta constituant adversus civilem contractum, nulla certe possunt constituere adversus sacramentum, neque illo sublato, hoc etiam tollitur, perinde ac non amplius habeat materiam, in qua consistat. Hæc enim est posita in contractu naturali, cui tamquam fundamento utriusque communi et proximo, tum contractus civilis, tum sacramentum incumbit. Certe Christus Dominus, qui suam instituit Ecclesiam ex omnibus gentibus, qui-

bus dissimiles erant mores legesque civiles, omnibus, qui ad hanc Ecclesiam pertinerent, matrimonium sacramentum esse voluit. Itaque ejus materiam constituere debuit, quæ omnibus una et eadem esset, et ideo primam, quæ ante ullas conditas civiles leges fuit, matrimonii institutionem appellavit. Atqui tantum naturalis contractus unus idemque erat omnibus, non civilis, quem aliis legibus Romani, aliis Hebræi, aliis reliquæ gentes perficiebant. Equidem peto ab iis, qui civilem contractum sacramenti materiam faciunt, quorum populorum civiles leges Christus respexerit, ut in iis sacramenti materiam poneret? An Hebræorum, an Romanorum, an reliquarum gentium? Si Hebræorum leges spectavit, negabimus sacramentum fuisse matrimonium ceterorum, qui ex Romanis, aut ex reliquis gentibus ad ecclesiam veniebant; quoniam non iisdem, quibus illi, legibus utebantur. Eadem contra argumentatio redit; si in contractu civili Romanorum, aut reliquarum gentium sacramenti materiam a Christo collocatam dicamus. Adde, quod nullæ tunc erant civiles leges de matrimonio, quæ non Christi legi adversarentur. Hebræorum leges repudium permittebant, leges Romanorum ac gentium reliquarum, et repudii facultatem dabant, et plenæ superstitionum ac vitiorum erant. Quis dicat Christum fecisse sacramenti materiam has leges, a quibus Divina, quæ ab eo ferebatur, Lex abhorrebat? Fecisse præterea materiam vagam et incertam, qualis est contractus civilis, qui a populorum moribus, a temporum ratione, ab hominum voluntate, arbitrioque pendet? In reliquis sacramentis una atque eadem cunctis gentibus materia est; quis illud sibi in animum inducat, solius sacramenti matrimonii Christum fecisse materiam tam variam tamque dissimilem, quam varii sunt interque se dissimiles mores, ac leges civiles, quibus populi reguntur? Confer Jac. Clemens *loc. cit. cap.* 3, et auctorem operis *de l'autorité des deux puissances cap.* 3 §. 8 *tom.* 2.

§. CXVIII. Cumque ecclesiam repræsentent vel ejus caput Romanus Pontifex, vel œcumenicum concilium, sequitur, ut ab alterutro tantum dirimentia matrimonium impedimenta constitui (1) et constituta removeri possint (2). Sæpe enim justis de causis aliquis lege solvitur; solvendus est autem potestate pari, qua adstrictus est. Episcoporum potestas infra summi Pontificis atque œcumenici concilii potestatem est; et ideo, quæ superiori lege sancita sunt, impedimenta

perfringere et labefactare non possunt. Quare ut summi Pontifices jus illud exerceant, quod semper exercuerunt, laxandi dirimentia matrimonium impedimenta, nihil sibi præcipue reservare debuerunt, neque aliquid de juribus episcopalibus diminuere ac detrahere oportuit. Res ipsa vetat inferiorem abrogare legem, quæ superioris imperio sancita est.

(1) Impedimentorum matrimonii, quæ a summis Pontificibus constituta sunt vel probata, et tunc generalis ecclesiæ legis vim obtinuerunt, antiquissima exempla suppeditant Innoc. I *ep.* 2 *ad Victric. Rothomag. cap.* 13 apud Coustant *ep. Rom. Pont. col.* 756; Siricius *ep.* 1 *ad. Himer. Tarrac. cap.* 4, apud eumdem Coustant. *col.* 628; Leo M. *ep. ad Rustic. Narbon. et ep.* 133 *ad Nicet. p.* 11 *et* 443 *t.* 2 *ed. Romæ;* Greg. M. *ep.* 1 *lib.* 7, *ep.* 64 *lib.* 11, *ep.* 17 *lib.* 14, *et in Decret.* 6 *opp. tom.* 2 *col.* 845, 1154, 1179, 1293 *ed. Paris.;* Gelasius *Decret. cap.* 20 apud Pithœum *Cod. canon. eccl. Rom. Paris.* 1687 *pag.* 268; Greg. II *Decret.* 1, 2, 3, apud eumdem Pithœum *loc. cit. pag.* 300. Falso igitur auctor libri *Sopro il diritto di stabilire impedimenti dirimenti il matrimonio, e di dispensare* a Rom. Pontificibus constituta negat matrimonii impedimenta. Sane eorum quædam primum a conciliis particularibus stabilita sunt; sed ea tantum post decretum sum. Pontificis in ecclesia universa vim legis habere cœperunt.

(2) Sæc. VI Greg. M. Anglor. genti, quæ recens Christi fidem amplexa fuerat, matrimonia permisit in tertio consanguinitatis gradu, in quo jam tunc irrita conjugia erant. « Unde, inquit ipse Greg. *ad Augustin. ep.* 54 *lib.* 11 *tom.* 2 *col.* 1154 *ed. cit.*, necesse est, ut jam tertia aut quarta generatio fidelium licenter sibi jungi debeat; nam secunda, quam diximus, a se omnino debet abstinere. » Quæ indulgentia Pontificis cum displicuisset Felici episc. Messanensi, ipseque ea de re vehementiores ad Gregorium litteras dedisset, respondit Pontifex *ep.* 17 *lib.* 14 *col.* 1277, se non omnibus universe, sed tantum Anglis hanc veniam justis de causis concessisse. En *dispensationum matrimonialium*, ut vocant, quæ ab sede apostolica datæ sunt monumentum luculentissimum ac vetustissimum. Scio quosdam esse, qui has litteras Gregorii esse negant; sed et stylus, et rerum, de quibus agitur, ratio, et cetera argumenta, meo quidem judicio, evidenter ostendunt, eas omnino Gregorio adscribendas esse. Adeundi sunt eruditi Monachi e congr. S. Mauri *in not. ad utramque ep.* Hujus

simile exemplum suppeditat initio sæc. VIII Greg. II, qui Germanis facultatem dedit nubendi post quartum gradum, quo quidem gradu nullum ea tempestate matrimonium erat, uti patet ex ejus *ep.* 13 *ad Bonif. Moguntinum* apud Labb. *coll. conc. t.* 8 *col.* 177 *ed. Venet.* Alia multa eadem de re monumenta collegit auctor operis, quod Fulginei prodiit anno 1784 cum titulo : *Le storte idee raddrizzate cap.* 3 *pag.* 89 *et seq.* Interdum etiam a synodis provincialibus laxata sunt matrimonii impedimenta, quando scilicet Pontificiis constitutionibus, aut totius ecclesiæ lege nondum probata fuerant. Multa enim impedimenta primum a conciliis provincialibus constituta sunt; et tunc ea tolli poterant eadem auctoritate, qua stabilita fuerant. Sed posteaquam jus illud totius ecclesiæ lex evasit, et certe non amplius derogare potuit synodus provincialis, cujus potestas infra illam potestatem est. Certe matrimoniales causas inter causas majores, quas Rom. Pontifici servatas voluerunt Innoc. I, Leo M. et ceteri, quorum loca indicavi *lib.* 1 *tit.* 3 *sect.* 1 §. 14 *not. pag.* 148, recensent Cœlestinus III *ep.* 9 *ad archiep. Senon.* apud Labb. *tom.* 13 *col.* 698 *edit. Venet.*; Sigefridus Moguntinus *ep. ad Alex. II t.* 3 *concil. German. pag.* 152; Annales Bertiniani *ad an.* 831; apud Eckartum *Gallia oriental. tom.* 2 *lib.* 28 §. 193. Synodus Trid. sartam tectam esse voluit potestatem, qua semper apostolica sedes usa fuerat, removendi dirimentia impedimenta, ideoque « Regulas in materia dispensationis, ac signanter super impedimentis matrimonii præscriptas, ad Rom. Pontificem præcipue direxit. » uti post Du Cassium *de Jurisd. eccles. tom.* 1 *cap.* 10 §. 5, observat Espenius *jus eccl. par.* 2 *sect.* 1 *tit.* 14 *cap.* 1 *num.* 10. Imo cum disputatum esset a patribus, num satius esset episcopis, quam sum. Pontifici facultatem laxandi impedimenta reservare, potissimum Pius IV æquo animo assentiebatur, ut consanguinitas in quarto gradu, quia frequentior, a Pontificiis reservationibus tolleretur, et episcoporum arbitrio permitteretur. At synodo magis placuit sententia M. Ant. Bobbæ Augustani episcopi, et Sabaudiæ Ducis legati, qui animadvertit fore, ut data episcopis hac facultate multo facilius et frequentius, quod patrum studio et proposito adversabatur, hujusmodi veniæ concederentur. Confer Palleottum *in act. conc. Trid. ad diem* 17 *aug.* 1563, et Pallav. *hist. conc. Trid. lib.* 23 *cap.* 9 *num.* 17. Neque verum est, ut aliqui putant, Trid. synodum *sess.* 25 *cap.* 18 *de reform.* dispensandi necessitatem imposuisse, cum revera canones *exacte ab omnibus et indistincte observari* voluerit. Tantum statuit, ut si interdum canones justis de causis laxentur, id non nisi *causa cognita ac summa maturitate* fiat. Quibus verbis non dispensandi

necessitas constituitur, sed modus præscribitur, quem servare oportet, cum venia datur. Haud multo post Trid. synodum jus removendi impedimenta matrimonii tantum R. Pontificis proprium agnoverunt concilia Turon. *tit.* 9 *de matrim.*, et Tolos. *par.* 2 *cap.* 8 *col.* 1405 *et* 1804 *t.* 10 *col.* Hard. Merito igitur optimus sapientissimusque Pontifex Pius VI, quem diu Deus servet incolumem omnium bono, litteris datis die 28 Novembris 1786, præter ceteros, damnavit errorem Eybelii ajentis, dispensationum re servationes indebitas, atque episcopis injuriosas esse. Consule doctiss. Mamachium, qui de jure dispensationum, quod in Rom. Pontifice inest, graviter, solide, accurate disputat in libro, quem nuper edidit *Pisti Alethini* nomine, contra auctorem opusculi *Quid est Papa? ep.* 3 §. 9 *pag.* 252 *tom.* 1, et Cl. auctorem *dissertationis, qua defenditur R. Pontificis auctoritas in impedimenta matrimonium dirimentia.*

§ CXIX. Verum si quid etiam ex juribus episcoporum detractum, si ipsorum ea in re arctata jurisdictio videatur; quis neget id suo jure factum a summis Pontificibus, pro suprema, quam habent in tota ecclesia, potestate (1)? *Primigenia* quidem, ut vocant, sint jura episcoporum, quæ ad jurisdictionem pertinent, eaque jurisdictio a Christo repetatur (2). Sed hæc ab ipso Christo ita instituta est, ut uni summo omnium capiti et moderatori subesset (3); neque Christus, cum eam episcopis dedit, divisit diœceses, et singulis certos adscripsit subditos, in quos jurisdictionem illam exercerent. Id totum factum ab ecclesia est; et factum cum opera et auctoritate summi Pontificis, sine quo vera ecclesia esse non potest. Itaque jurisdictio episcoporum a Christo, usus et exercitium hujus jurisdictionis in certos subditos ab ecclesia est.

(1) Conc. Trid. *sess.* 14 *cap.* 7 *de Sacr. Pœn.* « Merito, inquit, Pontifices Maximi, pro suprema potestate sibi in ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare. » Qua in re illud in primis animadvertere oportet, quod si quæ potestas episcopis jure Divino concessa integra relinqui debet, ea certe est potestas absolvendi a quibuscumque peccatis, quam amplam ac nullo modo cohibitam

a Christo apostolis et episcopis eorum successoribus datam fuisse constat. Quod si tanta hæc tamque late patens potestas ita (et id quidem Divino jure) Pontificiæ auctoritati subest, ut pro *suprema* R. R. Pontificum *potestate* per reservationes coerceri, et arctari merito potuerit; an non ceteræ episcoporum facultates, simili prorsus jure, ac suprema potestate, cum id expedire visum fuerit, arctius astringi poterunt?

(2) Ne quis obtrudat, niti me principiis minus exploratis, minusque probatis omnibus, tamquam certum non pono id, quod incertum controversumque est. Non enim certo constat, num episcoporum potestas a Christo ἀμέσως *immediate* sit repetenda, an potius in eos per Petrum ejusque successores transierit; néque synodus Trid. quæstionem hanc definire voluit, ut ostendi *lib.* 1 *cap.* 2 *not.* 1 §. 20 *pag.* 24.

(3) Episcoporum jurisdictio primigenia quidem sit, et a Christo immediate procedens; sed primigenius etiam est, essentialis et a Christo institutus primatus non dignitatis solum, sed etiam jurisdictionis in ecclesia universa. Utraque potestas primigenia est; sed utriusque ex lege divina propria est atque intima natura, ut altera subsit, altera præsit. Christus et Petrum ejusque successores toti ecclesiæ præfecit non solum dignitate, sed etiam imperio; et simul episcopis jurisdictionem dedit, sed jurisdictionem subjectam superiori potestati, in qua principatum posuit. « Jesus Christus ipse, inquit clerus Gallicanus in comitiis extraordinariis dici 8 Maii 1728, sua institutione limites præscripsit huic potestati episcopali, quam subjecit Sedi Petri, in qua posuit plenitudinem Apostolicæ potestatis. » Reservationes causarum matrimonialium et ceteræ hujusmodi, non tollunt evertuntque primigeniam et essentialem episcoporum jurisdictionem, quæ Divinæ institutionis est; tantum ejus exercendæ constituunt modum, qui a Christo definitus non fuit. Et vetustiori quidem ætate ea res tota fere pendebat a synodis provincialibus, metropolitis, patriarchis, quos humanæ institutionis esse, inter omnes constat; adeo verum est, primigeniæ essentiali et a Christo datæ episcopis potestati non adversari modum, qui in ea exercenda superiori imperio stabilitur. Quod si hunc modum constituit potestas, quæ tantum humana est, nonne id multo magis poterit præstare potestas summi Pontificis, hoc est potestas divinitus instituta? Si magis intrare volumus, potius hæ ipsæ reservationes ad jus divinum referri possunt; quatenus videlicet jure divino summo Pontifici in omnes episcopos jurisdictio data est, et quatenus Christus ordinem inter potestates omnino servandum constituit. Cujus quidem ordinis ea vis et natura est, ut infe-

riores subjecti sint superioribus, uti docet Petrus *ep.* 1 *cap.* 2 *vers.* 13. « Subditi igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus etc., » et Paulus ad Rom. c. XIII *v.* 1. « Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi a Deo; quæ autem sunt a Deo ordinatæ sunt. » En *ordinem* inter potestates a Deo constitutum, ut inferiores quantumvis potestate aliqua præditi, *sublimioribus* subesse debeant. Consule Ballerin. *de potest. eccles. Summ. Pontif. cap.* 1 §. 4, 5 *et* 6, et doctiss. Mamachium egregio opere, quod paulo ante indicavi, *ep.* 1, 2, 3 *fere per tot.*

§. CXX. Cum episcopo certi adimuntur subditi, non tollitur primigenia illa jurisdictio, quæ divinitus data est; tantum arctatur et constringitur usus jurisdictionis, quæ amplius exerceri non potest in subditos, qui ab episcopi imperio subtracti sunt. Ita synodi particulares sæpe arctarunt usum jurisdictionis episcopalis; et id quidem jure ac recte factum omnes facile concedunt; quia cum synodi episcopis auctoritate præstarent, potuerunt episcopalium facultatum usum, pro ecclesiæ utilitate, præfinire (1). Quod si hæc facta, et rite fieri potuerunt a synodis particularibus, quæ tantum jure ecclesiastico provinciæ aut regioni, ejusque episcopis divinitus institutis præsunt; id certe multo magis concedendum est Petri successoribus (2), qui non humano, sed divino jure omnibus episcopis, ipsisque synodis particularibus præfecti sunt (3).

(1) Episcopalis potestatis, quæ a synodis, metropolitis, patriarchis cohibita fuerit, innumera propemodum et omnibus comperta exempla sunt. Præclarum est illud concilii Chalcedon. *act.* 4 *col.* 418 *tom.* 2 *coll.* Hard., uti sancitum est, *ut nihil absque ipso* (antistite Alexandrino) *ageretur ab aliquo subjacente episcopo.* Hoc quidem loco ita arctatur episcoporum potestas, ut nulla in re non pendeat a patriarcha, ac *nihil* episcopus agere possit sine venia patriarchæ, cui subest. Divino quidem jure ad episcopos pertinere ordinationes eorum, quos suarum ecclesiarum regimini utiles, et multo magis necessarios agnoscant, quis ignorat? Africanæ autem ecclesiæ in exitu sæculi quarti, et initio quinti, magna sacrorum ministrorum inopia laborabant,

adeo ut multæ earum plebes essent desertæ et alicubi ne unus quidem diaconus reperiretur. Huic malo remedium adhibere oportebat, et vero adhiberi facile poterat, tum si in suis reciperentur gradibus, qui a donatistis ad catholicam unitatem revertebantur, tum si ordinibus donarentur, qui apud donatistas in infantia baptizati, rationis usu præditi ad catholicam ecclesiam redierant. Sed obstabant decreta edita in transmarino concilio, quorum mentio est in synodo Africana *can.* 35 apud Pithœum *cod. can. pag.* 132 *edit. Paris.* 1687. Itaque ut ea lex necessitatis gratia laxaretur, missa legatio est ad eos, a quibus illa lata fuerat, sicuti patet ex eadem synodo Africana *loc. cit. pag.* 143. Quod si synodi particulares episcoporum potestatem in re tam gravi, tamque episcopis propria arctare potuerunt; an non idem multo magis præstare poterit summus Pontifex, cujus non humano jure sancita, sed a Christo ipso instituta potestas est?

(2) Si antiquis temporibus episcopalium facultatum definiendarum modus a patriarchis, metropolitis, synodisque provincialibus totus fere pendebat, non idcirco Pontificio juri, quod ex primatu descendit, quidquam detractum videri potest. Cum enim omnis illorum, quæ tandem cumque illa esset, in episcopos et episcopatus jurisdictio tamen ex ecclesiastico jure procederet; profecto quidquid ecclesiasticæ institutionis est, juri ordinario ac divino primatus detrahere nihil potuit. Consule Ballerin. *de potest. eccl. cap.* 1 §. 4.

(3) Equidem nescio, qui teneat error, aut miserabilis ignoratio veri eos, qui propria et nativa episcoporum jura, a legitima superiori potestate tolli ac minui posse inficiantur. Ab ipsis ecclesiæ incunabulis luculentissima sunt monumenta, quæ longe aliud ostendunt. Episcopi erant Timotheus et Titus, alter Ephesi, alter Cretæ, ad quos apostolus litteras dedit, et hi a Spiritu Sancto positi erant regere ecclesiam Dei in suis diœcesibus, et omnem cum episcopatu conjunctam potestatem obtinebant. Ergo quemlibet Christianum hominem ordinibus initiare poterant, quoniam ampla episcopis ea de re data a Christo potestas fuerat, et tamen Paulus arctat et constringit hanc potestatem, dicta lege, ut neque bigami, neque neophyti ordinentur *I ad Tim. c.* 3 *v.* 2, 6, 12. Similiter jure divino presbyteri episcopis suberant, atque hi suo lubitu poterant adversus illos eam servare methodum judiciorum, quæ magis commoda et opportuna videretur, quoniam hæc methodus ab eodem divino jure constituta non fuerat, et tamen Paulus episcopis imperat, *Ne adversus presbyterum accusationem* recipiant, *nisi sub duobus, aut tribus testibus I ad Tim. cap.* 5 *vers.* 19. Mitto cetera similia, quæ sunt a Paulo constituta, et

quibus nativa episcoporum potestas arctata est. Priora ecclesiæ sæcula pene innumera ejusdem rei monumenta suppeditant. Sane Christus his verbis *quæcunque ligaveritis etc.* apostolis et episcopis amplissimam concesserat facultatem ligandi et solvendi in sacramento pœnitentiæ; verum huic episcopis insitæ et innatæ potestati, veneranda antiquitas modum imposuit, constitutis legibus, quibus episcopi jussi sunt quosdam criminum reos tantum solvere post annos plures diuturnamque pœnitentiam, quosdam vero tantum cum ad vitæ exitum properarent. Res eo demum venit, ut œcumenici concilii venia et auctoritate opus fuerit, ut liceret *episcopo humanius aliquid de eis statuere,* qui luculentiores dederant dolentis animi et pietatis significationes, concil. Nicæn. *can.* 12 *tom.* 2 *coll.* Labbei *col.* 38 *ed. Venet.* An non ligandi, et solvendi potestas propria ac nativa episcoporum est? Attamen hæc potestas cohibetur modis pluribus, neque episcopus suo jure, licet proprio et nativo, uti potest, nisi œcumenica synodus nominatim hanc facultatem tribuat. Idem esto judicium de ordinis sacramento: certe proprium ac nativum est jus episcoporum ordinandi quoslibet christianos homines, quos ad ecclesiasticum ministerium aptos et idoneos judicant. Verum hoc jus imminuunt antiqui canones, cum vetant ordinibus initiari eos, qui titulo carent, qui bigami sunt, qui in hæresi fuerunt, qui certam non attigerunt ætatem, qui baptismum in ægritudine acceperunt, qui sibi virilia amputarunt, qui graviora quædam crimina admiserunt. His de rebus multa sunt constituta a canonibus, qui dicuntur apostolorum, a conc. Eliber., Nicæno, Carthag. III, Antioch., Chalced., ceterisque conciliis, quæ antiquissimis ecclesiæ temporibus habita sunt. Nec leviora sunt de matrimonii sacramento monumenta. Christus nullam dixerat legem, per quam episcopi ministerium suum exercere prohiberentur in matrimoniis Christianorum cum infidelibus, cum hæreticis, cum schismaticis, itemque in matrimoniis, quæ inter affines copulantur. Attamen hæc matrimonia fieri vetat synodus Eliberitana *can.* 15, 16, 17, 61, 66, *tom.* 1 *coll.* Labbei *col.* 994, 999 *et seq. ed. Ven.*, atque ita in hujus administratione sacramenti episcoporum potestas cohibetur. Similia occurrunt in conc. Laodic. *can.* 10 *et* 31 *t.* 1 *cit. col.* 1531 *et* 1535; Carthag. III *can.* 12 *t.* 2 *ejusd. coll. col.* 1401; Chalced. *can.* 11 *tom.* 4 *col.* 1687. Quid dicam de ceteris legibus, per quas arctata potestas episcoporum est? Trans mare proficisci prohibentur episcopi, non consulto primæ sedis episcopo, hoc est metropolita, conc. Carthag. III *can.* 28 *tom.* 2 *col.* 1403, œconomum constituere jubentur, sine quo res ecclesiæ administrare non possunt conc. Chalced. *can.* 26 *tom.* 4 *col.* 1691

St. Au... Library

« Gentilium libros legere nequeunt, hæreticorum autem pro necessitate et tempore; gubernationem viduarum et pupillorum, ac peregrinorum per archipresbyterum, aut archidiaconum, » agere coguntur; prohibentur suscipere *tuitionem testamentorum*, conc. Carthag. IV *cap.* 16, 17, 18, *col.* 1438 *et* 1439 *tom.* 2. Exstant et in decretalibus Pontificum Rom. plures hujusmodi leges, per quas potestas cohibetur episcoporum. Vetat Innoc. I *ep.* 2 *ad Victric., cap.* 1, 2, 5, apud Coustant. *col.* 748 *et* 750, episcopum *extra conscientiam metropolitani* aliquem ordinare, pluresque a sacris ordinibus arcendos jubet, quod etiam facit *ep.* 5 *ad episc. in Toletan. synod. constit. cap.* 6 *col.* 775, ceterisque litteris, quæ a Petro Coustantio descriptæ sunt, et in quibus similiter plures feruntur leges, per quas episcoporum potestas arctatur. Id vero etiam factum est a Siricio, qui Innocentio antiquior fuit. Ne omnes persequar ejus litteras, quod esset operæ scriptionisque longioris, tantum indicabo *ep.* 1 *ad Himer.*, qua *cap.* 4 statuitur, ne quis alterius sponsam uxorem accipiat, *cap.* 5 ne Eucharistia tribuatur reis graviorum quorumdam criminum, *c.* 8 ne bigami ordinentur, *cap.* 9 *et seq.* alia stabiliuntur, quæ ad ætatem et qualitates ordinandorum pertinent, apud Coustantium *col.* 628 *et* 632 *seq.* Per has leges omnes episcopi non amplius exercere poterant ampliorem illam, quam pridem habebant propriam et nativam potestatem, in administratione sacramentorum. Confer S. Leonem *epist.* 5 *cap.* 3 *col.* 618 *ep.* 6 *cap.* 6 *col.* 622 *ep.* 9 *cap.* 1 *et* 2 *col.* 629 *seq. epist.* 10 *col.* 633 *tom.* 1 *edit. Ballerin. Venet.*, postremo fere omnes ejus epistolas, in quibus episcopis certæ præscribuntur leges, quas eos servare oportet in negotiis ecclesiasticis, atque in sacramentorum administratione; S. Gelas. 1 *ep.* 9 *ad episc. Lucan. cap.* 3 *et* 4 apud Labb. *tom.* 5 *col.* 315; S. Greg. M. *ep.* 10 *et* 11 *lib.* 4 *ep.* 7 *lib.* 5 *ep.* 45 *l.* 7 *ep.* 70 *lib.* 9 *ep.* 2 *l.* 10 *tom.* 2 *col.* 689, 690, 735, 890, 986, 1043, aliisque locis compluribus, ubi plures dicuntur leges, quibus episcoporum jura imminuuntur. Infinitus essem, si omnia colligere vellem exempla aut ex conciliis, tum provincialibus, tum generalibus petita, aut ex decretalibus Pontificum R. R., quibus episcoporum jura propria et nativa cohibita atque imminuta sunt.

§. CXXI. Hoc sane primigenium jus est Pontificum Rom., quod abrogari nequit, nisi abrogetur, quod salva fide tolli non potest, primatus jurisdictio, cui Christus omnes subjecit, et cui episcoporum jurisdic-

tionem obnoxiam voluit (1). Eo jure summi Pontifices recte potuerunt episcopalis jurisdictionis modum constituere, ac sibi tantum certorum criminum veniam, ac laxandi dirimentia matrimonium impedimenta facultatem reservare. Atque hæc quidem vetustissima consuetudo est, quam omnium ætatum consensus comprobavit; ut S. Pontifex dirimentia matrimonium impedimenta constituat, et tollat constituta, cum id justis de causis faciendum est (2). Episcopis permissa tantum est facultas laxandi impedimenta impedientia, exceptis hæresi et sponsalibus, in quibus non licet fidem fallere, invito eo, cui data est; et voto simplici aut perpetuæ castitatis, aut ingrediendi religionem, quod cum purum fuerit nullique conditioni obnoxium tantum R. Pontifici reservatur (3).

(1) Consule præstantissimas gravissimasque litteras datas a PIO VI Pont. Max. die 28 Nov. 1786 adv. auctorem opusculi *Quid est Papa?* et vide etiam Cl. Mamach. *l. mox. indic.*

(2) Auctor libri *Sopra il diritto di stabilire impedimenti dirimenti il matrimonio, e dispensare* novum excogitavit genus *dispensationum,* quas vocant, suoque hoc invento efficere se posse censet, ut etiam episcopi laxandorum impedimentorum potestatem habere videantur. Inquit enim, impedimenta laxata quidem initio fuisse ex gratia et beneficio, sed frequentem laxandi consuetudinem quasi legis exceptionem induxisse, ita ut dispensationes, quæ initio *gratiæ* tantum erant, lapsu temporum *justitiæ* evaserint. Quare episcopus suo jure removet impedimenta, quorum vetus est et longo usu firmatus removendorum usus; et tunc quidem judicat, num locum habere debeat exceptio legis, quæ jam vetustate consuetudinis inducta est. Sed primum nego ex repetitis actibus fieri posse, ut quod semper ex gratia et beneficio conceditur, justitiæ actus evadat. Longa consuetudo parere quidem potest exceptionem legis, cum ei populorum mores et consensus legislatoris ita derogant, vel omnino, vel ex parte, ut jus ea lege constitutum non amplius vigeat, neque ullam parendi afferat necessitatem. An quisquam superiorem rogat, ut eum lege solvat, quæ contraria consuetudine sublata est? Imo legis loco est ipsa consuetudo, quæ antiquo juri adversatur, eique tantum parere omnes debent. Sed dispensationum, quas vocant, longe dissimilis

ratio est. Non enim per eas, ut sæpe concedantur diuque concessæ fuerint, jus novum inducitur. Imo vero ea, quæ petitur et quæ conceditur, dispensatio, vigentis et confirmatæ legis monumentum est. Nam quisquis superiorem rogat ut lege solvatur, necessario fatetur integram esse legem, qua stulte et inutiliter solvi vellet, si ea esset antiquata; et superior quoties aliquem solvit, ejus quidem gratia legi derogat, sed legem ipsam confirmat, qua obstrictos vult esse ceteros, quos ipse simili beneficio ac privilegio non solvit. Quod si specialis dispensatio non legem generatim abrogat, sed confirmat, OEdipo opus est conjectore, ut intelligatur, quomodo *justitiæ* actus evadere possit, ut quis parere non debeat legibus, quæ fixæ certæque sunt, atque omnibus constitutæ. At enim frequens usus beneficii, quod superior confert in unum aut alterum, quem lege solvit, quasi vim consuetudinis obtinet, ita ut omnes ad simile beneficium obtinendum jus consequi videantur. Falso: Nam omnis dispensatio *ex gratia et beneficio* est; justitia postulat ut lex, quæ viget, observetur; sed superior justis de causis hanc justitiam silere jubet, ut in unum aut in alterum beneficium conferat. Itaque quotquot numero esse poterunt dispensationes, cum semper *ex gratia et beneficio* concedantur, semper *gratiæ* ac *beneficii* actus erunt, neque unquam *justitiæ* actus evadent; imo semper justitia erit obtemperatio legibus, nisi beneficium accedat supremæ potestatis, per quam aliquis lege solvatur. Sed esto; fac sane actus, qui semper gratiæ ae beneficii sunt, ex longa consuetudine in actus justitiæ converti, ita ut omnes ad beneficium ac privilegium obtinendum jus consequantur. A quo beneficium ipsum impetrandum erit? Ab eo, qui semper dedit, quique longa consuetudine hanc sibi legem imposuit, ut quod semper largiri solet, jam amplius nemini denegare possit. Itaque totum hoc inventum *despensationum*, quas vocant *justitiæ*, eo demum redibit, ut summus Pontifex jam omnibus concedere debeat beneficium, quod longa consuetudo justitiæ actum facit; sed certe non efficiet, quod jus concedendi beneficium amittat Pontifex, qui nunquam eo jure potitus est. Si princeps certum aliquod beneficium in omnes conferat, si cunctos lege solvat, si longo usu fiat actus *justitiæ*, qui pridem erat *gratiæ* et beneficii; an ideo magistratus inferior sibi etiam jus arrogabit exercendi actum, quem semper unus princeps exercere consuevit? Sunt hæc plane nugæ. Revera ætate S. Anselmi jam obtinebat usus dispensationum, quæ a sede Apostolica concedebantur, uti testatur Paschalis II P. *ep.* 42 *ad Anselm. col.* 1008, apud Labb. *coll. tom.* 12 *edit. Venet.*, et tamen nullus unquam fuit episcopus, qui sibi earum concedendarum potestatem

arrogaret. Imo ipse Anselmus, qui episcopus erat, eas a summis Pontificibus Urbano II et Paschale II impetrandas curavit, uti patet *ex loco mox laudato;* et an. 996 Greg. V in conc. Rom. Robertum regem deserere coegit Bertam consanguineam suam, quam in matrimonium acceperat, sacrisque interdixit Erchembaldum archiep. Turon. ceterosque episcopos, quorum consensu nuptiæ illæ conciliatæ fuerant, apud Labb. *coll. t.* 11 *col.* 1029 *can.* 1 *et* 2 *ed. ind.* Sæc. XII tam crebro dispensationes a summis Pontificibus concedebantur, ut S. Bern. *de Consid. lib.* 3 *cap.* 4 *tom.* 2 *pag.* 373 *ed. Venet.* 1781, Eugen. III discipulum olim suum monendum putarit, ne quem tam facile lege solveret; et tamen nullus episcopus propter eam dandam veniæ consuetudinem, jus illud sibi debitum contendebat. Imo cum frequentior esset dispensationum usus, omnis earum potestas sedi Apostolicæ servata est in conc. Lateran. IV *can.* 19, 20, 57, 58, *col.* 42, 62 *et* 63 *tom.* 7 *coll.* Hard., ac tantum abfuit, quod summi Pontifices ex crebro illo dispensationum usu jus aliquod, aut aliquam necessitatem inductam putarint, ut plus semel rejecerint preces eorum, qui veniam postulabant. Ita Alex. IV, qui an. 1258 a Galliarum rege rogatus, legem solverat de consanguinitatis gradibus, Waldemaro Succorum regi veniam dare noluit, per quam nuberet Sophiæ suæ ex fratre nepti; sed postea gravioribus expensis causis hanc ipsam veniam dedit, et ita nuptiæ illæ conciliatæ sunt, ut narrat Raynaldus *ad an.* 1258 *num.* 20 *et* 1259 *num.* 19 *pag.* 27 *et* 59 *t.* 5 *ed. Lucæ.* Clem. IV apud Martenium *Anecd. tom.* 2 *pag.* 537, lege solvit ex justis causis filium regis Siciliæ, non item filiam Alphonsi regis, quam pater filium Balduini imperatoris in matrimonio habere cupiebat, licet ipse Pontifex fateatur, quod *larga* esset *retroactis facta temporibus diversarum effusio gratiarum.* Ejusdem generis exempla suppeditant Clem. VI, et Innoc. IV apud Baluz. *Miscell. diplom. tom.* 3 *ed. Lucæ,* itemque Joan. XXII, qui veniam, quam propter cognationis impedimentum Arragoniæ rex ab se postulaverat, concedere noluit apud Raynald. *ad an.* 1329 *num.* 88 *seq. pag.* 45 *seq. tom.* 5 *ed. Lucæ.*

(3) Consule Bened. XIV *de syn. diœc. l.* 9 *cap.* 2.

§. CXXII. Sunt tamen graviora quædam impedimenta, quæ tametsi divino aut naturali jure inducta non sint, tamen a summo Pontifice laxari non solent; et huc spectat consanguinitas in primo gradu, quæ videlicet est inter fratrem et sororem (1), affini-

tas in primo item gradu inter vitricum et privignam, publicum impedimentum criminis ex occisione conjugis cum adulterio (2). In ceteris impedimentis, quæ ecclesiastici Juris sunt, summus Pontifex ex justis gravibusque causis veniam tribuit (3). Quæ venia, sive dispensatio, ut vocant, vel publica, vel occulta est; illa pro utroque foro datur per *datariam*, vel *secretariam brevium*, hæc per *sacram pœnitentiariam* pro interno tantum foro conceditur.

(1) Non convenit inter theologos, interque peritos juris canonici, an matrimonium inter fratrem et sororem jure naturali, divino, vel humano prohibeatur. S. Thomas, Gonzalez, Pontius, atque alii solam juris positivi prohibitionem agnoscunt.

(2) Confer Bened. XIV *in ep. ad Ignat. Realem de celebr. Missæ a sedente*, quæ exstat *in App. II tom. 4 Bullarii* §. 13, 14, 15 *pag. 7 et 8 ed. cit.*

(3) Ita fidei catholicæ utilitas, timor apostasiæ, bonum publicum, studium avertendi mali, angustia loci, inopia mulieris indotatæ justam præbent causam, propter quam dispensatio concedatur. Sunt et aliæ similiter graves causæ, quarum judicium pertinet ad sum. Pontificem, a quo venia tribuitur. Dataria solet in diem dispensationes publicas concedere super consanguinitate et affinitate, et spirituali cognatione, et publica honestate, et crimine adulterii, modo nulla fuerit in necem conjugis machinatio. Ceteræ dispensationes super aliis publicis dirimentibus impedimentis raro, atque ex causis gravissimis per secretariam brevium conceduntur. Ex cancellariæ regula 49 in litteris dispensationum super aliquo gradu consanguinitatis vel affinitatis, ea adjicitur clausula seu conditio, *si mulier rapta non fuerit.* Si raptor scienter nuptias cum rapta contraxerit, ac veniam postulet, tunc alia adjicitur, *ex quaterno* conditio, « Ut separentur ratione delicti, quoadusque arbitrio commissarii, seu executoris apostolici congruam egerint pœnitentiam. » Confer Rigantium *ad eamd. reg.* 49 *Cancell.*, et confer etiam Gagliardum *inst. jur. can. lib.* 2 *tit.* 11 §. 5 *num.* 93 *et seq.*

§. CXXIII. Jam vero dirimentia impedimenta nuptiarum ad tria summa capita revocari commode possunt. Nuptiæ enim nullius momenti sunt, vel quod aliquis ad eas contrahendas aptus et idoneus non est;

vel quod eas deceptus errore contraxit; vel quod in iis conciliandis non eum servavit modum, quem servare oportebat.

§. CXXIV. Primum caput duplex est; nam quis vel ab omnibus universe, vel a certis tantum nuptiis arcetur. Irritæ sunt generatim nuptiæ impedimento vel corporis, vel animi. Corporis impedimento tenetur, qui non satis progressus ætate est, et qui venerem exercere non potest; quorum vitiorum alterum *defectum ætatis*, et alterum *impotentiam coeundi* vulgus appellat. Impedimentum animi triplex est, ordo sacer, votum, ligamen. Quædam autem nuptiæ fieri non possunt propter cognationem, affinitatem, honestatem, delictum, cultus disparitatem. Caput alterum impedimentorum est error, siquidem personæ sit, vel conditionis. Tertium modus, quo frustra ineuntur nuptiæ: si nimirum vi, si raptu, si clam, si cum iniqua conditione perficiantur. Singula partite atque ordine expendenda sunt.

§. CXXV. Omnes, uti diximus, generatim nuptias propter corporis impedimentum inere prohibentur, quibus vel ætas tenera, vel imbecilla natura, vitiumque corporis cum conjuge liberis operam dare non sinit. Fiunt maturæ viro mulieres anno decimosecundo, mares autem anno decimoquarto idoneam ad procreandos liberos ætatem consequuntur. Ante hoc tempus initum matrimonium irritum est (1); nisi malitia suppleat ætatem, hoc est impuberes dare operam liberis possint, et rem uxoriam intelligant (2).

(1) *Cap.* 6, 10, 11 *de Desponsat. impuber.*

(2) *Cap.* 9 *eod.* Recte tamen animadvertit Ben. XIV *Const. Magna nobis* 51 *tom.* 2 *Bullar. pag.* 249 *ed. cit.*, apost. Sedis venia opus esse, ut recte matrimonium contrahat impubes, qui propter ætatem nondum corporum conjunctioni maturus, sed tamen ita rationis usu valet, ut matrimonii contrahendi vim et naturam intelligat. Potest enim episcopus judicare, num malitia

suppleat ætatem, sed non potest ei conjugium permittere, qui ad rem uxoriam exercendam nondum aptus et idoneus est.

§. CXXVI. Vitium corporis procul a matrimonio esse jubet adultos, qui vel natura, vel morbo ita sunt comparati, ut suum cum fœmina corpus nequeant commiscere; præterea mulieres, quæ ita habent obstructam viam, ut viriles conatus excludant. Quisquis tali hoc laborat vitio, modo perpetuum sit, et contractum ante matrimonium, frustra inire conatur nuptias, quæ jure ipso naturæ irritæ sunt (1). Stat enim vis matrimonii, quando impedimentum postea ortum est (2); et quando illud tolli humana opera ac sine vitæ discrimine potest, periculum est faciendum (3).

(1) *Cap.* 1 *et* 3 *de frigid. et malefic.*
(2) *Can.* 25 *c.* 32 *q.* 7.
(3) *Cap.* 5 *de frig. et malef.*

§. CXXVII. Ut hoc impedimentum dirimat matrimonium, certum atque exploratum esse debet; ubi dubium sit, ad triennale experimentum confugiendum est. Scilicet triennii spatio simul conjuges agere vitam debent, nixuque ad venerem periculum facere virium suarum. Lapso triennio si omnes conatus inutiles fuerint, matrimonium dissolvitur, accedente jurejurando conjugum ac septem propinquorum (1). Præsertim vero, cum de alterutrius conjugis viribus controversia est, inspicienda sunt corpora, quod in viris fit per chirurgos, in mulieribus per honestas et fide dignas obstetrices (2). Omnes hi jurati confirmare debent, sese novisse mulieris aut viri corpus minus aptum ad rem uxoriam gerendam.

(1) *Can.* 2 *c.* 33 *q.* 1, *cap.* 5 *et ult. de frig. et malefic.*
(2) *Cap.* 4 *et* 14 *de probat.*

§. CXXVIII. Animi, sive voluntatis impedimento irritæ sunt generatim nuptiæ, si quis ante illas vel

sacro ordine, vel religiosa professione, vel altero matrimonio sese obligavit. Sacros quidem ordines, vel ex voto, vel ex lege ecclesiastica, impedimento esse, quominus valeant matrimonia eorum, qui illis obstricti sunt, inter catholicos omnes constat (1). Nam continentes esse oportere majores clericos, ex ipsa apostolica traditione intelligimus (2); et certe iis nunquam licuit uxores accipere (3). Verum initio nullis opus fuit pœnis, quarum formidine clerici servare cogerentur officium, in quo eos prisca vivendi ratio pura et incorrupta, satis sua sponte retinebat. Constitutæ sunt ea de re pœnæ annis consequentibus : cum depravati et corrupti mores clericorum hoc officium comminuere et violare cœperunt (4).

(1) Conc. Lateran. II *can.* 7 *et* 8 *t.* 12 *coll.* Labb. *col.* 1501 *ed. Ven.*, et Trid. *sess.* 14 *de Sacr. matr. can.* 9.

(2) De origine ac sanctitate cœlibatus, quem majores clerici servare debent, copiose disserit Vir Cl. Fr. Ant. Zaccaria duobus libris, quorum alter *storia polemica del celibato sacro* Romæ editus est an. 1774, alter *nuova giustificazione del celibato sacro etc.* editus Fulginei an. 1785. His duobus libris egregie ac diligenter expenditur, quidquid ad hoc argumentum pertinet, ac plane evertuntur commenta et sophismata liberculorum quorumdam, qui adversus sacrum cœlibatum paucis abhinc annis in Germania atque alibi prodierunt.

(3) Canon. apost. 27 apud Coteler. *PP. apost. tom.* 1 *pag.* 445 *ed. Amst.* 1724, quem canonem et simul etiam *c.* 17 *l.* 6 *Apost. Const. pag.* 350 *loc. cit.* græci corrumpunt atque absurde detorquent, ut observat Coteler. *in notis ad utrumque locum;* S. Epiph. *expos. fid. cath. cap.* 21, *et hæres.* 59 *num.* 4 *tom.* 1 *lib.* 2 *pag.* 496 *ed. Paris.* 1622; Justinianus *novel.* 22 *cap.* 42 *col.* 4 *tom.* 1; S. Hier. *contr. Vigilant. num.* 2 *tom.* 2 *col.* 389 *ed. Vallarsii Veron.* Quibus ex locis intelligimus, eamdem initio fuisse orientalis atque occidentalis ecclesiæ sententiam, quod scilicet majores clerici post sacros susceptos ordines matrimonium inire prohiberentur, quodque se in posterum matrimonii usu abstinere deberent, qui uxorem habebant, antequam sacros ordines acciperent. Vetustissimam hanc disciplinam græci relaxare cœperunt sæc. VII, cum scilicet Syn. Trullana, seu Quini-sexta

habita est. Nam hæc synodus *can.* 6 ratam quidem firmam haberi voluit antiquam disciplinam, per quam majores clerici post sacros ordines nuptias conciliare prohibentur, sed tamen *can.* 15 subdiaconis, diaconis, sacerdotibus, non item episcopis, permisit usum matrimonii cum uxoribus, quas antea duxerant. Huic autem novitati Trullani Patres præsidium quærere studuerunt in antiquiori canone Carthag., in quo tamen nihil tale statutum est; sicuti post Fleury animadvertit doctissimus Zaccaria in opere *nuova giustificazione del celibato sacro etc., diss.* 2 *cap.* 2 *pag.* 88. Canonem hunc nunquam probarunt Rom. Pontifices, neque ut probarent, græci imperatores aut minis, aut blanditiis et pollicitationibus efficere potuerunt, uti ostendit ipse Zaccaria *storia polemica del celibato sacro pag.* 159 *et seq.:* sed tamen eum postea tolerandum putarunt, ut præciderent causam schismatis, ad quod græcorum animi propensiores esse videbantur. Optandum vehementer esset, inquit Ben. XIV *const.* 57 *n.* 26 *tom.* 1 *bullarii pag.* 159 *ed. cit.*, ut græci in sacris ordinibus constituti, non secus ac latini, castitatem servarent: « Nihilominus ut eorum clerici, subdiaconi, diaconi, presbyteri uxores in eorum ministerio retineant, dummodo ante sacros ordines, virgines, non viduas, neque corruptas duxerint, Romana non prohibet ecclesia. » Irritum tamen est matrimonium apud Græcos a diacono, vel sacerdote contractum; et sacerdos, qui uxorem habet antea ductam, per hebdomadam, vel per triduum abstinere se ab usu matrimonii debet, antequam ad sacrificium conficiendum accedat, Bened. XIV *loc. cit. num.* 28; Clem. VIII *Const.* 107 §. 5 *tom.* 5 *par.* 2 *Bull. pag.* 75. Pertinet etiam ad hunc locum *Const.* 129 ipsius Ben. XIV *in cit. Bullar. tom.* 1 *pag.* 512, ubi multa sunt de uxoribus Cophtorum, qui in sacris ordinibus versantur. Ceterum de subdiaconorum continentia non eadem semper fuit ecclesiæ disciplina. Canones apost., Justinianus, Epiphanius *locis indic.* eadem, qua ceteros majores clericos, continentiæ lege obstringunt subdiaconos; verum Hier. *loc. cit.* tantum episcopos, presbyteros, diaconos, non item subdiaconos memorat, qui matrimonii usu prohiberentur. Idem de subdiaconis est silentium in decretalibus Siricii, et Innoc. atque in reliquis antiquis monumentis. Primus omnes subdiaconos continentiæ legi addixit S. Leo M. *ep.* 14 *c.* 4 *col.* 687 *tom.* 1 *ed. Baller.;* verum hæc decretalis non ubique obtinuisse videtur. Nam conc. Turon. I, quod postea habitum est, *can.* 2 *col.* 794 *tom.* 2 *coll.* Hard., clericos diaconis inferiores continentiæ lege non obstringit. Conc. Aurelian. III *can.* 2 *col.* 1425 *mox laud. tom.* 2 continentes vult esse subdiaconos; et conc. Aurelian. IV *can.* 17

col. 1248 *ib.* tantum presbyteros et diaconos, non item subdiaconos, quorum nullam mentionem facit. Romæ, cum Pontificatum teneret Greg. M., subdiaconi continentiam servare debebant, atque ipse utitur exemplo Sedis Rom. *lib.* 1 *ep.* 44 *tom.* 2 *col.* 538 *ed. Paris.* 1705, ut subdiaconos Siculos eadem lege constringat.

(4) Exstat ea de re decretum latum a Siricio an. 386 *in ep.* 1 *ad Himerium Tarracon. cap.* 6 *et* 7 apud Coustant. *ep. Pont. Rom. col.* 629 *seq.*, atque hoc decretum postea confirmavit Innoc. I *ep.* 6 *ad Exuper. Tolosan. cap.* 1 *col.* 790 *seq.* apud eumdem Coustant.

§. CXXIX. Votum, quod matrimonium dirimit, solemne votum est, conjunctum scilicet cum professione, quæ in probata religione emissa fuit. Quod votum ab eo distinguitur, quo quis extra religionem sese obligavit, quod votum simplex castitatis dicitur (1). Hoc enim minus licitum, non item irritum matrimonium facit (2), uti irritæ sunt nuptiæ eorum, qui religiosæ professionis voto, aut sacris ordinibus impediti ac devincti sunt (3). Sed religiosa professio differt ab ordinibus sacris, quoniam ea solvit etiam matrimonium antea contractum, modo ratum sit, non consummatum (4); verum sacer ordo tantum irritas facit nuptias, quæ post eum conciliatæ sunt (5).

(1) Plerique sentiunt, distinctionem voti *simplicis* ac *solemnis* Gratiani ætate primum inventam fuisse, deinceps ubique receptam, posteaquam ab eo descripta in decreto fuit. Ego dabo non gravate, ea vocabula *simplicis* et *solemnis* ea tempestate primum usurpari cœpisse; sed certe res ipsa, hoc est distinctio eorum, qui solemniter, et qui minus solemniter castitatem voverant, multo antiquior est. Mitto testimonia Hier., August., ceterorum, quæ Gratian. habet *can.* 21, 22, 41 *cap.* 27 *qu.* 13, et *can.* 2, 4, 5, 9 *dist.* 27, et ex quibus intelligimus, jam IV sæc. aliud fuisse votum, quod irritas, et aliud, quod non irritas nuptias efficiebat. Utriusque voti diversitatem luculentissime mihi quidem videtur proposuisse Siricius P., qui IV ecclesiæ sæc. Pontificatu Maximo functus est. Is enim *ep.* 10 *cap.* 1 *col.* 688, apud Coustant. *ep. Rom. Pont.* primo agit de « Virgine velata jam Christo, quæ integritatem publico testimonio professa a sacerdote prece

fusa benedictionis velamen accepit. » Hic sane locus pertinet ad professionem, quam solemnem dicimus. Pergit continuo Pontifex deque hac virgine dicit hæc: « Sive incestum commiserit furtim, seu volens crimen protegere adultero mariti nomen imposuit, tollens membra Christi, faciens membra meretricis etc. » Sane si hæc velatæ virginis conjunctio *incestum* et *adulterium*, si ipsa mulier non uxor, sed *meretrix* appellatur, manifestum est, ejus nuptias irritas judicari. Hæc de virginibus velatis, quæ publicam aut solemnem professionem emiserant, Siricius constituit; sed longe aliud habet de virginibus non velatis, quæ scilicet privatim castitatem voverant. Eas quidem pœnitentiæ subjicit, quod fidem fregerant, et *furtivam* vocat earum conjunctionem, sed eam tamen veri matrimonii ac *nuptiarum* nomine appellat. Inquit enim: « Item puella, quæ nondum velata est, sed proposuerat sic manere, licet non sit in Christo velata, tamen quia proposuit, et in conjugio velata non est, furtivæ nuptiæ appellantur, ex eo quod matrimonii cœlestis præceptum non servaverit. » Hic quidem locus meo judicio satis aperte indicat discrimen voti simplicis et solemnis, quarum alterum minus licitum, alterum vero irritum matrimonium efficit. Ex eodem hoc loco intelligimus, quam graviter errent, qui negant per quinque priora sæcula irritas fuisse nuptias illorum, qui solemniter castitatem voverant. Nam eas Siricius apertissime irritas judicat, et consentit Innoc. I *ep.* 2 *ad Victricium cap.* 12 *col.* 754 *et seq.*, quem Innoc. locum Coustantius *in notis* diligenter expendit.

(2) *Cap. 4 et seq. Qui cleric. vel voven.* Conc. Trid. *sess.* 24 *can.* 9 *de matr.* (3) *Cap. un. de Vot. in* 6.

(4) *C.* 2 *de Convers. conj.* (5) *Extrav. un. Joan.* 22 *de Vot.*

§. CXXX. Pertinet etiam ad generalia impedimenta matrimonium antea cum alia muliere, virove contractum, quod impedimentum ligamen dicitur. Nam qui obstringitur vinculo primi matrimonii novis se nuptiis obligare non potest, cum divino jure vetitum sit plures simul habere uxores (1); ideoque apud christianos novæ nuptiæ conciliari non possunt, nisi primum de conjugis morte certus nuntius allatus sit. (2).

(1) Conc. Trid. *sess.* 24 *can.* 2 *de Sacram. matrim.;* et huc spectat decretalium tit. *de Sponsa duorum.*

(2) *Cap.* 19 *de Sponsal.*

§. CXXXI. Nunc a generalibus impedimentis ad particularia veniamus. Sunt igitur qui non omnes, sed aliquas in specie nuptias inire prohibentur, atque id quinque de causis, quarum prima est cognatio, quæ triplex est, naturalis, legalis seu civilis, spiritualis. Cognatio naturalis vinculum est personarum, quæ per generationem ab eodem propinquo stipite descendunt. Stipes est ille, a quo procedunt ii, de quorum cognatione quæritur.

§. CXXXII. Distribuitur cognatio in lineas, lineæ in gradus. Linea series est personarum sanguine conjunctarum; gradus sunt intervalla harum personarum, quibus tamquam punctis linea conficitur, et quibus noscitur, quæ persona stipiti propinquior sit. Linea vel recta est, quæ genitores et genitos continet; vel transversa et obliqua, qua comprehenduntur qui ex latere conjuncti sunt. Cum hi pari gradu distant a stipite, linea transversa æqualis est; cum distant gradu dispari, nimirum alter altero remotior est, inæqualis dicitur. Ita fratres et sorores, qui æqualiter a patre distant, itemque horum filii, qui similiter paribus intervallis ab avo sejunguntur, in linea æquali sunt; patruus et fratris filius in linea inæquali versantur; quoniam alter sursum, alter deorsum fertur, et ille ad communem stipitem propius accedit.

§. CXXXIII. Jure civili una et perpetua regula, in omnibus lineis gradus numerantur, scilicet *generata persona gradum adjicit* (1), sive tot gradus, quot generationes sunt. Retinent hanc eamdem regulam sacri canones in linea recta, nisi quod generationum loco personas usurpant et ita, quot, dempto stipite, personæ sunt, totidem gradus numerant. Quare filius patri est primo gradu conjunctus, quoniam una hic generatio, sive una, dempto stipite, persona est, nepos ab avo distat secundo gradu, quoniam duæ generationes, sive duæ, sublato stipite, personæ sunt.

Sed et numerandis gradibus lineæ transversæ alia est Juris civilis, et alia canonici Juris ratio. Nam Jus civile subjicit iisdem legibus et rectam et transversam lineam; et ideo lateris utriusque generationes numerat.

(1) §. 7 *Instit. de gradib. cognat.*

§. CXXXIV. At canones tot gradus constituunt, quot personæ in uno tantum latere reperiuntur; et in linea æquali collaterales inter se sunt eo gradu, quo distant a stipite communi, in inæquali eo gradu, quo a stipite remotior distat (1). Nimirum canones ex uno latere ascendunt ad stipitem, unde collaterales originem ducunt, atque hic subsistunt; civiles leges descendunt etiam ad aliud latus, et in utroque colligunt generationes omnes, quotquot sunt, atque ex singulis singulos gradus efficiunt. Itaque secundum canones etiam cognatio collateralium incipit a primo gradu, in eoque sunt fratres et sorores; verum hic gradus jure civili secundus gradus est. Ecclesiastica illa ratio numerandorum graduum obtinet in matrimoniis, at in hereditatibus adhuc ex jure civili gradus æstimantur (2).

(1) Initio canones in numerandis gradibus lineæ transversæ Juris civilis regulam retinuisse, putat Cujacius *ad tit. de Consang. et Affin. tom.* 6 *col.* 1084 *edit. Mutin. an.* 1778. Verum est sane vetus ecclesiastica illa regula a civili distincta, eamque diserte memorat Greg. M. qui certe (utut alia quibusdam sententia sit) auctor est *ep.* 64 *ad Aug. l.* 11 *t.* 2 *col.* 1150 *ed. Paris.* 1705, quæ descripta est in *can.* 101 *cap.* 55 *qu.* 2 *et* 3. Inquit enim, *terrenam legem in Rom. rep.* nuptias consobrinorum permittere; sed ipse vetat has nuptias, tamquam in secunda generatione contractas, atque Anglis matrimonium in tertia aut quarta generatione permittit. Ergo Gregorio P. consobrini erant in secundo gradu, quæ omnino Juris canonici regula est; neque ipsis licebat nuptias inter se conciliare. Atque hac quidem ætate editum jam erat jus Justinianeum, quod nuptias inter consobrinos permittebat §. 4 *inst. de nupt.* Non enim assentior iis qui hoc Institutionum loco adjiciendam putant negantem particulam, quoniam ita sen-

sum reddidit Theophilus, qui jus expressit, quod post Justinian. in Oriente inductum est. Et certe vulgata lectio, quam veteres interpretes et glossa sequuntur, legit *affirmative;* sicut et editiones Holoandri, Russardi, Contii, Carondæ, Cujacii. Atque hoc quidem jus de nuptiis consobrinorum comprehensum Institutionibus consentaneum est Arcadii et Honorii constitutioni *in L. 19 c. de nupt.*, si integra hæc lex illorum revera est, quod negat Contius *Subseciv. lection. lib. 1 cap. 9 pag. 12 ed. Neap.* 1725, per quam legem abrogata est antiquior constitutio Theodosii M., qua vetantur inter consobrinos matrimonia. Sed de civilibus, quæ ad nuptias pertinent consobrinorum, deque illa, quam memoravi, Theodosii constitutione disputant Contius *loc. cit. lib. 2 cap. 1 pag. 19;* Jac. Gothofredus *in cod. Theodos. leg. 1 tit. 10 et leg. 3 tit. 12 lib. 3 tom. 1 pag. 330 et 341 ed. Lipsiæ* 1736; Harprechtus *in inst. l. 1 tit. 10 §. 4:* Fr. Florens, cujus ea de re peculiaris disputatio est *de nuptiis consobrin. prohib. tom. 1 pag. 589 ed. Norimb.* 1756. Nunc eo redeamus, unde discessimus: post Gregorium Zacharias P. *in can. 4 c. 35 qu. 3* similiter ecclesiastica regula utitur in numerandis gradibus cognationis; denique Alex. II *in can. 2 cap. 35 qu. 5 novum et inauditum* vocat errorem illorum, qui germanos fratres ac sorores, in secunda generatione esse asseverant, atque ait in Lateran. conc.: « Diu ventilatis legibus et sacris canonibus, deprehensum fuisse, ob aliam, atque aliam causam alteram legum fieri, alteram canonum computationem. » Quæ Alex. constitutio per se ipsa refutat Espenium *jus eccl. par. 2 tit. 13 cap. 3 n. 10,* qui ecclesiasticam illam regulam numerandi gradus sæc. XI *nondum ubique receptam, nec extra quæstionem fuisse* arbitratur. Nam eos, qui unam eamdemque esse ajebant juris utriusque regulam, Alexander *legum et canonum imperitos* vocat, et facere inquit *contra sacros canones et ecclesiasticum morem*, eorumque errorem *novum* esse et *inauditum*. Ex quibus facile intelligitur, jam ea ætate ecclesiasticam illam regulam exploratissimam ac receptissimam fuisse. Cum Espenio sentit Dom. Cavallarius *Inst. jur. can. par. 2 cap. 21 §. 8.*

(2) *Cit. can. 2 c. 35 qu. 5.*

§. CXXXV. Jam vero inter illos, qui in linea recta sunt, sive inter generantes et genitos, matrimonium esse nunquam potest, quotocumque, vel remotissimo gradu inter se distent. Natura enim ab hujusmodi nuptiis abhorremus, et officia conjugum non bene con-

gruunt cum officiis, quæ liberos parentibus tribuere oportet (1). Sed in linea transversa Jus canonicum nuptias vetat usque ad quartum gradum, gradu ipso comprehenso (2); Jus civile ad quartum quoque gradum producit interdictum suum, sed gradum ipsum excludit (3). Itaque Jus civile nuptias probat consobrinorum, quos collocat in quarto gradu. At canones improbant has nuptias, non solum quod et quartum gradum interdicto comprehendunt, sed etiam quod revera ipsis consobrini in secundo gradu sunt. (4).

(1) Ascendentium et descendentium nuptias jure ipso naturæ vetitas esse ferme inter omnes constat. At in linea transversa tantum jure ecclesiastico interdictas nuptias multi sentiunt; contra vero alii etiam primum gradum lineæ transversæ ad juris naturæ interdictum pertinere arbitrantur, quoniam naturalis pudor nuptias inter sorores et fratres vetare videtur.

(2) Olim cognationis imp. ad septimum usque gradum producebatur *can.* 1 *et* 19 *cap.* 35 *qu.* 2; Nicolaus II *decr.* 13, apud Baluzium *Miscell. sacr. tom.* 2 *pag.* 119 *edit. Lucæ* 1761. Sed cum tam late patens impedimentum sine gravi incommodo observari non posset, Innoc. III *in c.* 8 *de Consang.* illud coercuit ad quartum gradum eoque jure nunc utimur.

(3) §. 4 *Instit. de nuptiis.*

(4) Vetus est regula canonum de nuptiis inter consobrinos vetitis. Nam eam, præter Gregor. M., cujus paulo ante indicavi locum, memorat etiam conc. Agath. an. 506. *Can.* 61 *tom.* 5 *coll.* Labbei *col.* 531 *ed. Venet.;* Turon. II an. 567. *can.* 21 *tom.* 6 *col.* 544; Greg. II *decret.* 8, apud Pithœum *cod. can. eccl. Rom. pag.* 300 *ed. Paris.* 1687. Atque ea quidem ætate, uti demonstratum supra est, Jus civile consobrinorum nuptias permittebat. Abrogat tamen hoc jus ecclesia, et ita declarat jus constituendi dirimentia impedimenta ad se pertinere. Nolo autem hic omittere præclarum Ennodii Ticinensis locum ex quo patet, jam inde a V et VI sæc. (nam Ennodius obiit an. 521) omnes de matrimonio, deque cognatione controversias ad sum. Pontificem deferri consuevisse. Ipse enim *ep.* 24 *lib.* 5 *in Bibl. PP. tom.* 9 *pag.* 345 *edit. Lugd.* inquit, « Divinis tamen legibus cognationem indiculo comprehensam in matrimonio licere sociari, sine dubitatione noveritis. Sed continuo ad Urbem Romam ho-

mines meos dirigo, exacturus a venerabili Papa super hac parte responsum, ut animum vestrum potioris præcepti firmet auctoritas. »

§. CXXXVI. Præter cognationem ex sanguine, etiam civilis et spiritualis cognatio irritas nuptias facit. Civilem cognationem a Jure civili inventam probarunt atque acceperunt canones (1), eaque ex adoptione oritur, triplexque est. Prima diffunditur per lineam rectam ascendentem et descendentem, adoptantis et adoptati (2); altera obtinet in linea transversa inter adoptatum, et filias legitimas ac naturales adoptantis sub patria potestate manentes; quod impedimentum tollitur, vel soluta adoptione, vel filio emancipato, quoniam his modis solvitur vinculum, unde impedimentum oriebatur (3). Denique affinitatis similitudine oritur etiam impedimentum nuptiarum inter adoptantem et uxorem adoptati, similiter inter adoptatum et uxorem adoptantis (4).

(1) *Can.* 1 *cap.* 30 *q.* 3, *cap. unic. de Cognat. legal.* Integrum ab Jure civili ecclesia hoc impedimentum accepit, neque aliquid in eo mutavit, hinc Cujacius *in tit. decretal. de Cogn. legal. t.* 6 *col.* 1078 *ed. Mutin.* 1778 monet, nunc etiam civilem fraternitatem nuptias dirimere. (2) §. 2 *Inst. de nupt.*
(3) *L.* 55 *ff. de rit. nupt.* (4) *L.* 14 *ff. de rit. nupt.*

§. CXXXVII. Spiritualem cognationem parit Baptismus et Confirmatio (1). Vetus est ecclesiæ doctrina, qua veluti pater habebatur, qui aliquem baptismo donaverat, aut in Christo instituerat et de sacro fonte susceperat. Sed nullum inde impedimentum initio oriebatur, adeo ut ipsi parentes filios suos de fonte susciperent (2). Lapsu temporum hoc impedimentum inductum est et late etiam propagatum, adeo ut ad instar consanguinitatis et adoptionis, suscipiens ex sacro fonte ejusque filii, neque cum suscepta, neque cum ejus cognatis nuptias conciliare possent (3). Ve-

rum Tridentini Patres, quod experti didicerant, nimis late patente cognationis spiritualis impedimento, sæpe per errorem matrimonia contra jus fieri, quæ nec sine peccato stabant, nec sine offensione dirimebantur, statuerunt cognationem spiritualem tantum comprehendere suscipientem et baptizatum, hujusque patrem ac matrem; itemque baptizantem et baptizatum, atque hujus patrem ac matrem, præterea neminem. Quod jus etiam obtinet in confirmatione (4).

(1) Solum baptismum memorat Justinian. *in L. cod. de nuptiis;* conc. Trullan. *can.* 5, apud Labb. *tom.* 7 *col.* 1371 *ed. Ven.;* Nicolaus I *in can.* 1 *cap.* 30 *q.* 3. Verum confirmatione contractam cognationem ponit Conc. Compendiense an. 757 *can.* 12, apud eumdem Labb. *tom.* 8 *col.* 452, non *Vermeriense,* seu *apud Vermerias,* uti habet Gratian. *can.* 2 *cap.* 30 *q.* 1, qui quidem Compend. Concil. canon exstat etiam in capitular. Caroli M. et Ludovici Pii *lib.* 5 *cap.* 7, apud Baluz. *tom.* 1 *col.* 553 *ed. Venet.* 1772. Diserte autem Bonif. VIII *in cap.* 1 *et ult. de Cogn. spirit. in.* 6, hoc impedimentum memorat. Interim ex iis, quæ mox collegimus, monumentis intelligimus, antiquissimum esse, et multo ante quam in decretalibus describeretur, ab ecclesia agnitum ac probatum spiritualis cognationis impedimentum. Quod etiam ostendit Gregor. II *decr.* 4, apud Pithœum *loc. mox indic.*

(2) S. Aug. *ep.* 98 *ad Bonif. t.* 2 *col.* 266 *n.* 6 *ed. Ven.* 1729.

(3) Consule Gratianum *caus.* 30 *q.* 3 *et* 4.

(4) Conc. Trid. *sess.* 24 *cap.* 2 *de reform. matr.*

§. CXXXVIII. Est et alia nuptiarum prohibitio, inducta ex maris et fœminæ conjunctione, per quam duæ cognationes copulantur et inde affinitas oritur (1). Leges civiles tantum ex maritali, canones etiam ex vetita conjunctione affinitatem repetunt (2). Quod affines ab affinibus non generantur, nulli proprie gradus inter eos sunt (3). Verum exemplo cognationis, etiam affinitatis gradus recepti sunt, et ideo quo gradu quis est cognatus viro, eodem est affinis uxori et contra (4). Affinitas orta ex nuptiis matrimonium impedit

eo modo quo cognatio; perpetuo scilicet in linea recta ascendentium et descendentium, in linea transversa usque ad quartum gradum (5); orta vero ex vetita corporum commixtione tantum primum atque alterum gradum comprehendit (6). Contrahit autem affinitatem sola uxor cum viri consanguineis, et solus vir cum consanguineis uxoris; verum nulla inter utriusque consanguineos affinitas intercedit (7).

(1) Affinitas impedimentum ecclesiastica lege constitutum initio fere sæc. IV habes in conc. Neocæsar. *can.* 2, apud Labb. *tom.* 1 *col.* 1511. Hujus quoque impedimenti diserta mentio est in *can.* 61. conc. Eliber. quod habitum est an. 305, apud Labb. *t.* 1 *col.* 999. Itaque vehementer errant, qui hujus impedimenti originem repetunt a Jure civili, nimirum a *L.* 2 *cod. Theodos. de incest. nupt.*, apud Gothofredum *tom.* 1 *pag.* 337, quæ quidem lex lata est an. 355.

(2) *Can.* 10 *cap.* 35 *qu.* 2, *cap.* 8 *et* 10 *de eo qui cogn. cons. uxor.*

(3) Consule Cujac. *ad tit. de Consang. et affin. tom.* 6 *c.* 1084 *ed. cit.* (4) *Leg.* 10 *ff. de Grad. et affinit.*

(5) *Cod.* 1 *de Consanguinit. et affinit.*

(6) Conc. Trid. *sess.* 24 *cap.* 4 *de reform. matrim.*

(7) *Cap.* 5 *eod.* Jus civile vetat etiam conciliari nuptias inter vitricum et uxorem privigni, *Leg.* 15 *ff. de rit. nupt.*, verum huic legi derogatum est a Jure can. *in cap.* 8 *de Consang. et affin.*, uti ostendit Bened. XIV *de syn. diœc. lib.* 9 *cap.* 13; confer etiam Cujacium *in tit. de Consang. et affin. tom.* 6 *col.* 1085 *ed. Mutin. seu Ven.* 1778.

§. CXXXIX. Tertium particulare impedimentum est publica honestas, hoc est reverentia certis personis debita, quæ facit, ut si quis cum aliqua matrimonium ratum, non consummatum, aut etiam sponsalia contraxit, quæ certa ac pura, hoc est sine conditione, et valida sint (1), cum consanguineis uxoris usque ad quartum gradum, cum consanguineis sponsæ usque ad gradum primum, matrimonio jungi vetetur, ac si jungatur, nihil agat (2).

(1) Etiam sponsalia irrita, modo non deesset consensus, publicæ honestatis impedimentum parere, Bonifac. VIII constituit *in cap. un. de Sponsal. in* 6. Verum conc. Trid. *sess.* 24 *de ref. matr. cap.* 3, sustulit impedimentum honestatis ex sponsalibus quavis ratione nullis; quam Trident. legem tantum ad sponsalia de futuro pertinere, declaravit S. Pius V *in const. Ad Romanum* 85 *in bullar. ed. Rom. ult. tom.* 4 *par.* 3 *pag.* 18.

(2) Publicæ honestatis impedimentum tamquam recens inventum Hæretici reprehendunt, atque eorum e numero Henr. Brouwerus *de Jure connub. l.* 2 *c.* 16 plura de hoc impedimento, præter verum atque honestum, dicit atque illud primum a Bonif. VIII excogitatum putat. Verum multo ante Bonif. hujus impedimenti diserta mentio est *in can.* 14 *et* 16 *cap.* 27 *qu.* 2, quin etiam IV sæc. Siricius *epist.* 1 *ad Himer. cap.* 4 apud Coustant. *col.* 628, vetat generatim, ne quis alterius sponsam uxorem accipiat; ac plane falsum est, sicuti Juenin observat *de Sacr. diss.* 10 *qu.* 7 *cap* 9, decretum, quod ex Ben. Pontifice Brouwerus recitat. Quin impedimenti publicæ honestatis vetus origo est, non obscure expressa in Jure civili, uti late ostendit Alex. Sym. Mazochius *diatr.* 1 *in can. Eliberit.* 54 *num.* 15 *et not.* 6 *p.* 235 *et seq. edit. Romæ* 1766. Et sane laudat Vir doctus *Leg.* 12 §. 1, *Leg.* 14 §. 4, *Leg.* 42 *ff. de rit. nupt. et* §. 9 *Instit. ut de nupt.*, additque præterea Alexii Comneni constitutiones 3 et 4, apud Gothofredum *in Corp. jur. civ.*, quibus in locis de publica honestate agitur disertissime. Itaque hoc impedimentum in remotissima ecclesiæ antiquitate fixas habet radices; imo nunc etiam magna ex parte mitigatum est, cum antea quartum gradum comprehenderet, nunc a synod. Trid. coercitum sit intra primum gradum, si ex sponsalibus, intra quartum, si ex matrimonio rato procedat; tantum abest, ut conqueri Brouwerus aliique hæretici possint, inventum hoc impedimentum fuisse ambitu et cupiditate summ. Pontificum, ut suam latius jurisdictionem potestatemque explicarent.

§. CXL. Sequitur impedimentum criminis, quod duplex est, adulterium et homicidium. Adulteram nubere adultero vetat Jus civile Rom. (1); quod quidem jus initio etiam ecclesiæ fuisse videtur (2). Sed nunc adulterium tantum matrimonium dirimit, si adulter et adultera, vel eorum alter in innocentis uxoris vel mariti mortem conspiraverint, ut nuptias inter se conciliarent, vel vivo adhuc alterius conjuge, patratum

sit adulterium ac simul mutuo data futuri matrimonii fides, cum alter alterius nuptias non ignoraret (3). Homicidio quoque dirimitur matrimonium; nam si quis alterius conjugem interfecerit, nuptias inire non potest cum altero conjuge, qui superstes est, modo et ipse in hanc mortem conspiraverit (4).

(1) *Leg.* 11 §. 11, *et Leg.* 40 *ff. ad Leg. Jul. de adulter.*, *Novel.* 234 *cap.* 7 *col.* 9 *tit.* 9.

(2) *Can.* 1 *cap.* 31 *qu.* 1, qui canon a Gratiano tribuitur S. Leoni M., sed revera desumptus est ex conc. Tribur. an 895. *can.* 51, apud Labb *tom.* 11 *concil. col.* 653. Idemque habet conc. Altheimense apud eumd. Gratian. *can.* 3 *ib.* Canon autem 2 *ead. c. et q.* qui excerptus est ex S. Aug. *de nupt. et concup. cap.* 10 *tom.* 13 *col.* 355 *ed. Ven.* 1768, longe aliam, ac interpretum vulgus putat, habere significationem ostendit Sebast. Berardus *Gratiani canones etc.*, *par.* 3 *cap.* 19 *pag.* 310 *ed. Ven.* 1783. Porro solum adulterium initio irritum fecisse videtur matrimonium; sed Gratianus antiquos canones arctavit iis conditionibus, quas descripsit post *cit. can.* 3, si adulter « Nihil in mortem viri machinatus fuerit, vel si vivente viro fidem adulteræ non dedit, se sumpturum eam sibi in conjugem, si viro ejus superviveret. » Jus idem hoc constitutum est in *cap.* 6 *et pen. de eo qui dux. in matrim. quam polluit per adulter.* Conditiones illas a Gratiano descriptas minime necessarias habuisse videtur Alex. III *in cap.* 1 *eod.*, uti intelligitur ex eo, quod utitur verbo *maxime*, sed eas ut necessarias agnovit Innoc. III *in d. cap.* 6. Quare simplex adulterium sine conspiratione in conjugis necem, aut sine data matrimonii fide dirimens impedimentum nod inducit. Confer Bened. XIV *in Const. Redditæ* 113 *tom.* 1 *bullar.* §. 15 *et seq. pag.* 279 *ed. indic.*

(3) *Cap.* 1 *et* 7 *de eo qui dux. in matr. quam polluit per adult.*

(4) *Cap.* 1 *de Convers. infidel.*

§. CXLI. Cultus disparitas matrimonio jungi vetat baptizatos et non baptizatos. A primis ecclesiæ sæculis semper interdictæ fuerunt christianorum nuptiæ cum Judæis et Infidelibus, quoniam eas contrahere idem videbatur, *ac prostituere membra Christi cum gentibus* (1). Verum christiani, qui tales nuptias con-

ciliabant, tantum violatæ disciplinæ rei erant pœnisque subjiciebantur; at nulla ecclesiæ lex erat, quæ illas infirmaret. Quin talium nuptiarum occurrunt exempla celeberrima, qualia sunt S. Monicæ et S. Clotildis, quarum altera Patricium, altera Clodovæum Francorum regem, utrumque ethnicum virum habuit. Postremo consuetudine, ut videtur, inductum ac lege ecclesiastica sancitum est, ut fidelium conjugia cum infidelibus irrita habeantur (2). Matrimonia catholicorum cum hæreticis improbat ecclesia, sed ea tamen consistunt; quin etiam interdum a sede Apostolica ex justa causa certisque adjectis legibus permittuntur (3).

(1) S. Cypr. *de Laps. pag.* 88 *ed. Amst.* 1700. Vide etiam conc. Eliber. *can.* 15, 16, 17, *col.* 252 *tom.* 1; Chalced. *can.* 14 *col.* 606; Agath. *can.* 67 *col.* 1005 *tom.* 2 *coll.* Hard., et Gratian. *tot. c.* 28 *p.* 1. Neque cum infidelibus solum, sed etiam cum hæreticis catholicorum matrimonia damnat Ambr. *in can.* 15 *c.* 28 *qu.* 1; Syn. Aghatensis *in can.* 16 *loc. cit.* misceri vetat connubia cum hæreticis « Nisi profiteantur christianos esse futuros et catholicos. » Jus græcorum in iis matrimoniis constitutum explicat Syn. Trullana *can.* 72, quem in locum vide Balsamonem et Zonaram apud Bevereg. *pand. can. tom.* 1 *pag.* 241 *seq., ed. Oxon.* 1672.

(2) In sacris litteris nihil est, ex quo necessario inferri debeat, jure divino ac præcepto positivo vetita esse fidelium cum infidelibus matrimonia; secluso subversionis periculo, quia tunc quilibet omni jure hujusmodi conjugium inire prohibetur. S. Aug. *lib. de fid. et oper. cap.* 19 *tom.* 11 *col.* 550 *ed. Ven.* 1767, S. Cyprianum inter malos christianorum mores recensere testatur « Jungere cum infidelibus vinculum matrimonii, » quod nihil aliud esse asserebat, « Quam prostituere gentilibus membra Christi; » « Quæ nostris temporibus, pergit ipse Aug., jam non putantur esse peccata, quoniam revera in N. T. nihil inde præceptum est; et ideo aut licere creditum est, aut velut dubium derelictum. » Quod etiam confirmat *de Conjug. adult. lib.* 1 *cap.* 25 *tom.* 8 *col.* 1746. « Non enim, inquit, tempore testamenti revelati novi, in Evangelio vel ullis Apostolicis litteris, sine ambiguitate declaratum esse recolo, utrum Dominus prohibuerit fideles cum infidelibus jungi. » Itaque, hoc impedimentum ex vetusta consuetudine ac lege ecclesiæ videtur repetendum. Con-

sule Tournelyum *Præl. theol. de sacram. matrim. q.* 2 *art.* 2, et Juenin *de Sacram. diss.* 10 *qu.* 7 *cap.* 6 *art.* 2.

(3) Late ea de re agit Bened. XIV *in Const. Matrimonia* 34 *tom.* 1 *bullar. pag.* 55, *et in Const. Magna* 51 *tom.* 2 *pag.* 247 *ed. laud.*, ubi etiam antiquiores Summ. Pontificum constitutiones indicantur.

§. CXLII. Caput alterum impedimentorum, uti supra diximus, error est. Non omnis error, qui in nuptiarum contractum incidit, eas irritas facit, sed ille, qui *personæ* dicitur, cum videlicet is, cum quo contrahitur, alius revera est ab eo, qui creditur (1). Quod naturali rationi consentaneum est, cum in id, quod ignorat, consentire nemo possit. Error, qui dicitur *fortunæ* aut *qualitatis*, nihil officit, cum non pertineat ad vim intimam, sive ad substantiam contractus (2); nisi error qualitatis in personam redundet (3). Itaque valent nuptiæ, cum quis uxorem accepit inopem, ignobilem, inelegantem, quam divitem, nobilem, elegantem putabat.

(1) *Tot. caus.* 29 *q.* 1.
(2) *Cap.* 26 *de spons. et matrim.*, *Leg.* 9 *ff. de contr. empt.*
(3) Confer. S. Th. *in* 4 *Sent. dist.* 29 *et* 30 *q.* 1 *art.* 2 *ad* 3.

§. CXLIII. Sed et ignorata quoque servilis conditio nuptiis impedimento est; et ideo non valet matrimonium ab homine libero contractum cum ancilla, quæ libera habebatur (1). Civiles leges nullas servorum nuptias, sed tantum contubernia agnoverunt (2); et canones initio desiderasse videntur consensum dominorum, ut nuptiæ illæ ratæ firmæ haberentur (3). Sed nunc valent matrimonia servorum, etiam invitis dominis, contracta (4); et valet etiam matrimonium liberi hominis cum ancilla, modo ipse ejus servitutem non ignoraverit (5).

(1) *Cap. ult. de Conjug. servor.*
(2) *Leg.* 3 *C. de Incest. et inutil. nupt.* Consule Harprechtum et ceteros interpretes *in tit. Instit. de nupt.*
(3) *Can.* 8 *cap.* 29 *q.* 2. (4) *Cap.* 1 *de Conjug. serv.*
(5) *Can.* 2, 4 *et seq. c.* 29 *qu.* 2, *cap. de Conjug. serv.* Espenius, cujus mira in figendis epochis confidentia est, cum pari rerum ignoratione conjuncta, *Jus eccl. par.* 2 *tit.* 13 *c.* 3 *num.* 9, affirmare non dubitat, Gratianum nixum falso decreto Julii P. in *can.* 1 *cap.* 20 *q.* 2, primum adhibuisse distinctionem *inter scienter et ignoranter cum personis servilis conditionis contrahentes;* eam accepisse Summos P. P. cum ea de re decretales ediderunt, atque ita inductum fuisse hoc impedimentum « Restrictum ad casum, quo circa conditionem servilem error intervenisse probatur. » Sed ut paucis me expediam atque hominis errorem patefaciam, dabo concilia duo, quæ multo antiquiora Gratiano sunt, scilicet Vermeriense, quod anno 752, et Compendiense, quod anno 757 habitum est. Duobus his conciliis proponitur disertissime ea distinctio, quam Espenius a Gratiano excogitatam putat. En Vermeriensis conc. verba *can.* 13 apud Labb. *tom.* 8 *col.* 408 : « Qui scit uxorem suam ancillam esse et accepit eam voluntarie, semper postea permaneat cum ea. » Clariora sunt etiam Compendiensis conc. verba *can.* 5 *col.* 421 *ib.* : « Si Francus homo accepit mulierem, et sperat quod ingenua sit, et postea invenit quod non est ingenua, dimittat eam, si vult, et accipiat aliam. Similiter si fœmina ingenua, accepit servum, et sciebat tunc quod servus erat, habeat interim quo vivit. Una lex est de viris et fœminis. » Habes hic disertissime propositum explicatumque discrimen *inter scienter et ignoranter cum personis servilis conditionis contrahentes.* Eadem jurisprudentia est in capitularibus regum Francorum *lib.* 5 *c.* 20 *tom.* 1 *col.* 554 *ed. Baluzii Ven.* 1772, eadem apud Burchard. *lib.* 9 *cap.* 27, et eadem apud Ivonem *par.* 8 *cap.* 52 *et* 65. Vides igitur Espenii errorem; sed et aliis similibus atque gravioribus refertum est indigestum illud opus, quod equidem non intelligo, quomodo a quibusdam tantopere laudari possit.

§. CXLIV. Postremum caput impedimentorum pertinet ad formam atque rationem, qua nuptiæ conciliantur. Principio nullum est matrimonium, quod vi adhibita illatoque metu contractum fuit; cum omnem consensus libertatem postulet nuptialis consociatio, quæ semel rite inita amplius dissolvi non potest. Verum

ut vis, indeque ortus metus irritum matrimonium faciat, debet esse gravis, et quo vir fortis et constans afficiatur (1); præterea ab homine injuste illatus esse debet, quia si quem Judex metu pœnarum cogat nubere puellæ, cui stuprum intulit, justus hic metus est a legis imperio procedens et ideo nuptiæ consistunt (2). Est autem Judicis metum expendere, gravisne sit, an levis et inanis (3); ac sæpe novo liberoque consensu convalescit matrimonium, quod irritum metus fecerat (4).

(1) *Cap.* 6, 15 *et* 28 *de Sponsal., cap.* 2 *de eo qui dux. in matrim. quam pol. per adulter.*

(2) *Cap.* 1 *de Adult. et stupr., cap.* 10 *de Spons. et matrim.*

(3) Consule Fagnan. *in c. Consultationi de Sponsal. n.* 12.

(4) *Cap.* 21 *de Spons. et matr.* Vide etiam Fagn. *in c. Is qui* 30 *de Spons. n.* 14, ubi habes ea de re editam a S. Pio V declarationem.

§. CXLV. Eadem est causa raptus, qui vetat consistere matrimonium, quod inter raptorem et raptam contractum fuit. Mulier enim per vim abducta, ac raptoris imperio aspectuque truci perterrita, non videtur sponte in nuptias consentire. Atque antiquis quidem legibus nunquam ipsa raptori matrimonio conjungi poterat (1), sed nunc potest, si a raptore separata atque in loco tuto constituta libere assentiatur, quia procul est metus, qui suum mulieri arbitrium et liberam voluntatem adimebat (2).

(1) *Can.* 11 *c.* 36 *q.* 2. Vide etiam cod. Theodos. *lib.* 9 *tit.* 24 *de raptu virgin. vel viduar., L.* 1 *et L. unic. cod. Justinian. eod. tit.*, et capitularia regum Franc. *lib.* 6 *cap.* 69 *tom.* 1 *col.* 627 *edit. Baluzii Ven.* 1752; Conc. Chalced. *can.* 27 *tom.* 4 Labbei *col.* 1691 *ed. Ven.* « Eos, qui nomine conjugii mulieres rapiunt, vel opem ferunt, ac consentiunt iis, qui rapiunt, si sunt quidem clerici proprio gradu excidere *jubet;* sin autem laici, anathematizari. »

(2) Conc. Trid. *sess.* 24 *cap.* 6 *de refor. matr.., cap.* 7 *de raptor.* Certum porro est raptum violenter patratum dirimens

impedimentum inducere; sed non ita exploratum omnibus est, num idem impedimentum oriatur etiam ex raptu *seductionis*, ut vocant, cum scilicet mulier dolo aut illecebris decepta est. Affirmant Tournelyus *præl. theol. de Sacr. matr. qu.* 8 *art.* 1; Collet *Inst. theolog. tom.* 9 *tr. de Matrim. cap.* 7 §. 2, et alii præsertim ex gallicis scriptoribus; sed alii tamen negant, et horum opinionem *communiorem* vocat Giraldus *expos. Jur. Pontif. par.* 1 *sect.* 840 *pag.* 668. Illud animadvertere oportet, raptum, qui patratus est, non tantum consentiente, sed etiam postulante et suadente puella, impedimento non esse, quominus raptor cum ea contrahat matrimonium, sicuti a Sac. Congr. conc. responsum fuisse testatur Giraldus *loc. cit., et par.* 2 *sect.* 123 *pag.* 999.

§. CXLVI. Turpes et iniquæ conditiones faciunt irritum matrimonium, modo ejus bono adversentur. Ita si quis nubat adjecta lege, ut mulier suum corpus in quæstum conferat, ut partum abigat, ut matrimonium dissolvatur, faciunt hæ conditiones, ut nulla vis matrimonii sit (1). Ceteræ conditiones, licet turpes et iniquæ sint, modo cum matrimonii bono non pugnent, haud illud vitiant, sed potius ipsæ vitiantur ac despiciuntur, quasi adjectæ non fuerint (2).

(1) *Cap.* 7 *de Condit. opposit.* (2) *Cap.* 1 *eod.*

§. CXLVII. Denique irritum est matrimonium non contractum *in facie ecclesiæ;* quod clandestinum dicitur. Hujusmodi matrimonia etiam ante synodum Trid. prohibuit ecclesia, quæ semper exegit præsentiam parochi ac testium, sed ea pridem subjiciebat pœnis, non item infirmabat (1). Concilium Trid. cum adverteret ad damna gravissima, quæ ex his matrimoniis oriebantur, ea irrita declaravit (2); et ideo nunc nuptiæ non valent, nisi coram proprio parocho, aut alio, vel ejus episcopi mandato, sacerdote, ac duobus tribusve testibus concilientur (3). Quod non pertinet ad eas regiones, in quibus Trid. concilium receptum non est; nam ibi adhuc valent clandestina

matrimonia, nisi quis tantum ut clam nuberet, eo se contulerit, relicto loco, in quo Tridentina lex obtinebat (4). Quod attinet ad ea matrimonia, quæ temere sunt contracta, omissis tribus denuntiationibus (5), ea vetita quidem et minus honesta, non tamen irrita sunt.

(1) Disputat ea de re accurate et copiose Bened. XIV *de syn. Diœc. lib.* 8 *cap.* 12.

(2) Conc. Trid. *sess.* 24 *de reform. matr. cap.* 1. Consule Pallav. *hist. conc. Trid. l.* 22 *cap.* 4 *et l.* 23 *cap.* 9, ubi accurate explicatum habes, quam diligenter expensa sint omnia, antequam illud evulgaretur decretum, quo clandestina matrimonia irrita declarata sunt.

(3) Modo autem parochus præsens sit, atque id, quod agitur, intelligat, matrimonium valet, etiam si casu repertus, aut aliam ob causam vocatus sit. Vide Bened. XIV *de syn. diœc. lib.* 13 *cap.* 23, ubi et alia multa habes, quæ ad hanc rem pertinent. Confer etiam Schmalzgrueber *Jus eccl. univ. lib.* 4 *tit.* 3 §. 3, ubi etiam late ostenditur, qualis et quomodo parochus præsens esse debeat. Similiter necesse non est, quod testes expresse sint vocati, ut præsentes matrimonio sint, sed etiam testes casu reperti apti et idonei sunt. Consule Schmalzgr. *loc. cit.* §. 5 *num.* 234 *et seq.*

(4) Vide Ben. XIV *loc. cit. l.* 13 *cap.* 4 *num.* 10, ubi habes declarationem ea de re editam a Sac. Congr. concilii, quam Urbanus VIII confirmavit.

(5) Vetus est lex ecclesiæ, confirmata a synodo Trid. *sess.* 24 *cap.* 1 *de ref. matr.*, per quam omnium matrimonia, antequam conjungantur, tribus continuis diebus festis in ecclesia publice inter missarum solemnia nuntianda sunt, ut ita, si quod forte latet impedimentum detegatur. Concil. Lateran. in *cap.* 3 *de Clandest. despons.* hæc edicta, sive denuntiationes repetit ex speciali nonnullorum locorum consuetudine, quam ubique servandam esse constituit. Cujacius in *cap.* 27 *de sponsal., et in cap.* 31 *de Clandest. despons. tom.* 6 *col.* 1041 *et* 1055 *edit. Maurin.* 1778, præsertim apud Gallos hujusmodi consuetudinem viguisse tradit; sed eadem revera et in aliis locis obtinebat. Nam illas in Papiensi ecclesia adhibitas testatur Gonzalez *ad cap.* 17 *verb. Bannis de Sponsal.*, et in Africa etiam usitatas fuisse, ex Tertull. monet Bœhmerus *ad cap.* 3 *n.* 21 *de Clandest. despons.*; quinimo a primæva apostolorum institutione eam semper fuisse

disciplinam, ut nuptiæ non clam, sed publice in facie ecclesiæ coram testibus, et de episcopi sententia conciliarentur, facile colligitur ex S. Ignatio *ep. ad Policarpum n.* 5, apud Coteler. *PP. Apost. tom.* 2 *pag.* 4 *ed. cit.*, et Tertull. *l.* 2 *ad Uxor. n.* 8, *et de Pudicit. num.* 4 *pag.* 171 *et* 557 *ed. Ven.* 1744. Eadem est disciplina *in can.* 2 *cap.* 30 *qu.* 5, quem canonem exemplo Burchardi et Ivonis, Hormisdæ P. falso Gratianus adscribit; eadem in capitularibus regum Franc. *lib.* 6 *cap.* 133 *et lib.* 7 *cap.* 179 *tom.* 1 *col.* 632 *et* 709 *ed. Baluzii Ven.* 1772, et in canonibus Isaac episc. Lingonensis *tit.* 5 *c.* 6, apud Labb. *t.* 10 *col.* 46 *ed. Venet.* Quanta vero sit harum denuntiationum utilitas, ipsi etiam protestantes noverunt, qui eas suis legibus pluries confirmarunt, uti ostendunt Menckenius *de omiss. proclam. sacerd. Thes.* 1, et Bœhmerus *Jur. paroch. sect.* 4 *c.* 3 §. 2.

SECTIO X.

De Impedimentis impedientibus.

CXLVIII. Antiqua impedimenta impedientia plura numero. | CXLIX. Hodie quæ sint?

§. CXLVIII.

Impedimenta impedientia esse diximus, quæ contractum matrimonium non dirimunt, sed tantum contrahendum impediunt. Sunt igitur cum his impedimentis minus laudabiles et minus honestæ nuptiæ, irritæ vero non sunt. Magnus olim horum impedimentorum numerus. Nam reus gravioris criminis, et qui publicam agebat pœnitentiam a nuptiis arcebatur (1); nec puellæ nubere poterat, qui eam ad christianam religionem instituerat, qui patrinus catechismi dicebatur.

(1) *Can.* 5, 12 *et seq.*, *cap.* 33 *q.* 2, *c.* 2 *de pœn. et remiss.*

§. CXLIX. Nunc impedimentis impedientibus irretiti sunt sponsi, qui cum sibi futuras nuptias promiserunt, nequeunt fidem fallere, et cum alio aliave inire matrimonium; filiifamilias, qui sine parentum consensu nubere prohibentur (1); obstricti voto simplici castitatis, quale est votum extra sacros ordines, aut extra religiosam professionem emissum; ignorantes elementa christianæ religionis (2); catholici conjungentes nuptias cum hæreticis (3); nubentes omissis denuntiationibus, aut extra tempus permissum, hoc est a prima Dominica Adventus usque ad diem Epiphaniæ, et a feria quarta Cinerum usque in octavam Paschatis *inclusive*, ut ajunt; quo toto temporis cursu publicæ ac solemnes nuptiæ interdictæ sunt (4); vetiti a summo Pontifice (5), vel ab episcopo, aut parocho certas inire nuptias ob latens impedimentum, quod subesse creditur, donec ejus suspicio removeatur (6).

(1) Conc. Trid. *sess.* 24 *de ref. matr. cap.* 1. Qua in re Jus canonicum abrogat Jus civile, quod parentum consensum necessarium statuit ad vim matrimonii *Inst. de nupt. in princ. L.* 2, 10, 11, *ff. de rit. nupt. Leg.* 7, 12, 20, *cod. de nupt.* Sed obstat locus Pauli JC. *recept. senten. lib.* 2 *tit.* 19 *num.* 2; qui etiam ex Jure civili valere inquit matrimonia, quæ a filiisfamilias sine parentum consensu contracta sunt. De hoc Pauli loco multæ sunt doctorum virorum Cujacii, Gothofredi, Vinnii, Grotii interpretationes, quas vide apud Ant. Schultingium *ad eumd. loc. num.* 6 *Jurispr. vet. ante Justinian. tom.* 1 *pag.* 300 *ed. Lips.* 1737, et Mazochium *in diss. Muscettulæ de sponsal. et matrim. dub.* 1 *not.* 5 *p.* 21 *ed. Romæ* 1766. Ecclesia autem, cujus tantum ea in re leges sequi debemus, hæc quidem matrimonia inita a filiisfamilias, contra reverentiam, qua eos prosequi decet parentes suos, semper detestata est, sed ea tamen rata firma habet. Multi putant Gallos eo jure uti, ut apud ipsos parentum dissensus impedimentum dirimens inducat. At longe alia Gallis plerisque mens est, ex quorum sententia defectus patrii consensus secundum mentem regum Christianissimorum *non attingit contractus substantiam, sed tantum effectus civiles*, uti ex Juenino tradit Mazochius *loc. cit. not.* 12 *pag.* 30. Argumentum hoc late et diligenter pertractavit Fr. M. Muscettula peculiari diss. de *sponsa-*

libus et matrimoniis, quæ a filiisfamilias contrahuntur parentibus insciis, vel juste invitis, quam dissertationem Mazochius doctis copiosisque notis illustravit.

(2) Consule rituale Rom. *tit. de matrim.;* S. Carol. Borrom. *in conc. provinc. Mediolan. V par.* 3 *act. eccl. Mediol. par.* 1 *pag.* 287; Ben. XIV *const. Etsi minime* 42 §. 11 *tom.* 1 *bullar. pag.* 68 *ed. cit., et de syn. diœc. lib.* 8 *cap.* 14.

(3) Conc. Laodic. *can.* 10 *tom.* 1 *coll.* Hard. *col.* 784 *can.* 16 *cap.* 28 *qu.* 1 *cap.* 14 *de Hæret. in* 6*;* Ben. XIV *const. Matrimonia* 34 §. 3 *tom.* 1 *bullar. pag.* 53. Quemadmodum autem, et quibus legibus interdum a sede Apostolica catholicorum cum hæreticis matrimonia permittantur, late explicat Bened. XIV *cit. const.* 34, *et const. Magnæ nobis* 51 *pag.* 247 *tom.* 2. Confer etiam eumdem Ben. XIV *de syn. diœc. lib.* 6 *cap.* 5, 6 *et* 7, ubi de matrimoniis, quæ inter catholicos et hæreticos, quæque inter hæreticos contrahuntur, late disseritur.

(4) *Can.* 8 *et* 11 *cap.* 33 *q.* 4*;* Conc. Trid. *sess.* 24 *de refor. matr. cap.* 10. Vide etiam Fulg. Ferrandum *in Breviar. canon. num.* 210, et Cresconium *in Breviar. can. cap.* 188, utrumque apud Pithœum *cod. canon. eccl. Rom. pag.* 313 *et* 323. Multiplex autem erat olim hoc tempus, quo publicas ac solemnes nuptias inire non licebat, uti patet ex *can.* 10 *caus. et qu. cit.*, quem canonem Gratianus tribuit conc. Salegunstadiensi *can.* 3, apud Labb. *tom.* 11 *col.* 1151 *ed. Venet.* Sed nunc a conc. Trid. ita, uti diximus, arctatum est. Hoc autem tempore tantum publicas ac solemnes nuptias vetitas, non item vetitum esse matrimonium, quod sine solemnitate conjungitur, omnes plerique sentiunt. Quare non datur solemnis benedictio, neque item celebratur missa *pro sponso et sponsa*, in qua eadem benedictio tribuitur, neque sponsa solemniter in viri domum traducitur, neque demum ceteræ solemnitates peraguntur. Confer Cabassutium *Jur. can. theor. et prax. lib.* 3 *cap.* 20 *n.* 8, et Ben. XIV *Inst. eccl.* 80 *n.* 3 *seq.*

(5) Sum. Pontifex, cum matrimonium vetat, etiam clausulas adjungere potest, per quas irritum fiat, si contrahatur *cap.* 4 *de Spons. duor.* Episcopi et parochi interdictum tantum impediens impedimentum inducit, donec in latens malum et impedimentum inquiritur.

(6) *Cap. ult. de clandestin. desponsat.*, *cap.* 1 *et* 3 *de matr. contract. contr. interdict. eccles.*

SECTIO XI.

De Divortiis.

CL. Quid divortium et repudium?
CLI. Quomodo solvatur matrimonium consummatum?
CLII. Quomodo ratum?
CLIII et CLIV. Quibus de causis tori separatio fiat?
CLV et CLVI. Quomodo et quibus solemnitatibus expedienda sit?

§. CL.

Matrimonium interdum solvi contingit, idque duobus modis, vel quoad ipsum vinculum, quo conjuges obstricti tenentur, vel tantum quoad torum et mutuam habitationem. Jure Romano ipsa vinculi solutio divortium dicitur, et hoc facit potestatem novas ineundi nuptias, cum primæ solvuntur. Differt divortium a repudio, quod hoc et in uxorem et in sponsam cadit, illud tantum in uxorem; quoniam non recte dicitur sponsa divertere, cum divortium ex eo dicatur, quod in diversas partes eunt, qui discedunt (1). Jure canonico et ipsa vinculi nuptialis solutio, et separatio tori atque habitationis, quæ fit integro vinculo, divortium appellatur.

(1) *Leg.* 101 *ff. de verb. significat.* Consule Philippum Vicat *Vocab. jur. verb. Divortium.*

§. CLI. Nuptiale vinculum difficilius solvitur, si consummatum, facilius, si nondum consummatum matrimonium sit. Consummati matrimonii vinculum solvit mors naturalis conjugis, quo vita functo alias nuptias inire licet (1), et conversio conjugis infidelis; si nimirum alter adhuc infidelis sit atque ab illo dis-

cedat, aut ejus mora injuriam religioni afferat, ac peccandi occasionem præbeat (2). Quod si conjugi, qui Christi fidem amplexus est, molestus non sit infidelis, divortium fideli non conceditur, ut nimirum alter alterius salutem procuret. Separato autem conjugio per christianam religionem ab altero susceptam, si deinceps etiam infidelis christianus fiat, antequam alter novas nuptias conciliet, matrimonium redintegratur (3). Verum matrimonii vinculum non solvitur, si duo fideles conjugio juncti sint, atque alter eorum a fide discedat (4).

(1) I *ad Cor. VII v.* 39. Non defuerunt hæretici, Montanistæ atque alii, qui contra ecclesiæ doctrinam secundas nuptias vetitas dixerunt. Confer Juenin *de Sacram. diss.* 10 *q.* 4 *c.* 1 *a* 2.

(2) 1 *ad Cor. VII v.* 13 *et seq., can.* 4 *et seq. c.* 20 *q.* 1, *cap.* 7 *de divort.* Monendus est autem conjux infidelis, num et ipse Christi religionem amplecti velit, antequam hoc matrimonium dissolutum habeatur. Consule, qui ea de re copiose disputat, Ben. XIV *de syn. diœces. lib.* 13 *c.* 21 *n.* 3 *et seq.*

(3) *Cap.* 8 *de Divort.* (4) *Cap.* 7 *eod.*

§. CLII. Ratum matrimonium, præter alterius obitum, et infidelis conjugis conversionem, solvitur etiam auctoritate summi Pontificis, qui ea tamen uti non solet, nisi causa cognita (1), et religionis professione. Nam ut conjuges de meliori proposito deliberent, postquam matrimonium contraxerunt, non eo statim uti coguntur, sed habent duos menses; a quo temporis intervallo si eorum alter religionem ingrediatur in eaque professionem emittat, ita solvitur matrimonium, ut conjugi relicto suo lubitu liceat alias nuptias conciliare (2).

(1) Confer Ben. XIV *loc. cit. num.* 4, et vide etiam ipsius *Const. Dei miseratione* 33 §. 15 *tom.* 1 *bullar. pag.* 52 *cit., ed.*, ubi declaratur, quomodo et quo ritu matrimonium ratum a sede Apost. dissolvatur.

(2) *Cap.* 2, 7, 14 *de Convers. conjug.* Conc. Trid. *sess.* 24 *can.* 6 *de Matrim.* Tridentinum hunc canonem et pontificias illas

leges, quibus statutum est matrimonium ratum, non consummatum dirimi per solemnem religionis professionem, carpere ausus est Petrus Suavis, sive Paulus Sarpius, aut M. Ant. de Dominis, quisquis sit auctor historiæ Concilii Trid. Sed omnia hujus scriptoris commenta et sophismata, præter ceteros, solide graviterque refutavit Carol. Blaschus *diatrib. 4 pag.* 205 *seq.* Vide etiam Tournelyum *Prælect. theol. de Sacram. matr. q.* 5 *art.* 2.

§. CLIII. Tori, seu habitationis separatio minorem quoque habet difficultatem; quoniam et mutuo consensu conjugum, et altero invito fieri potest. Mutuo consensu fit, cum uterque conjux castitatem vovet, aut approbatam religionem profitetur (1). Altero autem invito plures sunt divortii causæ; nimirum si alter conjugum in hæresim, aut in idololatriam prolabatur (2); si ea conjunctio peccatum parere, aut disjunctio emendationem afferre possit (3); si gravem in uxorem sævitiam maritus adhibeat (4); si alter conjugum adulterium, aut infandæ veneris scelus commiserit (5).

(1) *Cap.* 1 *et* 4 *de Convers. conjug.* Qua in re illud decet animadvertere, non cogi uxorem religiosam professionem emittere, cum in ea ætate est, ut sine suspicione in communi hominum societate versari possit, modo extra religionem castitatem voveat, cogi autem omnino, cum florens ætas facit huic suspicioni locum.

(2) *Cap.* 2, 6, 7 *de Divort., can.* 5 *cap.* 28 *qu.* 1.

(3) *Cap.* 2 *de Divort., cap.* 3 *de Adulter.*

(4) *Cap.* 8 *et* 13 *de Restit. spoliat., can.* 6 *cap.* 31 *qu.* 1. Verum si maritus caveat de non vexanda uxore, neque tanta sit ejus sævitia, ut non satis caveri posse videatur, eam ob causam tori separatio non conceditur.

(5) Quin debet maritus uxorem adulteram, nisi pœnitentiam egerit, ab se removere *can. 4 et* 5 *cap.* 32 *qu.* 1, sed post actam pœnitentiam eam recipere potest *can.* 7 *eod., cap.* 3 *de Adulter.* Vide etiam Hermam pastorem *lib.* 2 *Mandat.* 4, apud Cotelerium *PP. apost. tom.* 1 *pag.* 87 *ed. Amst.* 1724.

§. CLIV. Verum propter adulterium separatio non permittitur, si mulier invita fuerit compressa (1); aut

vir deceptus, quod aliam mulierem uxorem putaverit (2); vel si uterque conjux ejusdem criminis reus sit (3); vel si vir aut opera, aut hortatu causa adulterii fuerit (4), vel si crimen remiserit uxori, cum qua concubuerit, licet ejus culpam non ignoraret (5).

(1) *Can.* 3 *c.* 32 *qu.* 5. (2) *Can.* 6 *c.* 34 *qu.* 1 ibique Glossa.
(3) *C.* 6 *et* 7 *de Adult.* (4) *C.* 6 *de Eo qui cogn. consang. uxor.*
(5) *Can.* 4 *c.* 32 *qu.* 1.

§. CLV. Quæcumque autem fuerit causa, non proprio arbitrio, sed re primum diligenter cognita, et ecclesiastici judicis sententia conjuges separantur (1). Quod faciendum in primis est, cum agitur de vinculo matrimonii, quod non facile nec temere dirimendum est. Quare ob impedimentum dirimens, matrimonium solutum haberi non potest, nisi primum ea de re sedulo quæsierit Judex ecclesiasticus (2), atque edita sententia solutum declaraverit.

(1) Confer Ben. XIV *de syn. diœces. lib.* 9 *cap.* 9 *num.* 4.
(2) Concil. Trid. *sess.* 24 *cap.* 20 *de reform.* matrimoniales causas episcopi judicio commisit, prælatis inferioribus generatim exclusis. Hinc Ben. XIV causas matrimoniales eorum, qui subsunt capitulo Veronensi, non ab ipso capitulo, sed ab episcopo Veronensi judicandas esse decrevit *in const. Regis Pacifici* 59 §. 29 *tom.* 4 *bullar. pag.* 285 *ed. Rom. seu Ven.* 1758; quemadmodum et similes causas non ab abbate Cryptæ Ferratæ loci ordinario, sed ab episcopo Tusculano cognosci voluit *in const. Inter multa* 33 §. *Tertium, tom.* 2 *pag.* 170.

§. CLVI. Quod judicium certo ritu expediendum est, ne quid in re gravissima inconsiderate ac negligenter fiat. Nimirum in omnibus his controversiis publicus matrimonii defensor esse debet, sive uterque conjux, sive alter tantum solutionem postulet, eoque citato gerenda sunt omnia, ut judicium valeat. Si Judex ratum firmum habendum esse definiverit matrimonium, neque quis ab ea sententia appella-

verit, etiam matrimonii defensor abstinere se a judicii progressu debet; verumtamen ejus est provocare ad judicem superiorem, cum sententia contra vim matrimonii lata est. Altera sententia si matrimonium similiter irritum declaretur, necesse non est longiori judicio experiri, et tunc eo finito conjuges, qui interim, dum fervebat judicium, novas nuptias inire prohibebantur, ad eas transire libere possunt. Semper tamen integrum est, etiam postquam duabus sententiis infirmatum est matrimonium, redintegrare judicium, quoniam hæ sententiæ vim numquam accipiunt rei judicatæ (1).

(1) Cuncta hæc, quæ pertinent ad cognoscendas causas matrimoniales, earumque judicia expedienda, accurate lateque explicantur a Ben. XIV *in const. Dei miseratione* 23 *tom.* 1 *bull. pag.* 49 *ed. indic.;* quam constitutionem ipse Ben. memorat *in Const. Si datum* 47 *tom.* 2 *bullar. pag.* 236, *et in Const. Etsi matrimonialis* 51 *tom.* 4 *pag.* 213.

TITULUS XIII.

De Indulgentiis et Remissionibus.

I. Indulgentiarum fons et effectus.
II. Indulgentiæ plenariæ, vel partiales.
III. Earum concedendarum potestas penes ecclesiam.
IV. Variæ earum species.
V. Indulgentiæ pro vivis et defunctis.

§. I.

Habet ecclesia thesaurum inexhaustum, conflatum ex infinitis Christi meritis Sanctorumque satisfactio-

nibus (1), unde depromit Indulgentias, quibus remittit pœnas temporales, quas pœnitentes subire et quibus sua scelera expiare debent. Sacramentalis absolutio veniam peccati tribuit, Indulgentiæ reum criminis liberant a pœnis temporalibus, in quas æternæ vi sacramenti commutantur (2). Utraque potestas a Christo data ecclesiæ est (3), et ea usus Apostolus veniam peccati dedit et pœna solvit Corinthium, quem pridem ab ecclesia ejecerat (4).

(1) *Extrav.* 2 *de Pœn. et remiss. int. Comm.* Vide etiam Ben. XIV *in Const. Peregrinantes* 17 §. 4 *t.* 3 *bullar. pag.* 75.

(2) Non desunt Theologi, qui per indulgentias tolli posse peccata venialia, etiam quoad culpam, existimant, sed hæc valde dubia sententia est, neque sanæ theologiæ rationibus convenit, quod ostendunt Passerinus *de indulg. q.* 7 *n.* 82, et Theodorus a Spiritu S. *eod. tract. tom.* 1 *cap.* 5 §. 1. Hinc si quæ occurrunt indulgentiarum formulæ, quibus quis *a culpa et a pœna* liberari dicitur, eæ vel falsæ haberi debent, uti monet Ben. XIV *de syn. diœces. lib.* 13 *cap.* 18 *n.* 7, vel tribuendæ sunt eleemosynariis quæstoribus, quos increpat Clemens V *in Clem. de Pœnit. et remiss.* Si quæ autem reperiuntur indulgentiæ, in quibus ex. gr. quarta, aut septima pars venialium peccatorum remittitur, qualis est indulgentia data ab Urbano III, apud Du Cange *Glossar. med. et infim. Latinit. verb. indulgentia,* eæ referendæ sunt ad remissionem pœnæ temporalis, et huc illa spectat Urbani indulgentia, uti patet ex ejus verbis, quæ describit Lucas d'Achery *tom.* 3 *Spicilegii pag.* 3 *ed. cit.*

(3) Conc. Trid. *sess.* 25 *in decr. de Indulg.* Confer theologos atque inter ceteros, Juenin *de Sacram. diss.* 13 *qu.* 1, qui de vi indulgentiarum, deque earum concedendarum a Christo ecclesiæ data postestate contra Lutherum, Zuinglium, Calvinum ceterosque hæreticos copiose disputat; et consule Amort. *hist. indulg.* et Theodorum a Spiritu S. *de Indulg.*, qui latissime de indulgentiis agunt. Videndæ præterea sunt *Conférences de Luçon t.* 7, ubi multa nuper et egregia de indulgentiis occurrunt, et hic porro tractatus nuper in Italicum sermonem conversus descriptus est in diario ecclesiastico Romano *Supplemento dell' anno* 1790 *per i mesi di Marzo, Aprile, Maggio e Giugno.*

(4) II *ad Cor. II,* quem in Pauli locum vide Chrys. *hom.* 4 *in* 2 *ad Cor. tom.* 10 *pag.* 454 *edil. indic.*, Ambr., Anselm.,

Thomam aliosque apud Corn. a Lapide *in ep.* 2 *ad Cor. c.* 2, qui cuncti illum de indulgentia plenaria interpretantur. Præclarum illud indulgentiæ exemplum reliquit Joannes apost., qui juvenem latronem et homicidam ecclesiæ restituit, uti narrat Euseb. *hist. eccles. lib.* 3 *cap.* 23 *pag.* 99 *ed. Taurin.* 1746. Confer etiam Juenin *loc. cit. cap.* 2, qui illum Pauli locum diligenter expendit.

§. II. Indulgentia vel integram relaxat pœnam, vel ejus partem, et ideo vel plenaria, vel partialis est. Jus concedendi indulgentias a Christo datum est apostolis eorumque successoribus, quibus potestas ligandi et solvendi, in qua illud continetur, concessa est. Sed quoniam episcoporum potestas subest Romano Pontifici, qui illius exercendæ modum constituit (1), jure suo Pontifices Maximi, pro suprema potestate sibi in ecclesia universa tradita, sibi plenarias indulgentias reservarunt. ac tantum partiales episcopis permiserunt (2). Quare unus Romanus Pontifex plenarias indulgentias tribuit, episcopi tantum partiales; et vero ab ipsis in ecclesiæ dedicatione unius anni, in ceteris vero temporibus quadraginta dierum indulgentia tribuitur (3). Jure extraordinario et delegato etiam presbyteri, imo et inferiores clerici indulgentias elargiuntur; quin etiam interdum summus Pontifex vicariis apostolicis plenarias indulgentias permittit (4).

(1) Confer quæ scripsi *in Prolegomenis cap.* 2 §. 20 *pag.* 23, et confer, quem eo loco laudavi, Petrum Ballerinium. Atque huc etiam redeunt ea, quæ supra dixi de summi Pontificis potestate in ecclesia universa deque jure, quod habet, arctandi episcopalem jurisdictionem. Ex his autem atque ex ceteris harum Institutionum locis satis patere arbitror, quid ego revera sentiam de primatu summi Pontif. deque ejus in tota ecclesia potestate. Sed scriptores annalium ecclesiasticorum Florentiæ primum me immerito reprehendunt, quod nimis late hujus primatus jura explicaverim; deinde aliam mihi sententiam adscribunt meque immerito similiter laudant, quasi harum Instit. *lib.* 1 *tit.* 3 *sect.* 1 *prim. edit.*, primatus jura arctare voluerim. Præsertim

vero appellant §. 14 *not.* 6 *ejusd. edit.*, ubi egi de judiciaria summi Pont. potestate, atque ita hunc locum explicant, quasi negarim, etiam omissis mediis judicibus, ad Pontificem provocari posse. Sed ego eo loco ne attigi quidem hanc disputationem, quam integram servavi libro III, ubi ostendam, etiam medio Judice prætermisso, recte ad primatem totius ecclesiæ provocari. Ordinarius quidem judicii cursus est, ut gradatim appellatio fiat ac medius judex non negligatur, antequam controversia deferatur ad summum omnium Rectorem, cujus judicium soli Deo subjicitur; et huc referendus est Innoc. I, cujus ibi descripsi locum. Sed non inde efficitur, quod summus Pontifex eodem jure, quo arctat episcoporum jurisdictionem, ex eaque subtrahit certos subditos, eodem inquam vocare ad se non possit controversias, et ita de iis rebus agere prohibeantur medii Judices, qui primatis, cui subsunt, imperio parere debent. Agam ea de re copiose *libro III*, ut annalium scriptores intelligant, mihi de his appellationibus ad summum Pont. interponendis fixam esse certamque sententiam. Primatus autem jura, ut pluribus ostendi harum Institutionum locis, patere confirmo quam latissime, et prorsus assentior Bellarmino, Baronio, Mamachio, Ballerinio ceterisque similibus doctissimis viris, quorum pluries opera laudavi.

(2) Conc. Lateran. *can.* 62, qui canon descriptus est in corpore Juris canonici *cap.* 14 *de Pœnit. et remiss.*, Martinus V in bulla quæ incipit *Inter cunctas*, quæque approbante Constantiensi concil. edita est contra errores Wiclefi et Jo. Hussi, exstatque *tom.* 16 *concil. col.* 751, *coll. Labb. ed. Venet.* Consule Bellarm. *de Indulg. lib.* 1 *cap.* 11 *controv. tom.* 2 *pag.* 684 *ed. Ven.* 1721, et Ben. XIV *de syn. diœc. lib.* 2 *cap.* 9 *num.* 7. Multa etiam atque præclara de Indulgentiis, deque summi Pont. in iis concedendis potestate habet Mamachius *contra auctorem opusc. Quid est Papa? ep.* 5 §. 6 *tom.* 2 *pag.* 48 *et seq.*, et doctissimus card. Gerdilius *Confutazione de due libelli contro il breve Super soliditate tom.* 1 *pag.* 87 *et seq.*

(3) *Cap.* 14 *de Pœn. et remiss.*, *cap.* 3 *eod. in* 6.

(4) Bened. XIV *Const. Apostolicum* 16 §. 23 *pag.* 66 *tom.* 4 *bullar. indic. edit.* Ita etiam cardinalibus de latere legatis, qui jussu summi Pont. anno Jubilæi aperiunt clauduntque portas sanctas, plenariæ indulgentiæ permittuntur. Bened. XIV *Const. Nemo* 25 §. 9 *p.* 146 *et Const.* 26 *pag.* 151 *t.* 3 *cit. ed.* Solent quoque episcopi, uti monet ipse Ben. XIV *de syn. diœc. l.* 3 *c.* 1 *n.* 5, saltem cum primam agunt synodum, plenariam a summo Pont. indulgentiam impetrare illis, qui una ex tribus synodi diebus ecclesiam cathedralem visitaverint. Quod etiam a sede Apost.

concedi solet semel in anno ea die, qua episcopi jussu generalis communio fit in ecclesia cathedrali; cum sacræ, ut vocant, *Missiones* habentur; cum episcopus prima vice Pontificalia exercet in ecclesia cathedrali, et in insignioribus diœcesis ecclesiis ea die, qua prima vice cathedralem ecclesiam, vel aliquam ex ecclesiis locorum insigniorum diœcesis visitat; similiter ab eadem sede Apostolica episcopis bis in anno facultas tribuendi populo Pontificiam benedictionem cum plenaria Indulgentia conceditur.

§. III. Indulgentias ii tantum consequuntur, qui ab omni letalis peccati labe expiati satisfaciunt universis operibus, quæ præscripta sunt ab eo, qui illas elargitus est (1). Fuisse semper penes ecclesiam potestatem concedendi indulgentias certum est: sed usus hujus potestatis, qui totus ab ecclesiæ judicio pendet, pro rerum, temporum, personarum ratione multiplex variusque fuit (2). Initio justæ concedendarum indulgentiarum causæ erant libelli martyrum (3), reditus hæreticorum ad ecclesiam, imminens in christianos persecutio, ferventius agendæ pœnitentiæ studium (4).

(1) Vide Ben. XIV *Const. Accepimus* 6 *tom.* 2 *pag.* 19 *bull. laud. ed.* Proponuntur Indulgentiæ contritis et confessis, sacraque communione refectis; hinc quæsitum est, num actualis confessio et sacramentalis communio necessaria sit, ut quis indulgentiam consequatur. Ea de re variæ sunt intelligentium hominum opiniones; sed omnem dubitationem sustulit Bened. XIV *Const. Inter præteritos* 21 §. 2 *ad* 7 *pag.* 99 *et seq. t.* 3 *bullar.*, qua definitum est, necessariam esse actualem confessionem et sacramentalem communionem, ut acquiratur indulgentia, quæ pro confessis et sacra communione refectis concessa est.

(2) Consule Papebroch. *in resp. ad P. Sebast. a S. Paulo resp. ad art.* 14 *num.* 22.

(3) Ferventibus persecutionibus confessores, qui carceribus detinebantur, libellos dabant ad episcopos, quos rogabant, ut lapsis pœnitentiam, vel ejus partem remitterent pacemque darent, Tertull. *ad Mart. cap.* 1 *p.* 157 *ed. Paris.* 1675; Cypr. *ep.* 11 21, 22, 23, *pag.* 24, 33, 34, *edit. Paris.* 1666, et alibi, præsertim libro *de Lapsis.* Videndus ea de re Morinus *de administr. pœn. lib.* 9 *cap.* 26. Magna vis erat eorum libellorum,

qui valebant etiam jam sedata persecutione mortuisque martyribus, uti recte ostendit Albaspinæus *l.* 1 *obs.* 20 *pag.* 52 *ed. cit.*

(4) Integrum erat episcopis, pœnitentibus, quorum maximus erat in agenda pœnitentia fervor et studium, tempus contrahere, ac *de ipsis aliquid humanius cogitare*, uti loquitur syn. Nicæna *can.* 12 *col.* 330 *tom.* 1, idemque habet syn. Ancyrana *can.* 2 *et* 5 *eod. t.* 1 *col.* 271 *et* 272 *coll.* Hard.

§. IV. Labentibus annis invaluit redemptio pœnitentiarum eleemosynis; quæ aut in pauperum subsidium, aut in ædificandas reparandasve ecclesias convertebantur; tum etiam data indulgentia per missarum sacrificia aliaque suffragia, vel sacras peregrinationes, aut pia opera, quæ ab ecclesiarum prælatis imponebantur (1). Sæc. XI potissimum in ecclesiæ dedicatione Indulgentiæ concedebantur (2), eademque ætate tributæ sunt illis qui, captis armis contra infideles, Hierosolymitanum iter susciperent (3). Denique Bonifacius VIII plenam indulgentiam attribuit iis, qui certis vicibus apostolorum ecclesias visitarent (4), quæ est indulgentia Jubilæi (5), centesimo quoque anno initio constituta, deinceps vero a Clemente VI vocata ad annos quinquaginta, ab Urbano VI ad annos tres ac triginta, a Paulo II ad annos viginti quinque.

(1) Hujusmodi pœnarum redemptiones memorant conc. Triburiense an. 895, *Can.* 56 *col.* 455 *tom.* 6 *coll.* Hard.; Ratherius Veronensis *Orat. synodic. ad presb. num.* 9 *col.* 416 *ed. Veronæ* 1765, atque alii bene multi.

(2) Bened. IX, ut tradit Mabillon. *Præf. in sæc. V Bened. num.* 109 *pag.* 55 *tom.* 7 *ed. cit.*, an. 1040 indulgentiam tribuit omnibus, qui se ad ecclesiam S. Victoris Massiliensis recenter dicatam contulissent; eamque indulgentiam concessit Alex. II in Cassinensis ecclesiæ dedicatione, tum iis qui tunc præsentes erant, tum reliquis omnibus, qui per octo continuos dies eo convenirent, uti patet ex *Chron. Cassin. lib.* 3 *cap.* 31. Similis data venia est an. 1098 ab Urbano II visitantibus ecclesiam S. Nicolai Andegav., quam ipse dicaverat; eodemque modo

Calixtus II an. 1120 dedicata Maurianensi prope Stampas ecclesia, uti narrat Duchesne *hist. Franc. tom. 4 pag.* 369, annuam peccatorum remissionem in dedicationis anniversario die constituit, quod et consequentes Pontifices præstiterunt.

(3) Alexand. II, ut tradit Malaterra *de rebus gestis a Roberto Guiscardo Calabriæ Duce aliisque lib.* 2 *cap.* 33 *in Schotti Hispan, illustr. tom.* 3, contra Infideles in Sicilia pugnantibus anno 1063 indulgentiam largitus est, deinde Urbanus II in conc. Claromontano *an.* 1096 *can.* 2 apud Labb. *tom.* 10 *col.* 507, plenam attribuit veniam omnibus, qui captis armis contra infideles irent ad Terram Sanctam, ut eam recuperarent. Quam indulgentiam omnium, quæ plenariæ sunt, antiquissimam putat card. Thomasius *in Comm. de concess. indulg. tom.* 7 *p.* 126 *ed. Romæ*, quam accurate et erudite perficiendam curavit Ant. Vezzosius Collega olim meus in Romana Academia, vir præstans ingenio, doctrina, pietate singulari, mihique, dum vixit, amicissimus. Sed alia plenariarum, ut videntur, indulgentiarum exempla Urbano II antiquiora sunt apud Schelstratium *in eccl. Orient. tom.* 2 *diss.* 1 *cap.* 5 *pag.* 761 *et seq.*, et Amort. *Hist. indulg. par.* 1 *sect.* 2 *pag.* 46 *ed. Ven. sect.* 4 *pag.* 105 *et sect.* 7 *pag.* 155. Urbani indulgentiæ similem, quam S. Bern. *ep.* 426 *tom.* 1 *pag.* 319 *ed. Mabillon. Ven.* 1781 *largissimam veniam* appellat, Eug. III iisdem Crucesignatis impertiit, uti patet ex ipsius Bern. *ep.* 363 *pag.* 276; quod exemplum et alii summi Pontifices sequuti sunt.

(4) Centenariam hanc indulgentiam, quæ Jubilæi nomine appellatur, primum a Bonif. VIII institutam fuisse plerique arbitrantur; verum ejus ætate antiquiorem esse, ostendit Jac. Cajetanus diaconus cardinalis S. Georgii ad velum aureum *in tract. de Centesimo seu Jubilæo anno in Bibl. PP. tom.* 25 *p.* 936 *ed. Lugd.* Omnium accuratissime copiosissimeque de anno jubilæi, sive anno Sancto peculiari opere Romæ edito anno 1775 disserit Cl. Zaccaria.

(5) Hebræi quinquagesimo quoque anno habebant annum Jubilæi *Levit. cap.* 25, et hic porro annus in sacris litteris appellatur annus *remissionis, sanctificationis* et *quietis*. Annus hic aliquo modo imago fuit Jubilæi, quem postea Romani Pont. instituerunt. De origine hujus vocis Jubilæi late disputat Calmet in *Levit. loc. cit.*

§. V. In concedendis indulgentiis adhibenda est moderatio, quoniam effusa liberalitas pœnitentiam enervat. Itaque ante oculos habenda sunt exempla

veterum Patrum, qui respectu habito ad dolorem atque ad lacrymas pœnitentium indulgentias concedebant (1). Quavis vero de causa dentur indulgentiæ, non eas certe largitur ecclesia, ut foveat pœnitentium ignaviam, sed ut nostram imbecillitatem erigat atque excitet (2). Itaque non desides nos et ignavos esse oportet, cum vocamur ad cœlestem thesaurum accipiendum : sed omni ope enitendum est, ut dignos pœnitentiæ fructus facientes Deoque pro nostris criminibus satisfacientes, studio obsecundemus ecclesiæ, quæ omnem nobis opem ferre conatur, ut æternam gloriam consequamur (3).

(1) Conc. Trid. *sess.* 25 *in decret. de indulgent.*

(2) Consule Baron. *ad an. Chr.* 1073, *num.* 71 *tom.* 17 *pag.* 571 *ed. Lucæ;* Pallav. *Hist. conc. Trid. lib.* 24 *cap.* 12 *n.* 6; Bellarm. *de Indulg. lib.* 1 *tom.* 12 §. *Ad tertium, tom.* 2 *pag.* 587 *ed. Ven.*

(3) Consule Juenin *de Sacram. diss.* 12 *q.* 5 *cap.* 5, *et q.* 6 *cap.* 1 *et* 2; Baron. *ad ann.* 1073 *num.* 71 *tom.* 17 *pag.* 571 *ed. Lucæ;* Pallav. *Hist. conc. Trid. lib.* 24 *cap.* 12 *num.* 6, et Ben. XIV *Inst. eccl.* 53 §. 11.

§. VI. Prosunt indulgentiæ tum vivis, tum illis, quos vita defecit, sed his per suffragii, illis vero per absolutionis modum (1). Nuntiandæ autem sunt ab episcopo cum duobus canonicis, et oblatæ a fidelium pietate eleemosynæ, nulla prorsus accepta mercede, colligendæ sunt. Quod sanctissime et providentissime sancitum est a syn. Tridentina (2), ut omnes intelligant, hos cœlestes ecclesiæ thesauros non ad quæstum, sed ad pietatem exerceri. Ideo sublati sunt eleemosynarum quæstores, qui suo sæpe abusi munere gravissima ecclesiæ mala attulerunt.

(1) Confer Ben. XIV *Const. Apostolica* 19 §. 14 *pag.* 87 *t.* 3 *Bull.*, et confer etiam, quæ eod. loco laudatur, Leonis X Const.

(2) Conc. Trid. *sess.* 21 *de ref. cap.* 9, *et in decr. de Indulg. sess.* 25.

TITULUS IV.

De Divino Officio.

I. Quid divinum Officium? et diversa ejus nomina.
II. Horæ canonicæ.
III. Matutinæ et Vespertinæ preces antiquissimæ.
IV. Horarum canonicarum distributio.
V. Quando hæc ubique inducta?
VI et VII. Quo tempore divinum officium persolvendum sit.
VIII. Olim etiam laici ad divinum officium conveniebant.
IX. Qui nunc illud persolvere cogantur.
X. Quomodo persolvendum sit; et quis ejus ritus ac formulas constituit?

§. I.

Certus ille ac solemnis numerus ritusque psalmorum, hymnorum, lectionum aliarumque precum ecclesiæ auctoritate institutus, atque in statas diei horas distributus, ut continenter Deo laudes offeramus, *divinum officium* appellatur. Nam officium significat id, quod ratione habita locorum, temporum, personarum, efficere omnes debent: unde tractum est nomen divini officii, quoniam in eo comprehenditur, quod erga Deum quotidie præstare debemus (1). Dicitur etiam divinum officium *sacra synaxis et collecta,* hoc est conventus et congregatio fidelium, qui ad fundendas preces conveniunt, et *cursus ecclesiasticus,* quasi orbem et cursum constituat, quem singulis diebus conficere oportet (2); et *breviarium,* quasi summa cæremoniarum et precum, quas servare et quas fundere oportet, ut divinum officium recte persolvatur (3).

(1) Confer card. Bonam *de divin. psalm. c.* 2 §. 1. Antequam vero sæc. XI Breviarium introduceretur, ad recitandas horas canonicas in ecclesiis occidentalibus adhibebantur Psalteria, Biblia Sacra, Homiliaria, Passionaria, Antiphonaria, Hymnaria, Col-

lectaria, Martyrologia, de quibus omnibus doctissime accuratissimeque agit Vir Cl. Fr. Ant. Zaccaria *Bibl. ritual. lib.* 1 *c.* 4 *art.* 3 *tom.* 1 *pag.* 96.

(2) Ratherius Veronensis *in Orat. synodic. ad presb. num.* 6 *col.* 414 *ed. Veronæ* 1765. Confer etiam regulam S. Columbani *cap.* 7 apud Holstenium *cod. regul. tom.* 1 *pag.* 171 *edit. Aug. Vind.* 1759, et vitam S. Serenici apud Mabillon *act. S.S. Ordin. S. Bened. sæc. II p.* 552 *ed. Venet.* 1733.

(3) Breviarium ita appellatum est, nimirum *breve horarium*, seu *precum epitome* et *compendium*, ut inquit Gavantus *thesaur. sacr. rit. tom.* 2 *par.* 1 *sect.* 2 *cap.* 1. Primus autem divinum officium contraxit S. Greg. VII, qui ab anno 1073 ad an. 1085 Pontificatum obtinuit; et inde verisimile est, divinum officium ita contractum *breviarium* fuisse appellatum, quo quidem nomine utitur Micrologus *cap.* 28 *de eccl. observ. p.* 481 *tom.* 18 *Bibl. Patr. Lugd.* 1677, qui circa annum 1080 vitæ usura fruebatur. Narrat Radulphus Tungrensis *de can. obs. propr.* 22 *p.* 313 *t.* 26 *ejusd. Bibl. Patr. Lugd.*, Summos Pontifices, cum olim in Lateranensi palatio commorarentur, Romanum officium in eorum sacello non ita absolutum, ut in aliis ecclesiis, recitare consuevisse, quod et Pontificii sacelli clerici faciebant, ut negotiis suis vacare possent, additque Radulphus, se « Hujus officii ordinarium vidisse Romæ a tempore Innocentii III recollectum. Et istud officium breviatum sequuti sunt Fratres Minores, inquit ipse Radulphus, inde est quod Breviaria eorum, et libros intitulant secundum consuetudinem Romanæ Curiæ. » Nimirum cum S. Franciscus eorum institutor præcepisset, ut Divinum officium secundum ordinem Romanæ ecclesiæ peragerent, rati illi, quod qui in Pontificio sacello servabatur, mos esset ecclesiæ Romanæ, ac præterea cum missionibus apostolicis distinerentur, contractum breviarium, quo Pontificium sacellum utebatur, susceperunt. Breviarium porro hoc cum male digestum esset, Haymo generalis minister Franciscanorum illud emendandum suscepit, mandante et approbante Greg. IX, sicuti narrat Wadingus *annal. Minor. tom.* 3 *ad an.* 1244. Hoc postea Breviarium ab Haymone emendatum Nicolaus III in omnibus Romæ ecclesiis recipi servarique jussit, sicuti Radulphus narrat. Sed Radulphum vel in Fratres Minores male animatum, vel deceptum putat Fr. Pagius Junior *in vit. Nicolai III n.* 22, propterea quod ex epistola apologetica, quam adversus S. Bernardum scripsit Petrus Abælardus circa annum 1140, nimirum ante annos fere centum quam Franciscanus ordo approbaretur, constat, quod ea tempestate omnes Romæ ecclesiæ contracto illo officio utebantur. Itaque contractum officium Franciscanis

tribui posse negat Pagius, et Radulphum tamquam suo ordini inimicum reprehendit. Sed nulla justa est ejus reprehendendi causa. Nam si ante Franciscanos Romæ ecclesiæ contracto illo officio utebantur, hoc deinceps ab Haymone emendatum jussu Nicolai III ab omnibus Romæ ecclesiis receptum est. Vere igitur Radulphus scripsit breviarium ecclesiarum Urbis Romæ esse Breviarium Franciscanum, quoniam tale revera est Breviarium ab Haymone generali ministro Franciscanorum emendatum, quod Nicolaus III in cunctis ecclesiis adhiberi voluit. Verum Breviarium hoc ita contractum, seu potius recognitum et emendatum, brevius adhuc redditum est hortatu Clementis VII a Francisco Quignonio cardinali, qui opus ipsum an. 1536 Paulo III P. Romæ evulgavit. Hujus Breviarii usus per annos circiter quadraginta perseveravit, nimirum a Paulo III usque ad S. Pium V, numquam tamen præcepta, sed solum permissa fuit ejusdem Breviarii recitatio. S. Pius V Quignonii Breviarium abrogavit novumque confici curavit, quo nunc omnes utimur, et quod deinceps recognitum est etiam Clementis VIII et Urbani VIII auctoritate. Consule card. Bonam *rer. liturg. lib.* 1 *c.* 7 §. 7 *tom.* 1 *pag.* 119 *et seq.*, ibique Salam *not.* 3 *ed. Taur.* 1747; Meratum *ad Gavant. thesaur. sacr. rit. tom.* 2 *par.* 1 *sect.* 2 *cap.* 1, et Zaccariam *Bibl. ritual. lib.* 1 *cap.* 4 *tom.* 1 *pag.* 107.

§. II. Frequens quoque est *horarum canonicarum* nomen, quo divinum officium appellamus. Omnes christiani, ac præsertim clerici prece et obsecratione humili adversus Deum continenter uti deberent; sed quoniam id neque infirmæ naturæ patiuntur vires, neque negotia, quibus implicamur, sapienter ecclesia constituit, ut certis saltem horis has preces fundamus atque ita numquam intermittamus officium, quod erga Deum præstare debemus. Inde processit nomen *horarum canonicarum*, quoniam in eas divinum officium tributum est (1). Quod autem divinum officium statis horis persolvitur, pluribus constat officiis, quæ omnia simul conjuncte ecclesiasticum cursum conficiunt. Hæc vero officia ex recepta ecclesiæ disciplina sunt matutinum cum laudibus, hora prima, tertia, sexta, nona, vespera et completorium.

(1) Institutionem hanc certis saltem horis debitas Deo laudes persolvendi ab ipsis apostolis repetendam esse atque ad nos perpetua traditione delatam, ostendit Martenius *de antiq. eccl. rit. lib.* 4 *c.* 1 §. *et seq. t.* 3 *pag.* 1 *et seq.*, *et de antiq. Monach. rit. l.* 1 *c.* 1 *et seq. t.* 4 *pag.* 1 *seq. edit. indic.*, ubi cuncta fere habes, quæ ad hoc argumenti genus pertinent.

§. III. Verum hæc officia non omnia ejusdem antiquitatis, sed alia vetustiora, alia recentiora sunt. Apud priscos christianos celebres sunt matutinæ et vespertinæ preces. Nimirum quotidie christiani ante ortum lucis in ecclesiam conveniebant, ut preces funderent laudarentque Deum, qui conventus quod ante lucem haberentur, *cœtus antelucani* et *vigiliæ*, et *horæ nocturnæ* dicebantur (1). Sed et vespere, cum sol ad occasum vergeret, in solemnibus conventibus preces fundebantur (2); atque hæc duo tempora, matutinum et vespertinum, quotidie erant præcipua antiqui ministerii tempora.

(1) Tertull. *ad Uxor. lib.* 2 *cap.* 4 *pag.* 168 *et de coron. milit. cap.* 3 *pag.* 162 *ed. Paris.* 1675. Hinc christiani apud Minucium Felicem *de Idolatr. vanit. in l. Octavius pag.* 332 *ed. Paris.* 1605 appellati *latebrosa et lucifuga natio*, et Plinius *ep.* 97 *lib.* 10 *ad Trajan. pag.* 629 *num.* 7 *ed. Lipsiæ* 1711, ex ore quorumdam apostatarum de christianis se accepisse scribit, quod *stato die ante lucem convenire soliti sunt.* In his conventibus adhibitam psalmodiam constat, eamque inchoatam a psalmo 62 tradit auctor *const. Apost. lib.* 2 *cap.* 59, apud Cotelerium *PP. Apostolic. tom.* 1 *pag.* 270 *ind. edit.* Matutinum hoc officium plures psalmos precesque comprehendebat; sed non illam habebat distinctionem nocturnorum et laudum, quæ recentiori ætate a monachis initium habuisse videtur. Hi tribuerunt officium antelucanum, seu matutinum in tria nocturna atque in laudes. Tria nocturna tribus primis noctis vigiliis seorsim celebrari solebant; quod S. Thomas *in ep. I ad Cor. cap.* 14 *lect.* 6, et Marcellus Francolinus *de Hor. can. cap.* 6 observarunt. Quin in quibusdam occidentalium monachorum regulis expresse sancitum est, ut nocturna seorsim celebrentur, atque ita porro habet regula Columbani *cap.* 7 apud Holstenium *cod. regul. pag.* 171 *t.* 1 *ed. Aug. Vind.* 1759. Laudes etiam distinctum a nocturnis

officium constituerunt, uti ostendit card. Bona *de divin. psalm. cap.* 5 §. 1. Primus S. Benedictus tria nocturna conjunxisse videtur; saltem ita fert ipsius *regula cap.* 11 *pag.* 121 apud Holstenium *cod. regul. tom.* 1 *ed. laud.*, ut uno tempore tria nocturna celebrentur. Longo post tempore in ecclesia Romana etiam laudes nocturnis conjunctæ unum continuum officium nocte persolvendum constituerunt, uti testatur Hugo a S. Victore *de Offic. eccles. lib.* 2 *cap.* 2 *col.* 1589 *in Bibl. PP. tom.* 10 *ed. Paris.* Rem totam, præter card. Bonam *de psalmod.*, explicant Thomass. *Vet. et. nov. eccl. disc. par.* 1 *lib.* 2 *cap.* 71 *et seq.* Martenius *de antiq. monach. rit. lib.* 1 *cap.* 2 *et seq. tom.* 4 *p.* 4 *et seq. ed. Venet.* 1764, et Binghamus *Orig. eccl. lib.* 14 *cap.* 9 §. 7 *et seq. pag.* 299 *et seq. tom.* 5 *ed. Halæ Magd.* 1754.

(2) Matutinas et vespertinas preces omnium apertissime distinguit auctor *const. Apost. lib.* 8 *cap.* 35 *pag.* 421 *laud. ed.*, et conc. Laodic. *can* 18 *tom.* 1 *col.* 784 *col.* Hard. memorat tum preces vespertinas, tum eas, quæ ad nonam fiunt, et eamdem in utrisque liturgiam servari jubet. Vespertinum officium initium sumebat a Psalmo 140, quem auctor *constit. lib.* 8 *cap.* 35 *pag.* 421 vocat του επιλυχνιον ψαλμον, *lucernalem psalmum*, quod canebatur eo tempore, quo lumen accendi solebat; et Chrysost. *Hom. in Ps.* 140 *tom.* 5 *num.* 1 *pag.* 427 *edit. Paris.* 1724 pluribus explicat, quam apte hic psalmus in vespertino officio adhiberetur. Est apud eumd. auctorem *Const. loc. cit. cap.* 36 *et* 37 *pag.* 421 προσφωνησις επιλυχνιος, ευχαριστια επιλυχνιος, *precatio*, et *gratiarum actio lucernalis*. In hoc quoque vespertino officio psalmi, hymni, precesque aliæ adhibebantur, atque ita matutinis et vespertinis officiis, a christianis *dies in orationibus Dei inchoabatur, dies hymnis Dei claudebatur*, uti loquitur Hilarius *in Ps.* 64 *num.* 12 *col.* 169 *edit. Paris* 1693, quod etiam tradit Hier. *ep.* 22 *ad Eustoch. n.* 37 *pag.* 119 *tom.* 1 *ed. Veronæ* 1734.

§. IV. Accessere deinceps horæ, quæ dicuntur *canonicæ*, eæque ex monachorum instituto repetendæ videntur; Ægypti monachi, qui omnium antiquissimi sunt, et a quibus monasticæ vitæ initia ducuntur, præter vespertinos et antelucanos conventus, nullas canonicas publicarum precum horas videntur habuisse; cum reliquum diei spatium tribuerent labori manuum, cum quo tamen continenter miscebant preces, psalmos ac meditationem rerum divinarum (1) Non multo post

monasteria Mesopotamiæ ac Palæstinæ consuetudinem induxerunt, ut monachi hora tertia, sexta et nona publice convenirent, ut preces funderent psalmosque canerent (2). Sed nondum erat novum aliquod matutinum ministerium, distinctum ab antiquo quod ante lucem peragebatur. Hoc primum in monasterio Bethlehemitico institutum est, ne monachi post laudes usque ad horam tertiam inertes et somniculosi in cellis jacerent, cum eos nulla conventus necessitas ad preces vocabat (3). Denique completorium, quod vocatur, ut distinctum a vespertino, seu lucernali ministerio, instituit S. Benedictus, ut monachi, finitis diei operibus in unum collecti, preces laudesque complerent ac solemni ritu absolverent (4).

(1) Vide Cassian. *Inst. Cœnob. lib.* 3 *cap.* 2 *p.* 30 *ed. Francofurti* 1722.

(2) Cassian. *loc. cit. lib.* 3 *pag.* 32 *ed. cit.;* Tertull. *de Jejun. cap.* 10 *pag.* 549 *edit. Paris.* 1675, et Cypr. *de Orat. dom. pag.* 180 *edit. Amst.* 1700 memorant horas tertiam, sextam, nonam; verum non has horas pro publicis ecclesiasticis conventibus constitutas fuisse scribunt. His quidem horis, christiani privatim preces fudisse videntur, deinceps vero illæ a monachis, ut plerique sentiunt viri docti, publicis conventibus addictæ sunt. Vide Jos. Medum *ep.* 66 et Jo. Pearsonium *præl.* 2 *in act. apost. n.* 3 *et* 4. Certe antiqui Patres Hieron., Basil., Greg. Nyssenus aliique sæc. IV scriptores cum memorant horas canonicas, tantum monachos respiciunt. Chrys. *serm. IV de Anna tom.* 4. *p.* 737 *ed. Paris.* 1721, de tribus diei horis pro publicis conventibus constitutis loquitur; verum, præter matutinam et vespertinam, quæ alia fuerit hora, non indicat. Fortasse jam tunc hora nona in ecclesia CP. inducta erat, et eam quidem diserte commendat ipse Chrys. *Hom.* 2 *de inscript. act. apost. tom.* 3 *n.* 4 *pag.* 66 *ed. Paris.* 1721, atque etiam conc. Laodic. *can.* 18, Gentiano Hervero interprete apud Labb. *tom.* 1 *col.* 1554 *edit. Venet.* Sed cum de monachis loquitur Chrys. *Hom.* 14 *in ad Tim. t.* 11 *pag.* 629 *n.* 3, expresse memorat matutinas ac vespertinas preces, horamque tertiam, sextam, nonam. Negari tamen nequit, quod in Oriente in quibusdam ecclesiis jam inde a IV sæculo recepta erat illa pro publicis conventibus horarum distributio, uti constat ex auctore

Const. Apost. lib. 8 *cap.* 34 *p.* 420 *laud. ed.*, qui *precationes* fieri jubet *mane, et tertia hora, ac sexta, et nona, et vespera, atque in gallicinio.* Mabillonius *de Curs. Gallican.* §. 5 *num.* 57 *pag.* 423 *ed. Paris.* 1685, ex Greg. Turonensi demonstrat, sextam et nonam horas circa initium sexti sæculi in Galliis fuisse receptas, eademque fere ætate similem consuetudinem in Hispanias delatam constat ex Isid. Hispalensi *de regul. monach. cap.* 6 *pag.* 537 *tom.* 2 *ed. Matriti* 1778.

(3) Cassian. *loc. cit. l.* 3 *c.* 4 *pag.* 56 *ed. cit.* Hinc hora prima dicebatur officium matutinum novum, ut distingueretur a matutino officio veteri, quod semper ante lucem celebrabatur.

(4) Completorium, ut distinctum a vespertino ministerio, antiquiori ætate plane ignotum fuisse, contra Bellarm. ostendit card. Bona *de Psalm. cap.* 11 §. 1 *num.* 2. Ejus origo a S. Benedicto repetenda est, uti patet ex ejus *reg. cap.* 17 *t.* 1 *pag.* 122 *ed. Aug. Vind. an.* 1759, ac brevis illa lectio, quæ hodie completorium antevertit, sine dubio illam repræsentat, quam psalmis præmitti voluit Benedictus *reg. cap.* 42 *pag.* 127 *ibid.* Vide Martenium *de antiq. monach. rit. l.* 1 *c.* 12 *t.* 4 *p.* 12 *ed. ind.*

§. V. Singulæ hæ horæ e monasteriis serius ocius ad omnes ecclesias translatæ sunt. Quod factum est opera vel monachorum, qui ad episcopatum evecti divina officia in suis ecclesiis ad exemplum vitæ monasticæ composuerunt, vel clericorum, qui monachorum instituta et consuetudines in clericatu amplexi sunt (1). Potissimum vero inducta vita communi, datisque canonicis regulis, quæ ex regulis monachorum magna ex parte decerptæ sunt, ubique invaluit ea partitio divinorum officiorum, quam primum monachi instituerant. Hodie igitur divinum officium constat his septem partibus, matutino cum laudibus, prima, tertia, sexta et nona, vesperis et completorio. Matutinum cum laudibus faciunt officium, quod nocturnum dicitur, quod olim noctu celebraretur (2), uti nunc etiam a quibusdam celebratur; reliquæ horæ diurnum officium constituunt.

(1) Consule Selvagium *antiq. christ. lib.* 2 *cap.* 9 §. 7 *et seq.*; Martenium *loc. cit. cap.* 1 *et seq.*, et Thomass. *vet. et nov. eccl.*

disc. par. 1 *lib.* 2 *cap.* 71 *et seq.*, a quibus omnia, quæ ad divinum officium pertinent, fusius et uberius explicantur.

(2) De antiqua consuetudine divinum officium noctu recitandi multa et præclara habes apud Cl. card. Garampium *Memorie della Beata Chiara di Rimini diss.* 20 *pag.* 315 *et seq.*

§. VI. Omnia hæc officia non solum intra spatium vigintiquatuor horarum, sed etiam suo quæque tempore atque ordine celebranda sunt. Matutinum officium cum laudibus a clericis sæcularibus (1) mane illucescente crepusculo celebrandum est, prima jam lucis orto sidere, tertia, sexta, nona horis respondentibus (2), vesperæ decima vel undecima hora diei, completorium post solis occasum. Sed nunc pro more ecclesiarum matutinum cum laudibus, horæque prima, tertia, sexta et nona eo temporis spatio, quod est inter auroram et meridiem recte persolvuntur, vesperæ circa horam nonam aut decimam, quin in quadragesima circa meridiem; completorium autem statim post vesperas celebratur (3).

(1) Regulares choro addicti nocturnum officium quod tamen vulgo matutinum vocatur, vel media nocte, vel hora secunda post mediam noctem; id vero, quod re ipsa matutinum est, illucescente aurora persolvunt. Sed ea in re peculiares singulorum regulas spectare oportet.

(2) Tertia hora apud Romanos respondet nostræ horæ nonæ antemeridianæ; sexta horæ duodecimæ, unde circa meridiem exsolvenda est, quod et hymnus indicat his verbis, *splendore mane illuminas et ignibus meridiem*; nona tertiæ horæ nostræ pomeridianæ, et ideo non ante, sed post meridiem persolvenda est.

(3) Sunt qui a matutino et laudibus primam, sunt qui omnes horas sejungunt, sunt qui simul conjungunt omnia officia, quæ ante meridiem persolvuntur. Ea res tota pendet ex moribus atque ex legibus ecclesiarum.

§. VII. Atque hæc quidem pertinent ad publicam et solemnem divini officii celebrationem. Privata etiam ut statis horis fiat, curandum est, quoniam ea mens est ecclesiæ, quæ divinum officium in certas horas

distribuit, ut in omnibus diei partibus ad Deum animum revocemus, eumque crebro debitis laudibus et honore prosequamur (1). Ex justa tamen causa, non servato horarum intervallo, divinum officium rite persolvitur (2); verum curandum est, ut vesperæ et completorium pomeridianis horis recitentur, excepta quadragesima, in qua fictione canonica vesperæ ante meridiem celebrantur. Sed et matutinum sequentis diei post elapsum dimidium tempus, quod est a meridie ad occasum solis, privatim recitari potest (3).

(1) Consule card. Bellarm. *de bon. oper. lib.* 1 *cap.* 18 *tom.* 4 *pag.* 550 §. *Sed quidquid sit, et seq. ed. Venet.* 1721. Statis autem horis divini officii varia tribuuntur mysteria, quæ tradit card. Bona *de divin. psalm. cap.* 2 §. *et seq.* Sed illud in primis constat, quod horæ canonicæ divinis addictæ laudibus mysteria exhibent nostræ redemptionis, et has quidem mysticas rationes enarrat auctor *Apost. Const. lib.* 8 *c.* 34 *pag.* 420 *loc. cit.*

(2) Mittimus ea in re duriores asperioresque quorumdam opiniones ac sequimur sententiam, quam et sequitur Bened. XIV *Inst. eccl.* 24 §. 9, S. Thomæ, qui *in Quodlib.* 5 *q.* 14 *art.* 1 habet hæc : « Consideranda est intentio ejus qui prævenit tempus in matutinis dicendis, vel in quibuscumque horis canonicis. Si enim hoc facit propter lasciviam, ut scilicet quietius somnolentiæ et voluptati vacet, non est absque peccato. Si vero hoc faciat propter necessitatem licitarum et honestarum occupationum, puta si clericus aut magister debet videre lectiones suas de nocte, vel propter aliquid hujusmodi, licite potest sero dicere matutinas, et in aliis horis canonicis tempus prævenire, sicut etiam hoc in solemnibus ecclesiis fit; quia melius est Deo utrumque reddere, scilicet et debitas laudes et alia honesta officia, quam quod per unum aliud impediatur. »

(3) Adeundus Ben. XIV *Inst. eccl.* 24 §. 10 *et Inst.* 107 *n.* 21.

§. VIII. Initio non solum clerici, sed etiam fideles laici ad divinum officium celebrandum quotidie conveniebant, et cum clericis psallebant et canebant (1). Verum id veteres christiani faciebant sponte sua et incitati studio pietatis, quo fervebant, cum nulla lex esset, quæ laicum occupatum assiduis laboribus ad

vitam sustinendam, quotidie interruptis officiis statisque horis ad ecclesiam ire compelleret (2). Tantum diebus dominicis et præcipuis festis legis necessitate debebant laici ad divinum officium convenire, ut sancte agerent dies festos (3); in qua quidem sanctificatione festorum eadem nunc est, quæ semper fuit, ecclesiæ mens, licet non amplius laici ad divina officia convenire cogantur.

(1) Consule Thomass. *Vet. et nov. eccl. disc. p.* 1 *l.* 2 *c.* 79.
(2) Vide S. Jo. Chrys. *cit. Hom.* 6 *de Anna.*
(3) Confer Van Espen *de hor. can. diss. par.* 1 *c.* 3 §. 2 *et* 3.

§. IX. Præcepti necessitas cogebat clericos ad ecclesiam quotidie convenire, ut divinum officium persolverent, et vero nullum ea in re inter majores minoresque clericos discrimen erat. Omnes enim in ordinatione certæ ecclesiæ adscribebantur, ut ei perpetuo servirent; ideoque in ea divinum officium celebrabant, quæ pars erat præcipua ac nobilissima servitii, quod præstare debebant. Sed cum desiit hæc disciplina, et clerici in ordinatione non amplius adscribi cœperunt certæ ecclesiæ, cui semper addicti essent, sensim minores clerici illud ecclesiæ officium obire desierunt. Nunc igitur divinum officium recitare quotidie debent regulares choro adstricti, beneficiati, et clerici in sacris ordinibus constituti (1). Canonici et ceteri clerici, qui in chorum conveniunt, debent officium solemniter in choro persolvere, aut quotidie, aut alternis diebus, hebdomadibus, mensibus, ut ferunt instituta, moresque ecclesiarum (2).

(1) Vide *Const. Eo quamvis tempore* 129, Ben. XIV §. 43 *et* 44 *tom.* 1 *bullar. cit. ed. p.* 317.

(2) Debent autem canonici, qui in choro versantur, divinum officium recitare, et cantum sequi capellanorum, aut mansionariorum, ac suo plane deessent muneri, qui taciti tantum choro interessent. Confer Ben. XIV *Inst. eccl.* 107 §. 3.

§. X. Preces, cæremonias, ritus in divino officio adhibendos constituit sedes Apostolica (1); quod rectissime sancitum est, ut amoveantur mala et incommoda, quæ olim ex diversis divini officii formulis oriebantur. Quisquis autem ejus persolvendi lege obstringitur, sive privatim domi, sive publice in ecclesia, id *reverenter, distincte* ac *devote* facere debet (2); et quisquis illud sine justa causa (3) omittit, non solum letalis criminis reus evadit, sed etiam, si beneficium habeat, pro ea parte, quam omisit, beneficii fructus restituere debet.

(1) Cum ex diversitate formularum, quibus divinum officium conceptum erat, magna rerum confusio et gravia damna orirentur, actum est in conc. Trid. de breviario emendando deque certa proponenda formula, quam omnes in posterum sequerentur. Sed concilii Patribus *sess.* 25 *in decret. de Indice librorum, catechismo, breviario et missali*, satius visum est rem totam summi Pont. judicio committere, atque hinc S. Pius V Pont. id negotii dedit selectis quibusdam viris, atque opere absoluto edidit bullam *Quod a nobis* 87 *tom.* 4 *par.* 3 *bullar. pag.* 22, ubi certam proposuit breviarii formulam ab omnibus observandam, illis tantum exceptis, qui ab ipsa prima institutione a sede Apost. approbata, vel consuetudine, quæ ducentos annos superaret, aliis breviariis uterentur. Pianam hanc bullam confirmavit Clem. VIII *const. Cum in ecclesia* 276 *tom.* 5 *par.* 2 *bull. pag.* 422, deinceps vero Urban. VIII *const. Cum alias* 749 *tom* 6 *par.* 2 *pag.* 380, hymnis quibusdam auxit atque emendavit. Ac recte et jure RR. Pontifices omnem semper dedisse operam, ut occidentales ecclesiæ traditiones et ritus eccl. Romanæ in celebranda Missa, in Sacramentis administrandis, in Psalmodia, in ceteris ad publicum cultum pertinentibus amplecterentur, ostendit Cl. Zaccaria *Bibl. ritual. t.* 1 *diss.* 1 *cap.* 4 *et* 5 *pag.* 29 *et seq.*

(2) Conc. Trid. *sess.* 24 *de reform. cap.* 12.

(3) Cæcitas aut gravis infirmitas, quæ officium recitari non sinat, justa causa est, propter quam illud impune omittatur. Qua in re sequi oportet medici, aut superioris, aut prudentis viri judicium. Similiter si quis sine sua culpa breviario careat atque in loco versetur, in quo illud invenire non possit, item si quis administrare debeat sacramenta, neque moram ferre possit legitimam excusationis causam habere censetur. Possunt et aliæ

hujusmodi esse causæ, de quibus late agunt scriptores, qui in hoc argumenti genere versantur. Confer inter ceteros L. Ferraris *in Biblioth. verb. officium divinum art.* 5. Illud tamen est animadvertendum, quod qui matutinum et laudes, ob aliquod necessarium impedimentum, recitare non potest, reliquas tamen partes persolvere debet, uti constat auctoritate Innoc. XI, qui contrariam sententiam proscripsit *Prop.* 54 *in bullar. Const.* 54 *tom.* 8 *pag.* 82.

TITULUS V.

De Festorum Celebratione.

I. Festorum celebratio apud christianos antiquissima.
II. Festi dies vel mobiles, vel immobiles.
III. Paschatis celebratio.
IV. Festi dies quidam generales in tota ecclesia, quidam particulares in certis locis.
V. Summus Pontifex constituit et diminuit festos dies in tota ecclesia observandos.
VI et VII. Festorum sanctificatio.

§. I.

§. Omnes ferme gentes habuere dies festos, quibus suos deos honore prosequebantnr, et in quibus magnam religiosi cultus partem constituebant. Apud christianos jam inde ab apostolorum ætate festi sunt acti et instituti dies. Antiquitate ceteros vincunt omnes dies Dominici, Pascha, Ascensio, Pentecostes (1). Postmodum alii quoque accesserunt, videlicet Natalis Christi Servatoris (2), solemnitates B. Mariæ Virginis, Apostolorum, Martyrum, Confessorum aliæque complures (3).

(1) Festivitates dierum Dominicorum, Paschatis, Ascensionis, Pentecostis ab apostolis celebratas tradit S. Aug. *ep.* 54 *cap.* 1 *tom.* 2 *col.* 124 *ed. Venet.* 1729. Verum Ascensionem Domini

non uno et eodem ubique ritu, sicuti observabatur dies natalis Domini, Pascha, Pentecostes, observatam fuisse monet Martenius *de Ant. eccl. rit. l. 4 cap.* 28 §. 1 *t.* 3 *p.* 192 *ind. ed. Ven.*

(3) Certo statui non posse videtur, quod etiam diem festum Natalis Christi apostoli instituerint; et vero Augustinus, ut nunc demonstratum est, cum memorat dies festos ab apostolis institutos, nullam hujus diei mentionem facit. Primam hujus diei disertam mentionem multi referunt ad exitum sæc. III, hoc est ad ætatem Diocletiani Imp., quem Nicephorus *hist. lib.* 8 *cap.* 7 *pag.* 545 *ed. Paris.* 1630, narrat ingentem christianorum numerum natalem Christi noctu celebrantem igne injecto combussisse. Hoc certum est, in Occidente ab antiquissimis inde temporibus festum hunc diem celebrari consuevisse. Testatur id Chrys. *Hom. in diem Natal. Christ. t.* 2 *num.* 1 *pag.* 355 *ed. Paris.* 1718, inquiens, quod hic dies « Jam inde a primordio ab ipsa Thracia Gades usque incolentibus manifestus et celebris fuit. » Memorat etiam hanc solemnitatem tamquam ubique receptam et jamdiu pervulgatam Aug. *epist.* 55 *cap.* 1 *tom.* 2 *col.* 169, *et Serm.* 287 *tom.* 7 *col.* 202 *et* 1152 *ed. Venet.* 1756. Quin non tantum ipsa solemnitas, sed etiam constitutus solemnitatis dies, hoc est 25 mensis Dec. in antiquis monumentis designatur. Kalendarium Bucherianum, quod anno 354 scriptum fuisse eruditi sentiunt, ab hoc festo initium ducit, *VII Kal. Jan. Natus Christus in Bethlehem Judææ;* eumdem diem servant Polemeus Silvius, et auctor Kalendarii Carthag., uterque proximus eorum temporum, eumdem quoque Constitutiones Apostolicæ *l.* 5 *c.* 13, apud Cotelerium *PP. Apost. tom.* 1 *pag.* 312 *ed. Antv.* 1598. Verum in Oriente prima Chrysostomi ætate nondum hæc solemnitas obtinebat, quod manifestum facit ipse Chrys. hom., quam primam de Natali Christi Antiochiæ habuit postquam inter presbyteros. cooptatus fuerat anno 386. In ea enim diserte inquit *loc. cit.* quod « Nondum quidem decimus annus est, ex quo hic ipse dies manifestus nobis innotuit. » Nam antea in Oriente unum erat festum Natalis Christi et Epiphania. At CP., exemplo Occidentis, jampridem hæc solemnitas recepta fuisse videtur, quod testimoniis Jo. Chrys., et Greg. Nazianz. ostendit Cl. Morcellus *Calend. CP. ad d.* 25 *Decembr. tom.* 1 *p.* 281. Tanta autem religione festum hoc Natalis Christi celebratum fuisse constat, ut clerici ea die gravibus constitutis pœnis a suis ecclesiis abesse prohiberentur, conc. Agath. *can.* 64 *tom.* 5 *coll.* Labbei *col.* 531 *edit. Venet.* Quin etiam laici eo die suos episcopos communionis ac benedictionis gratia convenire jubebantur conc. Agath. *can.* 63 *loc. cit.;* Aurelian. I *can.* 25 *c.* 547, et Epaon. *can.* 35

col. 716 *d. tom.* 5 *conc.* Confer etiam conc. Tolet. XIII *can.* 8 *col.* 1475 *tom.* 7 *conc.* De hujus festi celebritate multa habet card. Baronius *appar. ad annales circa fin. num.* 23 *p.* 475 *ed. Lucæ*, et multa etiam Fr. M. Florentinius in vetustissimo suo *martyrologio exerc.* 2 *pag.* 195 *et seq.*, qui *et p.* 201 *et* 228 de Epiphania, seu apparitione Domini loquitur, atque hunc diem tum in orientali, tum in occidentali ecclesia semper celeberrimum fuisse demonstrat.

(3) Martyrum solemnitates antiquissimas esse et jam sæc. II receptas constat. Jam enim ea ætate S. Polycarpi memoria festive colebatur ejusque festus dies agebatur, uti patet ex Smyrnensium epistola ad Philomelienses apud Euseb. *Hist. eccl. l.* 4 *cap.* 15 *pag.* 171 *ed. Cantabr.* 1720. Memorant etiam has martyrum solemnitates Tertull. *de Coron. milit. cap.* 3 *pag.* 102 *ed. Paris.* 1675, et Cypr. *ep.* 34 *pag.* 48, atque *ep.* 37 *pag.* 51 *ed. Paris.* 1666 mandat clero suo, ut diligenter notetur dies, quo martyres ex hac vita migrant sibique significetur, « Ut, inquit, celebrentur hic a nobis oblationes et sacrificia ob commemorationes eorum. » De hac martyrum veneratione loquitur etiam Aug. *de Civ. Dei lib.* 8 *cap.* 27 *tom.* 7 *num.* 1 *col.* 217 *et contr. Faustum Manich. lib.* 20 *c.* 21 *col.* 1547 *tom.* 8 *ed. Ven.* 1755; ubi refutat Manichæorum calumnias, qui non verebantur falso accusare catholicos, quod mortuos adorarent. Quod autem de martyribus dico, idem etiam de apostolis dictum volo, cum eorum solemnitates ab ecclesia celebrarentur, potissimum quod pro Christo martyrium pertulissent. In his solemnitatibus legebantur passiones martyrum, quorum dies festus agebatur, conc. Carth. III *can.* 47 *col.* 968 *t.* 1 *coll.* Hard., atque hæ forte ea de causa dictæ sunt *legendæ*, quod publice in ecclesia legerentur. Habebantur etiam in eorum laudem orationes, quarum sexcenta sunt exempla apud Chrys., Basil., Nazianz., Nyssen., Aug., Ambr., Leon., Chrysol. atque alios. Paulo serius institutæ sunt confessorum solemnitates, atque hinc initio solis martyribus publice dicatæ ecclesiæ sunt, et in diurno Pontificum in formula petitionis dedicationis ecclesiæ *cap.* 34, 35, 39, 42, martyris tantum, non confessoris mentio est. In oriente IV sæculo Hilarionem celebrasse diem mortiis Antonii, scribit Hier. *in vit. Hilar. cap.* 30 *tom.* 2 *col.* 31 *ed. Veron. cit.*, et Sozom. *Hist. eccl. l.* 3 *c.* 14 *p.* 114 *ed. Cantabr.* 1720, narrat a Palæstina ecclesia celebratam fuisse solemnitatem plurium confessorum, nimirum Hilarionis Gazæi, Aurelii Authedonii, Alexionis et aliorum. Primus in Occidente ex confessoribus publico cultu honorari cœpit S. Martinus Turon., qui obiit an. 402, atque hunc cultum probavit conc. Turon. II

can. 18 *col.* 360 *tom.* 3, et Matiscon. I *can.* 9 *col.* 402 *tom.* 5 *coll.* Hard., eique S. Benedictus in monte Cassino monasterium ædificavit. Contra Jac. Laderchius edito ab se libro demonstrare conatus est, SS. Confessorum ac mulierum cultum, a prima usque ætate perpetuum in ecclesia catholica fuisse. Equidem non inficior, ab ipsis ecclesiæ primordiis privatum cultum fuisse tributum SS. Patriarchis, Prophetis, Confessoribus, Virginibus ac Viduis; cum catholica ecclesia id semper ratum fixum habuerit, non solum martyres, sed etiam ceteros, qui servatis Christi præceptis in ejus dilectione mortui sunt, æternam gloriam consequi, eosque etiam colendos et invocandos esse; atque hæc a primis usque sæculis Patrum omnium sententia semper fuit. Sed publicus, de quo hic tantum loquimur, cultus citius martyribus, serius autem confessoribus datus ab ecclesia est. Consule card. Bellarm. *de Missa lib.* 6 *cap.* 8 *pag.* 429 §. *Tertia obj. tom.* 3 *ed. Ven.* 1721; card. Thomasium *Præf. ad codices sacramental. eccl. Rom. num.* 5, et ipsius Thomasii vindicias Panormi editas an. 1723, præsertim *cap.* 4 *pag.* 52 *et seq.*

§. II. Festi dies vel mobiles, vel immobiles sunt. Mobiles dicuntur, qui non eodem die quovis anno celebrantur; immobiles, qui certis semper diebus hærent; atque hi sunt Natalis Domini, Circumcisio, Epiphania, dies festi Beatæ Mariæ Virginis et Apostolorum. Dierum festorum mobilium celeberrimus est Paschalis, a quo omnes reliqui mobiles pendent. Pascha antecedit jejunium quadragesimale, ad quod præparantur animi tribus hebdomadibus, quæ proxime antevertunt; et quarum prima *septuagesima*, altera *sexagesima*, postrema *quinquagesima* est (1). Pascha sequitur Ascensio Domini post dies quadraginta, post quinquaginta Pentecoste. Reliqui dies Dominici usque ad Adventum, et ab Epiphania usque ad Septuagesimam numeris distinguuntur. Ergo in figendo Paschate præcipuus labor.

(1) Plures olim, ac præsertim monachi, sese a carnibus abstinentes ad Quadragesimam præparabant; et vero Græci hanc abstinentiam inchoabant a die, qui dominicam Sexagesimæ proxime sequebatur; post dominicam vero Quinquagesimæ non solum

carnibus, sed ne lacte quidem atque ovis vescebantur. Itaque a Græcis hebdomada Sexagesimæ dicitur Ἀποκρεως, hoc est *carnis-privium;* quo vocabulo non raro utuntur mediæ ætatis scriptores, ut designent tempus bacchanalium, quoniam tunc christiani carnibus privabantur. Inde ortum forte est vocabulum *Carnevale,* quia tunc christiani carni valedicebant; et hinc a tollendis deserendisque carnibus hoc idem tempus *carne-levamen,* et *carnem-laxare* appellatum ostendit Muratorius *antiq. Ital. diss.* 71, unde etiam vocabulum *carnevale* effici potuit.

§. III. Est autem celebrandum Pascha die Dominica, quæ post æquinoctium vernum proxime sequitur Lunam XIV martii, hoc est plenilunium, sed non illa ipsa die XIV, quia Christus postridie Paschatis Hebræorum ex inferis resurrexit. Itaque nostrum Pascha cum Paschate Hebræorum convenire numquam potest. Vetus est hæc de celebrando Paschate ecclesiæ Romanæ regula, quam Nicænum concilium probavit contra Asianos, qui festum illum agebant diem ipsa luna XIV, Hebræorum more (1).

(1) Magnæ olim de celebrando Paschate fuere controversiæ excitatæ præsertim ab Asianis, qui antiquam traditionem proponentes, ipsa luna XIV, more Judaico, pascha celebrandum esse contendebant. Contra summi Pontifices nixi traditione, quam a D. Petro acceperant, hanc solemnitatem differebant ad diem Dominicum, qui post æquinoctium vernum ipsam lunam XIV proxime sequitur. Romam ea de re venit Polycarpus, ut cum Aniceto Pontifice consilia conferret; sed nihil tunc perfectum est, et Asianæ ecclesiæ in sua sententia permanserunt, sicuti narrat Irenæus *in ep. ad Victor.* apud Euseb. *hist. eccl. lib.* 5 *cap.* 24 *pag.* 245 *et seq. ed. Cantabr.* 1720. Recruduit controversia Victore P., qui Asianis episcopis ecclesiasticam communionem interdixit, quod Pascha eodem, quo Judæi, tempore celebrare pergebant; denique Nicæno concilio probatum confirmatumque est, quod a Rom. Pontificibus statutum fuerat. Atque hi, qui Pontificiæ ac Nicænæ sententiæ de celebrando Paschate pervicacius obsistere ausi sunt, hæretici et schismatici habiti sunt, et Quartodecimani, Thessaradecatitæ, Audiani appellati. Sed quamquam catholicorum ecclesiæ de celebrando Paschate in die Dominico consentirent, non una tamen eademque erat omnium

sententia in hoc Dominico die constituendo. Nam interdum eveniebat, ut ecclesiæ quædam una hebdomada vel mense citius, quam reliquæ festum illum diem agerent; et Ambr. quidem *ep.* 23 *num.* 15 *et seq. col.* 94 *tom.* 3 *edit. cit.* testatur, anno 387 pascha ter separatis temporibus celebratum fuisse, ab aliis scilicet XII Kal. Aprilis, ab aliis XIV. Kal. Majas, ab aliis VII Kal. Majas. Similiter Leo M. *ep.* 110 *t.* 2 *cap.* 1 *pag.* 401 *ed. Rom.* tradit, an. 455 octo dierum intervallum inter Romanorum pascha, et pascha Alexandrinorum intercessisse. Tanti hujus discriminis ratio erat, quod non omnes uno eodemque cyclo uterentur. Priscos christianos Hierosolymitanos adhibuisse constat cyclum Judaicum 84 annorum, quo Judæi aliquanto ante ad constituendam anniversariam paschatis sui celebritatem usi fuerant. Cyclum hunc per ducentos fere annos christiani adhibuerunt, quamquam Pascha suum die dominico, non quartadecima luna cum Hebræis observarent, ut adversus Jos. Scaligerum *de emend. temp. lib.* 2 ostendunt Guil. Beveregius *in can.* 7 *apost.*, et Jac. Usserius *proleg. ad Ignat. cap.* 9, uterque apud Coteler. *PP. Apost. tom.* 1 *pag.* 464, *et tom.* 2 *pag.* 218 *ed. Amst.* 1724. Post Judaicum statum omnino ab Hadriano sublatum, christiani alios cyclos adhibere cœperunt, cum novissent Judaici errores, qui interdum Pascha æquinoctio verno anteferebant, adeo ut illud aliquando bis in uno anno fieret. Hippolytus Portuensis in Arabia episcopus circa annum 220 cyclum composuit annorum sexdecim, alium annorum octo non multo post dedit Dionysius Alexandr. episcopus, et alium undeviginti annorum Anatolius similiter Alexandrinus an. 270, quæ omnia narrat Euseb. *hist. eccl. l.* 6 *cap.* 22 *et l.* 7 *c.* 20 *et* 32 *p.* 286, 344 *et* 369 *ed. Cantabr.* 1720. Sed cum res adhuc incerta maneret, syn. Nicæna, quæ die tantum dominico pascha celebrandum esse decreverat, omnem hanc curam Alexandrino episcopo commisit, ut reliquos episcopos quoque anno certiores faceret de die dominico, quo pascha celebrare oporteret, sicuti testatur S. Leo M. *ep.* 96 *ad Marcian. tom.* 2 *pag.* 453 *ed. Rom.* 1755. Verum hoc Nicænum decretum vel non ubique obtinuit, vel progressu temporis antiquari cœpit. Nam Cyrillus Alex. *epist. Paschal.* apud Bucherum *de doctr. temp. p.* 841 *seq. ed. Antv.* 1634 de gravi queritur confusione, quæ de tempore celebrandi paschatis ubique dominabatur, cum Romanorum et Alexandrinorum rationes una quandoque hebdomade, vel mense inter se discreparent. Romana enim ecclesia adhuc vetusto cyclo judaico annor. 84, non autem novo Alexandrino annorum 19 utebatur. Denique rem perfecit Dionysius Exiguus anno 525, qui in Roman. ecclesiam induxit canonem

Alexandrinum, atque ita omnes inter Romanos et Alexandrinos ea de re controversiæ sublatæ sunt. Sed adhuc magna erat confusio ob discrimen, quod est inter annum astronomicum et civilem, quo utimur, neque recte novilunia constabant; ideo Greg. XIII fastos emendandos curavit, et nunc post Gregorianam emendationem ex fastis perpetuis et Kalendariis, quæ singulis annis evulgantur, facile deprehendimus ordinem anni, cum civilis, tum ecclesiastici. Nostro hoc sæculo hujusmodi argumentum, quod pertinet ad Gregoriani Kalendarii emendationem, atque ad tempus celebrandi Paschatis, late pertractavit Jac. Bettazzius Pratensis, qui an. 1752 Florentiæ librum edidit, cui titulus: *Epitome operis Paschalis proferens necessitatem emendandi correctionem Gregor., deinde opportunam ejusdem Gregor. emendationem sine Kalendarii et martyrologii variatione: atque exhibens dissertationes IV, et appendices II ad materiam de cycli paschalis constitutione emendandam.* Cujus operis deinde ipse Bettazzius defensionem edidit.

§. IV. Ex festis diebus quidam sunt omnibus per totum orbem christianum et omni tempore sacri, ut cuncti dies Dominici, Pascha, Pentecoste, ceteræ majores solemnitates; et quidam sunt non ubique, sed a certis tantum civitatibus, aut provinciis, aut nationibus observati. Ita unaqæque fere civitas suum habet patronum, cujus festum diem agit cum venia sedis Apostolicæ (1); atque in provinciis quibusdam certi sunt festi dies antiquissima majorum traditione constituti. Rursus quidam sunt festi dies, in quibus ubique christiani et Missæ sacrificio interesse debent, et ab omnibus se abstinere operibus, quæ servilia vocantur; et quidam sunt minus solemnes, in quibus alicubi christianis, posteaquam divino sacrificio fuere præsentes, integrum est suis rebus vacare, ac pauperibus licet victum sibi ex suis laboribus comparare.

(1) De eligendo Sancto Patrono alicujus civitatis, aut provinciæ, cujus ab universo populo festus agatur dies, habes apud L. Ferraris *in Biblioth. verb. Festa num.* 4 decretum Sac. congr. rituum, quod jussu Urbani VIII editum est die 23 martii 1630. Ejus autem decreti summa est, ut ii tantum eligantur Patroni,

qui sanctorum albo adscripti sunt, non item qui tantum Beati vocantur; ut hæc electio fiat per secreta suffragia ab universo populo, cum episcopi et cleri consensu; ut hujus electionis causæ Sac. rituum congregationi aperiantur, ab eaque noscantur et approbentur.

§. V. Dies festos, quos de præcepto omnes in toto orbe christiani observare debeant, constituit summus Pontifex, cujus est auctoritas et potestas in ecclesiam universam (1). Idemque diminuit numerum minorum festorum (2); quod non multis ab hinc annis factum est a Benedicto XIV, qui rogantibus episcopis et conquerentibus, quod propter festorum multitudinem, vetitosque labores pauperibus eriperetur occasio sibi parandi victum, et universa pene festa minus religiose observarentur, diebus festis minus solemnibus, integro præcepto audiendi missam, laborandi facultatem attribuit (3).

(1) Consule Urban. VIII *const. Universa* 270 *bullar. tom.* 6 *pag.* 341. Episcopos in sua diœcesi dies festos præcipere posse quidam negant; sed mihi e synodo Trid. *sess.* 25 *cap.* 12 *de regular.* hæc facultas episcopo perspicue concedi videtur; et Urbanus VIII in laudata Const. §. 3 monet quidem episcopos, ut se a novis festis præcipiendis abstineant, ne nimia eorum copia mali aliquid pariat, non tamen ipsis adimit hanc facultatem. Consule Gonzalez *in cap. ult. num.* 17 *de Feriis* et Ferraris *Biblioth. verb. Festa in nov. addit. num.* 2. Sunt autem etiam a regularibus, ceterisque exemptis servandi dies festi, quos episcopus in sua diœcesi servari jussit, conc. Trid. *loc. cit.* Vide Giraldum *Expos. Jur. Pont. par.* 2 *sect.* 166 *pag.* 1042.

(2) Exstant inter epistolas selectas card. Bonæ duæ ipsius litteræ, nimirum 258 et 259 datæ ad J. Bapt. Thiers, auctorem operis *de dierum festorum imminutione*, atque in postrema ipse reprehendit Thiersium, qui putaverat, episcopum posse in sua diœcesi tollere dies festos in universa ecclesia receptos, atque id tantum a summo Pont. fieri posse animadvertit. Confer ea de re peculiarem dissertationem editam a Ben. XIV, quæ descripta est in ejus opere *de Canoniz. SS. lib.* 4 *par.* 2 *cap.* 16.

(3) Adeundus est Ben. XIV *const. Non multi* 63 *bullar.* 1 *tom.* 2 *pag.* 303 *ed. cit.*

§. VI. Sed reliquos dies festos integros Deo et religioni tribuere oportet, eaque est, quæ dicitur festorum sanctificatio, quæ in eo est posita, ut non tantum sacrosancto Missæ sacrificio præsentes simus, sed etiam diem in divinis laudibus, in precibus, in ceteris religionis officiis transigamus (1). Justum enim est ac rationi consentaneum, quod vacui reliquis curis atque negotiis, certos quosdam dies habeamus, quos totos divino cultui tribuamus, Deumque immortalem, a quo summa et innumerabilia beneficia accepimus, cognoscamus, colamus ac veneremur. Si enim jussisset nos quotidie religionis cultum sibi tribuere, nonne pro innumeris, quibus ab eo cumulati sumus, beneficiis, omni ope et opera eniti nos oporteret, ut ei prompto alacrique animo pareremus? Nunc vero paucis ad ejus cultum institutis diebus, non socordes et negligentes nos esse oportet in hoc officio persolvendo, quod sine gravissima culpa prætermittere non possumus (2).

(1) Catech. Rom. *par.* 3 *præc.* 3 *c.* 4 §. 25. (2) *Ibid.* §. 26.

§. VII. Itaque his diebus, qui toti Deo ac religioni addicti sunt, christianis abstinendum est ab omnibus, quæ animum a Deo abstrahunt, quæque impedimento sunt, quominus ipsi ad ecclesias conveniant rebusque religionis animum adjungant. Hinc vetita sunt opera servilia, quæ olim apud Romanos præsertim a servis gerebantur, et ideo servilia dicuntur (1). Similiter nefas est agere mercatus rerum venalium, quamquam nundinæ longo usu receptæ cum certis legibus tolerentur (2); et nefas judicialia acta exercere, quæ si gesta fuerint die festo, irrita sunt (3). Urgente vero necessitate, veluti si fruges ingenti periculo subsint, aut præclara sit occasio piscandi, quæ alio die haberi non possit, episcopus metendi et piscandi tribuit facultatem (4).

(1) Opera servilia, quæ diebus festis expedire nefas est, numerat L. Ferraris *Bibl. can. verb. Festa num.* 12 *et seq.* Vide etiam Ben. XIV *Instit.* 43 *et* 65.

(2) Consule Ben. XIV *Const. Ab eo tempore* 114 *bullar. tom.* 1 *pag.* 355 *ed. cit.*

(3) *L.* 2 *et* 3 *cod. de Feriis, cap. I et cap.* 5 *de Feriis.*

(4) *Cap.* 3 *de Feriis.* Catech. Rom. *par.* 2 *præc.* 3 *cap.* 4 §. 23. Vide etiam Ben. XIV *cit. Const.* 144 §. 26 *et* 27, et *cit. Instit.* 65 Edicto S. Caroli Borr. spectacula etiam ac publici ludi interdicuntur; de quo edicto vide ipsum Ben. XIV *de syn. diœces. lib.* 11 *cap.* 1 *num.* 7.

TITULUS VI.

De Jejuniis.

I. Quid jejunium et abstinentia?
II. Jejunium Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Vigiliarum.
III. Jejunium quartæ ac sextæ feriæ et Sabbati.
IV. Jejuniorum finis.
V. Vigiliæ.
VI. Abstinentia a carnibus, lacte, ovis.
VII. Et unica comestio in diebus jejunii.
VIII. Jejunium a quibus et quomodo observandum sit?

§. I.

Ut celebratio dierum festorum, ita jejuniorum observatio pertinet ad religiosa officia christianorum, qui per ea corpus castigant atque in officio continent. Jejunium proprie sic dictum distinguitur ab abstinentia, quæ jejunii pars est. Nam abstinentia propria est eorum, qui carnes non comedunt, sed quavis diei parte cibum sumere possunt; jejunare autem dicuntur ii, qui non modo abstinent se a carnibus atque a delicato convivio, sed etiam cibum ad certam statamque horam differunt, atque non nisi semel in die

sumunt. Hoc porro est Jejunium, quod ecclesiasticum dicitur, et quod cum naturali confundi non debet. Nam hoc nihil cibi potusque permittit, adeo ut tantum observetur ab iis, qui plane jejuni sunt, hoc est nihil cibi aut potus in stomachum immiserunt, quale est jejunium eorum, qui Eucharistiam accipiunt. Verum jejunium ecclesiasticum (1) potum cibumque permittit, modo stato tempore, et vero talis capiatur, qualis tunc capi potest.

(1) Jejunium ab ecclesiasticis scriptoribus etiam statio appellatur. Hermas *in Pastore lib.* 3 *simil.* 5 *num.* 1 apud Coteler. *PP. apost. tom.* 1 *pag.* 103 *ed. Antv.* 1698. Respondi : quoniam Domine, stationem habeo. Quid est, inquit, statio? Et dixi: jejunium. Et dixit: quid est illud jejunium? Sicut solebam, inquam, sic jejuno. » Eodem sensu stationis vocabulum accipiunt Tertull. *de Coron. cap.* 11 *p.* 107, *de Anima c.* 48 *pag.* 300, *de Jejun. cap.* 10 *p.* 550 *ed. Ven.* 1744; Cassian. *de Cœnob. inst. l.* 5 *c.* 20 *et* 24 *p.* 125 *et* 129, *et collat.* 21 *cap.* 29 *pag.* 804 *ed. Atrebat.* 1628; Isidorus *orig. lib.* 6 *cap. ult. pag.* 83 *edit. Paris.* 1601. Alii stationem a jejunio distinguunt. Nam Rabanus *lib.* 2 *de Instit. Cleric. cap.* 18 *pag.* 17 *tom.* 6 *ed. Colon. Agrip.* 1626. Jejunium, inquit, est indifferenter cujuslibet diei abstinentia, non secundum legem, sed secundum propriam voluntatem. Statio autem est observatio statutorum dierum, vel temporum; dierum ut quartæ et sextæ feriæ jejunium ex vetere lege præceptum; temporum autem, ut jejunium quarti, quinti, septimi, et decimi mensis et observatio Quadragesimæ, quæ in universo orbe institutione apostolica observatur. » Cur autem statio dictum sit jejunium explicat auctor *Serm.* 21, qui exstat *in App. opp. S. Ambr. tom.* 4 *col.* 517 *ed. Venet.* 1751. « Castra enim nobis sunt nostra jejunia, quæ nos a diabolica oppugnatione defendunt. Denique stationes vocantur, quod stantes et commorantes in eis, inimicorum insidias repellamus. » Verum Cotelerius *in Hermam loc. cit. not.* 56 inter jejunium et stationem hoc tantum discrimen fuisse contendit, quod interdum statio pro jejunio quartæ et sextæ feriæ acciperetur; dé cetero unum et idem utrumque fuisse putat. Similiter observat, quod sicuti diebus jejunii conventus, sive stationes, christianorum in ecclesia longiores erant, quam Dominicis festisque diebus, hinc forte factum est, ut jejunium stationis nomine vocaretur.

§. II. Religiosa jejunia apud christianos (1), alia generali ecclesiæ lege sunt constituta, atque omnes obstringunt, statoque tempore quotannis redeunt, ut jejunium quadragesimæ, quatuor temporum, vigiliarum; et alia certos tantum homines attingunt, qualia sunt jejunia, quæ pœnitentibus imponuntur, quæ suscipiuntur ex voto, quæ ab episcopo in diœcesi, propter sollicitudinem curamque ecclesiasticam, indicuntur (2). Inter stata et solemnia jejunia maxime sacrum est jejunium ante Pascha, quod Quadragesima appellatur, et quod licet a Christo præceptum affirmari non possit (3), tamen ab apostolica traditione repetendum est (4). Hoc jejunium nunc complectitur dies quadraginta atque ejus initium fit a die cinerum (5); olim constabat sex hebdomadibus, hoc est diebus triginta sex (6); nam die dominico christiani de veteri more in memoriam dominicæ resurrectionis non jejunabant.

(1) Calviniani atque in primis Jo. Dallæus *lib. de Jejun. et Quadrag.*, contendunt de veteri ecclesiæ more christianos pro arbitrio suo, non autem ex necessitate, jejunia observasse. Hinc ajunt jejuniorum disciplinam, quæ a catholica ecclesia constituta est, non abesse a sententia montanistarum; quoniam ut his erant, ita catholicæ ecclesiæ sunt stata jejunia, quæ ex necessitate observari debeant. Sed putidæ hæ calumniæ sunt, quas satis refutarunt catholici, quos inter videndus est Nat. Alex. *hist. eccles. sæc.* 2 *diss.* 4 *tom.* 3 *p.* 304 *seq. ed. Ven.* 1776. Sane veteris ecclesiæ jejunia non ex hominum voluntate et arbitrio, sed ex legis necessitate christiani observarunt; et montanistarum jejunia ecclesia rejecit atque damnavit, quod ea illi ducerent ex figmento novarum revelationum, quas se a Paracleto Montanus accepisse jactabat. Egregie etiam de catholicorum jejuniis contra hæreticos doctissimi card. Baron., Bellarm., Cozza, Cottus disputarunt.

(2) Vide Ben. XIV *de syn. diœc. lib.* 13 *cap.* 4. *n.* 6, ubi etiam quæritur, num exempti observare debeant jejunium, quod ab episcopo pro tota diœcesi indictum est.

(2) Consule Lud. Thomass. *in tr. de Jejun. par.* 1 *cap.* 4. S. Hieronymus *in Isaiam lib.* 16 *t.* 4 *cap.* 58. *col.* 688, et *in Jonam. c.* 3 *t.* 6 *col.* 416 *cit. ed. Ver.*, quadragesimæ jejunium

repetere videtur ex jejunio, quod per dies quadraginta Moyses, Elias et Christus Dominus observarunt. Verum id ita intelligendum est, non quod Christus de quadragesimali jejunio disertum atque expressum mandatum dederit, sed tantum quod proposuerit exemplum, cui insistens ecclesia quadragesimæ jejunium instituit, ut monet Aug. *ed.* 55 *ad Januar. cap.* 15 *tom.* 2 *col.* 139 *ed. Ven.* 1729. Atque ita etiam intelligendi sunt Basilius, Theophilus, Cyrillus Alex., Petrus Chrysol., ceteri Patres, qui hoc jejunium ad divinam institutionem referunt. Vide Bert. *hist. eccl. tom.* 1 *diss.* 6 *n.* 31.

(4) S. Aug. *de Bap. contr. Donatist. lib.* 4 *cap.* 24 *tom.* 9 *col.* 140 *ed. cit.;* S. Hier. *ep.* 41 *ad Marcellam. tom.* 1 *num.* 3 *col.* 187 *ed. cit.;* S. Leo M. *Serm.* 43 *de Quadrag.* 2 *tom.* 1 *pag.* 117 *ed. Rom.* 1753. Apostolos observasse constat jejunium *antepaschale,* quod numero dierum a quadragesimali differt, quoniam complectebatur tres illos dies, qui inter Christi mortem atque ejus resurrectionem intercesserunt. Antepaschale hoc jejunium ipsa fortasse ætate Apostolorum amplificatum deinceps est, atque ita quadragesima instituta; et certe cum hæc institutio retenta semper in universa ecclesia fuerit atque ejus origo ignoretur, non nisi Apostolica auctoritate tradita haberi debet, quæ celebris est Augustini regula. Consule Nat. Alex. *cit. Diss.* 4 *art.* 3 *pag.* 313, et Selvagium *antiq. Christian. lib* 2 *par.* 2 *cap.* 7 §. 4 *et* 5; porro quadragesimam tamquam ubique observatam ac jampridem receptam memorant Origenes *Hom.* 10 *in Levit. tom.* 2 *pag.* 246 *edit. Paris.* 1733; Conc. Nicæn. *can.* 5 *col.* 326 *tom.* 1 *coll.* Hard.; Athan. *in Apolog. ad Constant. tom.* 1 *pag.* 241 *num.* 15 *ed. Patav.* 1777; Cyrillus Hierosol. *Catech.* 3 *de Bapt. pag.* 4, *et in notis ed. Paris.* 1720; Basil. *Hom.* 2 *de Jejun. tom.* 2 *pag.* 11 *num.* 2 *edit. Paris.* 1722; Greg. Nazianz. *Orat.* 40 *in baptism. tom.* 1 *pag.* 659 *ed. Colon.* 1690; Epiph. *in Expos. fid. tom.* 1 *cap.* 22 *p.* 1105 *ed. Paris.* 1622; Leo M. *Serm.* 1 *et seq. de Quadrag. tom.* 1 *col.* 143 *et seq. ed. Ven.* 1753, aliique Patres. Illud non omittam, et alias olim fuisse Quadragesimas, ideoque illam, quam statim Pascha sequitur, *majorem* appellatam fuisse, ut a reliquis distingueretur. Confer Cl. card. Garampium *Memorie della B. Chiara di Rimini diss.* 6 §. 6 *et seq. pag.* 202 *seq.*

(5) Quis diem cinerum et tres dies alios initio quadragesimalis jejunii primus addiderit, ut numerus conficeretur quadraginta dierum, incertum est. Alii id a Greg. M., alii a Greg. II factum putant.

(6) Quædam ecclesiæ sex hebdomadibus, et quædam septem

observabant, uti constat ex Cassiano *coll.* 21 *t.* 24 *et seq. pag.* 568 *et seq. ed. cit.* Sed nulla tamen earum quadraginta dierum numerum explebat, cum illæ dies Dominicos, hæ vero etiam Sabbata exciperent, et ideo tantum ex diebus triginta sex jejunium constaret, Chrys. *Hom.* 11 *in Genes. cap.* 2 *tom.* 4 *p.* 84 *ed. cit.*, et Ambr. *de Elia cap.* 10 *num.* 34 *tom.* 1 *col.* 655 *ed. Ven.* 1748, atque ita quidem quadragesimam usque ad ætatem Gregorii M. observatam fuisse constat ex ejus *Hom.* 16 *in Evang. tom.* 1 *lib.* 1 *num.* 5 *col.* 149 *ed. cit.*

§. III. Stati jejuniorum dies erant etiam quarta et sexta feria in qualibet hebdomade, quæ jejunia jam inde a primis sæculis recepta sunt, quod quarta feria Judæi ad occidendum Christum consilium inierint, feria sexta interfecerint (1). Jejunia hæc, quæ singulis hebdomadibus, exceptis quinquaginta diebus a Paschate ad Pentecosten, observabantur. non ad vesperas, uti quadragesimalia, producebantur, sed hora nona finiebantur (2). Latini ab antiquissima ætate etiam jejunium Sabbati habuerunt, quod semper una cum jejunio sextæ feriæ retinuerunt; jejunium quartæ feriæ labentibus annis paulatim desiit (3). Nunc feriæ sextæ, et Sabbati jejunium tantum a carnibus abstinentia est.

(1) Clemens Alex. *Strom. lib.* 7 *cap.* 12 *pag.* 877 *ed. Venet.* 1757; Epiph. *hæres.* 56 *sive* 76 *num.* 3 *et* 6 *lib.* 3 *cap.* 1 *pag.* 908 *et* 910 *ed. Colon.* 1682; Aug. *ep.* 86 *seu* 36 *ad Casulanum tom.* 2 *cap.* 13 *num.* 30 *col.* 80 *ed. Venet.* 1729; Petrus Alex. *can.* 15 *col.* 23 apud Bevereg. *ed. Oxonii* 1672; auctor *const. Apost. lib.* 5 *cap.* 15, apud Coteler. *PP. Apost. tom.* 1 *pag.* 322 *ed. Amstel.* 1724.

(2) Ætate Ratherii Veronensis, qui ante medium sæc. X vitæ usura fruebatur, mitigari cœperat antiqua disciplina, et jejunium quadragesimale non amplius ad vesperas, sed tantum ad nonam producebatur, uti ostendit ipse Ratherius *orat. synodic. ad presbyt. num.* 15 *col.* 420 *edit. Veron.* 1765. Sed etiam post eam ætatem, vetustam disciplinam alicubi stetisse monent fratres Ballerinii *ib. not.* 48.

(3) Orientales unum Sabbatum post Parasceven jejunio consecrabant, ceteris vero totius anni Sabbatis non solum non jejunabant, sed eodem fere solemni ritu, quo diebus dominicis, sacros conventus et synaxes celebrabant, uti testantur Athanasius *Hom. de Semente tom.* 3 *num.* 1 *pag.* 48 *edit. Patav.* 1776; Socrates *hist. eccles. lib.* 5 *cap.* 22, et *lib.* 6 *cap.* 4 *pag.* 295 *et* 313 *ed. Cantabr.* 1720; Cassian. *Inst. lib.* 3 *cap.* 2 *p.* 30 *ed. cit.* Quinimo die Sabbati vetitum ipsis erat jejunium, uti patet ex *can.* 56 *Apost.* apud Coteler. *loc. cit. pag.* 450, et auctore *const. loc. cit.*, quod a catholicis orientalibus factum est; ne assentiri viderentur errori Marcionis, qui Sabbati jejunium suæ fecerat hæreseos partem, uti demonstrat Epiph. *hæres.* 22 *vel* 42 *lib.* 1 *tom.* 1 *cap.* 3 *pag.* 304 *ed. cit.* Quæ disciplina magis magisque apud orientales firmata est, cum hæreses eruperunt, Marcianistarum, Lampetianorum, Choreutarum, Adelphianorum, qui superstitiosa et vana observatione Sabbato jejunabant. Orientalium consuetudinem numquam damnavit ecclesia Romana, imo a Bened. XIV *const. Etsi pastoralis* 57 §. 9 *n.* 8 *et seq. bullar. tom.* 1 *pag.* 110 *cit. ed.* tolerandus edicitur apud græcos usus carnium die Sabbati, si sine scandalo fieri potest; in locis autem ipsorum, et inter eos tantum Gabr. Albaspinæus *Obs. lib.* 1 *cap.* 13 *pag.* 30 *ed. Neap.* 1770 putat, olim etiam in ecclesia Rom. die Sabbati carnes edi consuevisse. Verum sæc. IV jam Sabbatum inter esuriales dies recensebatur, uti ostendunt Hier. *ep.* 71 *ad Lucinium Bæt. num.* 6 *col.* 432 *tom.* 1 *ed. Veron.* 1734; Aug. *ep.* 36 *ad Casulan. c.* 13 *not.* 31, *et ep.* 82 *ad Hier. cap.* 2 *num.* 14 *tom.* 2 *c.* 108 *et* 256 *ed. cit.* Vide etiam Conc. Eliber. *can.* 76 *tom.* 1 *conc.* Labbei *col.* 995 *ed. Ven.* Neque vero hoc Sabbati jejunium, ut quidam putant, primum institutum est ab Innoc. I *ep. ad Decent. Eugubin. c.* 4 *num.* 7, apud Coustant. *col.* 859; nam Innocentius non novi aliquid constituit, sed confirmat quod jam constitutum receptumque erat. Vide Berti *hist. eccl. tom.* 2 *diss.* 1 *num.* 5. Exstat etiam *de jejunio Sabbati* dissertatio Paschasii Quesnelli, quæ est *diss.* 6 *in opp. S. Leonis tom.* 2 *col.* 1069 *ed. Ballerin. Ven.* 1756. In Africa ætate Augustini, uti ipse testatur *cit. ep. ad Casulanum num.* 32 *col.* 108, quædam ecclesiæ erant, quæ Sabbato jejunabant, quædam, quæ non jejunabant; item in ecclesia Mediol. Sabbati jejunium non observabatur, uti narrat ipse Aug. *loc. cit.*, et Ambr. *de Elia et jejun. cap.* 10 *num.* 34 *tom.* 1 *col.* 655 *ed. Venet.* 1748; similiter in Hispaniis Rom. ecclesiæ consuetudinem non obtinuisse, constat ex conc. Coyacensi *cap.* 11 *tom.* 6 *par.* 1 *coll.* Hard. *col.* 1028. Labentibus annis jejunium

Sabbati fere ubique antiquari cœpit, et ideo S. Greg. VII in conc. Romano *can.* 31 *dist.* 1 *de Consecr.*, non ausus antiquam disciplinam integram restituere, satius putavit fideles commonere, ut ea die sese ab esu carnium abstineant. Innoc. III *in cap.* 2 *de Observ. jejun.* cum a Bracarensi episc. de Sabbati jejunio interrogatus fuisset, respondit, *quod super hoc consuetudinem tuæ regionis facias observari.* Hinc communis doctorum opinio est, licere die Sabbati carnes comedere, ubi earum esus a recepta consuetudine non est interdictus. Consule Glossam *in cit. can.* 31; S. Antonin. *in summ. theol. par.* 1 *tit.* 16 *cap. unic.*; Fagnan. *in cit. cap.* 2 *num.* 19 *et seq. de obs. jejun.*; Pirhing *Jus eccl. tit.* 46 *lib.* 3 *num.* 2.

§. IV. Quatuor temporum jejunia initio Quadragesimæ, post Pentecosten, ac mensibus septembri et decembri, quarta ac sexta feria, et Sabbato quotannis celebrantur (1). Exemplo Judæorum, qui quater in anno jejunabant, quatuor temporum jejunia recepit ecclesia, quæ jam sæc. V obtinebant (2); quamquam non judaico ritu, sed christiano animo observarentur (3). Quibus jejuniis id sibi vult ecclesia, ut pro acceptis beneficiis Deo gratias agamus, ut divinam opem exoremus atque his pœnitentiæ operibus nostra crimina expientur, ut denique bonos altaris ministros divinitus impetremus. Nam his temporibus, uti superiori libro demonstratum est, solemnes clericorum ordinationes peraguntur.

(1) Trium temporum jejunia ab apostolis instituta fuisse, Callistum autem sum. Pont. addidisse jejunium decembris, scriptum est *in ep.* 1 ipsius Callisti; verum hæc epistola Isidori Mercatoris figmentum est. Ab apost. traditione initium sumere hoc jejunium tradunt Baron. *ad an.* 57 *num.* 209 *tom.* 1 *pag.* 488 *ed. Lucæ*, et Thomass. *de Jejun. par.* 1 *cap.* 21 *n.* 7. Cum deinde aliqua ex parte vetus disciplina immutata esset, et nonnullæ ecclesiæ vernum jejunium mense Martio, æstivum vero in hebdomade, quæ post festum Pentecostes sequitur, quodam more celebrarent, S. Greg. VII Quadragesimæ initio primum jejunium fieri, alterum in hebdomade Pentecostes, perpetua lege constituit. Quod memorat Micrologus scriptor Gregorio suppar, *de eccles. observ.*

cap. 24 *et* 25 *col.* 746 *et seq. in Bibl. PP. t.* 10 *ed. Paris.;* et huc spectat conc. Claromont. habitum Urbano II P. *can.* 25 apud Labb. *t.* 12 *col.* 852 *ed. Ven.* Confer Odericum Vitalem *de histor. eccl. lib.* 9, et Murator. *in Anecd. lib.* 2 *diss. de Jejun. quatuor temp.* Præsertim autem videndus est Th. Valfredius, qui ann. 1761 Bononiæ dissertationem edidit *de Usu et Instit. jejun. temporum.*

(2) Consule S. Leonem M. *de decim. mens. jejun. Serm.* 6 *cap.* 1 *pag.* 32, *et Serm.* 8 *cap.* 2 *p.* 38 *de Jejun. Pentec., Serm.* 2 *cap.* 2 *pag.* 231, *et Serm.* 4 *cap.* 4 *p.* 233 *de Jejun. mens. sept., Serm.* 4 *et* 9 *t.* 1 *p.* 256 *et* 270 *ed. Romæ* 1753.

(3) S. Leo M. *cit. Serm.* 4 *de Jejun. sept. mens. cap.* 1 *p.* 256 *tom.* 1 *ed. cit.*

§. V. Sed et in vigiliis Natalis Domini, Pentecostis, Assumptionis B. Virginis, multorumque Sanctorum per annum, jejunia observantur. Vigiliæ erant nocturni cœtus, quos christiani in ecclesia habebant ante præcipuum aliquem festum diem, ut divina officia persolverent. Hæ differebant a communi nocturno, seu matutino officio, quod hoc nonnisi post mediam noctem circa gallicinium incipiebat, vigiliæ autem longiores erant, quod cœtum in ecclesia per maximam noctis partem detinebant, unde et *Pernoctationes, et Pervigiliæ* dicebantur (1). Nunc cum non amplius fideles noctu ad ecclesiam conveniant, vigiliæ illæ cum jejunio agendæ sunt.

(1) Videndi sunt in primis S. Jo. Chrys. *hom.* 1 *t.* 6 *pag.* 95, *et hom.* 4 *pag.* 121, *hom.* 30 *in Gen. tom.* 4 *n.* 6 *pag.* 305, *hom. de terræ motu tom.* 2 *pag.* 718 *ed. cit.;* S. Aug. *Conf. l.* 9 *cap.* 7 *num.* 1 *col.* 162 *ed. Venet.* 1729; Socrat. *lib.* 1 *cap.* 37 *pag.* 73, *et* Sozom. *lib.* 2 *cap.* 6 *et* 29 *p.* 53 *et* 86, uterque *ed. Cantab.* 1720; Sidon. Appollinaris *l.* 5 *ep.* 17 *p.* 148 *ed. Paris.* 1652.

§. VI. Jamvero duabus veluti partibus jejunium constat, abstinentia a carnibus, ovis, lacte aliisque cibis delicatioribus, et unica in die comèstione. Nam institutum est, ut agamus pœnitentiam et corpus af-

fligamus. Et abstinentia quidem a carnibus cibisque delicatioribus semper ecclesiastici jejunii pars fuit, atque etiam antiquis canonibus constituta (1). Cibi quoque delicatiores, vinique potus erant interdicti (2), ac multi addictos jejunio dies fructibus, herbis, leguminibus transigebant; multi quoque ad duos, tresve, aut quatuor dies jejunium producebant, neque deerant, qui tota hebdomade prorsus jejunii vitam agerent (3). Quin ab ipso aquæ potu, nisi legitimum advenisset solvendi jejunii tempus, sese majores nostri abstinebant (4).

(1) Præclarum quadragesimalis abstinentiæ monumentum est apud S. Greg. Turon. *lib.* 5 *cap.* 4 *pag.* 205 *ed. Paris.* 1699, qui miratur, quod Ruculenus, licet ægrotus et miles, quadragesimæ tempore carnes comederet. Eamdem hanc abstinentiam laudat S. Epiph. *expos. fid. cap.* 23 *t.* 1 *pag.* 1106 *ed. Paris.* 1622. In capitulatione de partibus Saxoniæ *cap.* 4, apud Baluz. *capit. reg. Franc. tom.* 1 *col.* 181 *ed. Ven.* 1772 statutum est, ut « Si quis sanctum quadragesimale jejunium pro despectu christianitatis contempserit et carnes comederit, morte moriatur. » Et Carolus M. *ep. ad Offam regem Merciorum* apud eumd. Baluz. *loc. cit. col.* 108, graviter reprehendit Scotum quemdam presb., *quod carnem diebus quadragesimalibus comedisset.* Confer Nat. Alex. *cit. diss.* 4 *art.* 2 *pag.* 305 *et seq.*, qui late contra Dallæum ceterosque hæreticos ostendit, abstinentiam a carnibus semper ecclesiastici jejunii partem fuisse, atque etiam apud veteres christianos ecclesiæ lege præceptam. Vide etiam Bossuet *hist. des Variat. lib.* 7 *n.* 92. Quæritur autem, num hæc abstinentia ad antiquam consuetudinem, an potius ad jus positivum referenda videatur; qua de re vide Ben. XIV *inst.* 16 *n.* 3.

(2) Basil. *hom.* 1 *de Jejun. t.* 2 *pag.* 9 *n.* 10 *ed. cit.;* Cyrill. Hierosol. *catech.* 4 *ad Illum pag.* 65 *cap.* 27 *ed. Paris.* Vide etiam quæ de Valentiniano Jun. narrat S. Ambr. *in ejus orat. col.* 254 *num.* 16 *tom.* 4 *ed. Venet.* 1751, de Justiniano Procopius *de ædific. Justinian. lib.* 1 *cap.* 7 *pag.* 19 *tom.* 2 *edit. Paris.* 1663.

(3) Confer Aug. *de morib. eccl. cathol. c.* 23 *n.* 70 *col.* 712 *tom.* 1 *ed. cit.*, et auctorem *Const. Apost. l.* 5 *cap.* 18, ibique Coteler. *not.* 18 *pag.* 325, qui multis allatis monumentis ostendit, quousque jejunii austeritas apud majores nostros progrede-

retur. Intendebatur autem jejunium potissimum in majori hebdomade, quo temporis intervallo veteres christiani sub vesperam utebantur Ξηροφαγιᾳ, hoc est arido victu, qui constabat aut pane et sale cum aqua, uti tradit Epiph. *Expos. fidei n.* 22 *tom.* 1 *pag.* 1103 *ed. Paris.* 1622, aut pane, aqua, sale et oleribus, uti eum describit auctor *constit. Apost. loc. cit.* Aridum hunc victum per totam Quadragesimam adhiberi jubet conc. Laodic. *can.* 50 *tom.* 1 *conc.* Labbei *col.* 1539 *ed. Venet.* Sed Laodic. concilio recentior Epiph. *loc. cit.* legem hanc xerophagiorum tantum in majori hebdomade ab ecclesia universa observatam fuisse testatur. Ipse enim triplicem jejunii formam distinguit, alteram illius Quadragesimæ partis, quæ septem dies Paschatis, seu majorem hebdomadam præcedit, hæc mitior erat, quoniam xerophagiis minime adstricta; alteram majoris hebdomadæ, quæ illa severior erat, ac xerophagiorum lege tenebatur; postremam utraque asperiorem, quoniam hujus hebdomadæ pars, imo et tota sine cibo traducebatur. Prima et altera universæ ecclesiæ cunctisque populis in more erat, et ideo vim legis habuit, postrema vero iis tantum, qui plus pietate fervebant, merumque consilium, non præceptum fuit. Hinc ipse Epiph. majorem hebdomadam τῆς Ξηροφαγιας εβδομαδα appellat. Epiphanio antiquiores Irenæus *ep. ad Victor. P. tom.* 1 *pag.* 340 *edit. Venet.* 1734, et Dion. Alex. *ep. ad Basilid.* apud Labb. *tom.* 1 *col.* 855 *ed. Venet.* ostendunt, plures etiam ea ætate fuisse de forma ac ratione antepaschalis jejunii controversias. Consule Massuet. in Irenæum *diss.* 2 *art.* 1 *n.* 23 *et seq. pag.* 74 *et seq. opp. Iren. tom.* 2 *ed. cit.* Ceterum qui plures continuos dies jejunium agebant, dicebantur jejunium *superponere et conjungere*, uti habent Epiph. *loc. cit.;* Tertull. *de Patient. cap.* 13 *pag.* 247 *edit. Paris.* 1575; Hier. *ep. ad Marcellam num.* 4 *col.* 128 *tom.* 1 *ed. cit.;* de qua quidem *superpositione* jejunii videndus est Ducange *verb. superpositio.* Confer etiam Tertull. *de Jejun. cap.* 14 *pag.* 552, et Sozom. *hist. lib.* 1 *cap.* 11 *p.* 24 *ed. Cantabr.* 1720.

(4) Celebre est, quod de S. Fructuoso episc. Tarracon. narrat Prudentius *Hymn.* 6 *pag.* 88 *edit. Paris.* 1687, qui cum ad mortem raperetur, haustum frigidæ recusavit, quod illo die jejunium ageretur, neque adhuc ejus solvendi tempus advenerat. Alia multa ea de re habet Baillet. *tom.* 3 *de vit. Sanct. in hist. quadrag.* §. 4 *et* 7, ac Mamach. *costumi de primitivi Cristiani tom.* 2 *lib.* 2 *cap.* 5 §. 20 *et seq. pag.* 109 *seq.*

§. VII. Unica etiam in die comestio, quæ ex cibis esurialibus frugaliter (1) atque hora legitima, hoc

est circa meridiem capiatur, jejunii partem constituit (2). Nunc jejunantibus exigua cœnula permittitur, quæ *collatio* dicitur (3), quæque constare debet ex eo cibo eaque potione, quibus homines jejunantes recte meticulosæ conscientiæ uti solent (4).

(1) Qui in illa unica comestione, ciborum copia, modo, vel condimentis communes excedit limites, si minus præceptum ecclesiasticum reipsa violat, tamen immunis non est ab intemperantiæ nota, sicuti docet S. Th. *in 4 dist.* 15 *q.* 3 *art.* 4 *q.* 3 *ad.* 2. Igitur norma quædam, sicuti inquit Ben. XIV *Instit.* 15 *num.* 12, *pro ciborum genere, copia modoque statuendo, ex piis moderatisque viris* sumenda est. Ipse Ben. XIV post editas Institutiones, quas emisit, cum cardinalis esset, postquam Pontifex creatus est, constitutionibus suis, quas paulo post indicabo, edixit, quid de jejunio ciborumque genere observandum sit.

(2) Quæsitum est a theologis, num duæ illæ partes, quibus jejunium constat, abstinentia a certis cibis, et unica comestio, ita inter se conjunctæ et conglutinatæ sint, ut una sublata, altera quoque necessario tolli debeat. Sed inutilis est hæc disputatio, posteaquam Bened. XIV *const.* 19, 27, 55, 99, *bullar. tom.* 1 *pag.* 29, 39, 100, 216, *edit. indic.* jussit episcopis, ne cui valetudinis causa diebus quadragesimæ carnibus vesci permittant, nisi adjecta lege servandi alteram jejunii partem, quæ in unica comestione consistit. Confer ipsum Ben. *cit. Inst.* 15 *num.* 19 *et seq., et de syn. diœc. lib.* 7 *cap.* 3 *num.* 1.

(3) Collatio sive cœnula vespertina originem ducit a monachis, quibus ob laborem manuum, in quo tota die versati fuerant, ipsis jejunii diebus post sumptum sua hora cibum haustus aquæ permittebatur, cui deinceps frustulum panis adjunctum est, ne simplex aqua noceret. Erat autem proprie collatio lectio spiritualis, quæ statis horis, maxime post cœnam quotidie absolvebatur, quæque in claustro, vel in capitulo fieri solebat, diebus autem jejunii fiebat in refectorio, ne scilicet tempus regularis vitæ officiis destinatum in illa cœnula tereretur. « Mox ut surrexerint a cœna, inquit regula S. Benedicti *cap.* 42, apud Holstenium *cod. regul. tom.* 1 *p.* 127 *ed. Aug. Vind.* 1759, sedeant omnes in unum, et legat unus collationes, vel vitas Patrum, aut certe aliud, quod ædificet audientes. » Eodem sensu collationis vocabulum accipit Isidori regula *cap.* 8 *pag.* 192 *ibid.* Semper autem vespertinus ille ad refectionem aditus esurialibus diebus significabatur his verbis: « Ire ad collationem, aut acce-

dere ad lectionem collationum. » Nomen hoc collationis translatum est deinceps ad cœnulam illam, sive refectionem vespertinam, quemadmodum illud adhibetur in regula Templariorum *cap.* 16 apud Holstenium *t.* 2 *ibid. p.* 434, eodemque sensu hoc vocabulum usurparunt sæculares, cum illam cœnulam sumere cœperunt. Vide Nat. Alex. *cit. diss.* 4 *art.* 7 *prop.* 3 *p.* 335.

(4) Ben. XIV *Const. Si Fraternitas* 99 *p.* 216 *t.* 1 *bullar.*

§. VIII. Observatio jejunii omnibus indicta est, qui ad constitutam ætatem pervenerunt; et episcopus curare præsertim debet, ut hæc integra observatio sit (1). Verum carnes, aut ova comedendi facultas a præsidibus iis tribuitur, præsertim in quadragesima, qui judicio medicorum propter adversam valetudinem cibos esuriales ferre non possunt (2); et sæpe etiam a summis Pontificibus integræ nationi justis de causis eadem hæc venia conceditur (3). In quo illud animadvertere oportet, quod quibus est permissus esus carnium, ovorum, casei, lactis, ii jejunii diebus unicam comestionem servare debent (4), neque cum carnibus pisces miscere possunt (5), aut in vespertina cœnula carne, ovis, lacte, caseo vesci (6).

(1) Conc. Trid. *sess.* 25 *de reform. decr. de elect. cib. jejun. et dieb. fest.*

(2) Late ac diligenter hoc argumenti genus persequitur Ben. XIV *Inst.* 15 *num.* 13 *et seq.*

(3) Inter ceteras, quæ a Rom. Pontificibus integræ nationi ea de re datæ sunt facultates, celebris est *Bulla Cruciatæ*, quæ ita dicitur, quod olim hæc bulla concederetur militibus, qui rubro signo S. Crucis insigniti ad bellum contra Turcas proficiscebantur sub Urbano II, et in conc. Lateran. sub Julio II. Nunc conceditur christianis omnibus in regno Neapolitano, atque in regnis et provinciis Hispaniarum regi subjectis certam opem, sive operam in subsidium belli contra infideles et hæreticos conferentibus. Hoc idem privilegium an. 1745 Ben. XIV *in const. Quoniam* 86 *tom.* 1 *bullar. ed. cit. pag.* 172, attribuit etiam militiæ Hierosolymitanæ et incolis insularum ipsius ditioni subjectarum. Qui ejus bullæ beneficio utuntur, præter alia privilegia, illud etiam habent, ut perseverante anno Bullæ, ovis, lacte, carni-

bus, jejunii diebus vesci possint. Multa, quæ ad hanc bullam pertinent, præter ceteros, collegit L. Ferraris *Biblioth. verb. Bulla Cruciatæ.*

(4) Ben. XIV *Const. Non ambigimus* 19 §. 4 *pag.* 30, *et Const. Si Fraternitas* 99 *pag.* 217 *bullar. tom.* 1 *ed. cit.*

(5) Ben. XIV *Const.* 19 §. 4, *et Const.* 99 *mox cit.*

(6) Ben. XIV *ead. Const.* 99. Vide etiam ejusdem Ben. *Const. Libentissime* 130 *pag.* 319 *tom.* 1 *bullar.*, ubi multa habes, quæ ad jejunii leges pertinent.

TITULUS VII.

De Rebus sacris, et primum de Ecclesiis.

I. Res sacra quid? Cultus externus.
II. Christianorum ecclesiæ et varia earum nomina.
III. Quales primo, quales postea ecclesiæ fuerint?
IV. Vetus earum forma et situs.
V. Ecclesiæ significatio duplex.
VI. Quibus de causis.
VII. Et quibus solemnitatibus nova ecclesia ædificetur.
VIII. Ecclesiæ reparatio.
IX. Variæ ejus partes. Narthex.
X. Navis.
XI. Sanctuarium.
XII. Altare.
XIII. Sacræ imagines in ecclesia.
XIV. Exteriores ecclesiæ partes. Vestibulum et atrium.
XV. Baptisterium, Secretarium, Pastophorium, Schola, Bibliotheca.

§. I.

Res sacræ sunt res Deo et religioni consecratæ, ut quæ pertinent ad divinum cultum peragantur. Hujusmodi sunt in primis ecclesiæ, sacræ nimirum ædes ad quas christiani conveniunt, ut opera religionis impendant. Ecclesiæ vocabulum proprie significat societatem et conventum fidelium; sed omnium consensu traductum est ad designandum locum, in quo christiani suos agunt conventus; et nos hoc sensu ecclesiæ vocabulum usurpamus. Nimirum cum Christi ecclesia

visibilis sit, præter cultum internum, habere etiam debet externum, qui omnis consistit in communibus precibus, in sacris ritibus, in sacrificiis, in sacramentorum administratione; ideoque instituta sunt loca, ad quæ christiani concurrerent, ut divinis sacrisque rebus operam darent.

§. II. Jam inde ab apostolorum ætate christiani certa habuerunt loca, ad quæ frequentes conveniebant, ut res divinas ac sacras agerent, quæ loca postmodum ecclesiæ appellata sunt (1); ecclesiæ inquam, potius quam templa, ne illi convenire viderentur cum ethnicis, penes quos celeberrima fuerunt templorum et fanorum nomina (2). Vocatur autem ecclesia ab ecclesiasticis scriptoribus etiam *oratorium*, hoc est locus, in quo preces funduntur (3), et *Dominicum*, hoc est domus Dei (4); et *basilica*, quo nomine appellantur regiæ ædes ad audiendas causas, aut alium publicum usum constitutæ, quæ ædes a piis Imperatoribus christianis datæ sunt, ut ibi conventus agerent suos (5); et *templa*, quo nomine christiani serius uti cœperunt, antea non utebantur, cum proprium esset ethnicorum (6); et *tituli*, loca scilicet Deo consecrata, quæ sacerdotes et ministros sibi addictos habebant (7). Si quam in memoriam Prophetæ, aut Apostoli, aut Martyris ecclesiam ædificabant, eam *Propheteum*, *Apostoleum*, *Martyrium* christiani appellabant (8).

(1) Quamquam certo affirmari non possit, apostolos initio habuisse ecclesias, quales certe eorum discipuli habuerunt, tamen exploratum est, eis certa fuisse loca, in quibus opera religionis impenderent. Quod enucleate in primis et copiose demonstrat Cl. Mamachius *de' costumi de' primitivi cristiani lib.* 1 *c.* 4 §. 2 *num.* 2 *tom.* 1 *pag.* 296 *seq.* Videndus est etiam Medus, peculiari dissertatione, cujus veluti compendium dedit Binghamus *Origin. eccl. lib.* 8 *cap.* 1 §. 15 *tom.* 3 *pag.* 141 *et seq. ed. Halæ Magd.* 1758, qui et sua quædam adjecit, eaque gravia argumenta adversus eos, qui *plane singularem et novam sen-*

tentiam, ut inquit, evulgarunt, *christianos tribus prioribus sæculis istiusmodi distincta cultus divini loca non habuisse.* Præcipua sunt, quod Paulus I *ad Cor. XI vers.* 22 iis verbis: « Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? aut ecclesiam Dei contemnitis? » sine dubio ecclesiæ nomine designat locum sacrum; atque ita Paulum explicant Aug., Basil., Chrys., Sedulius, Theophylactus; quod apostoli semper in certum locum ad fundendas preces in monte Sion convenerunt, qui fuit hyperoon, sive cœnaculum, cujus in actis apostolorum toties mentio est; quod Ignatius *ep. ad Magnes. num.* 7 apud Cotelerium *PP. Apost. tom.* 2 *pag.* 19 *ed. Amst.* 1724, diserte memorat ναον θεου *templum Dei, et ep. ad Philadelph. num.* 4 *pag.* 31 *loc. indic. unum altare,* quæ altaris mentio satis ostendit, christianos certum pro sacris conventibus habuisse locum; quod Therapeutas jam inde a Marci temporibus loca quædam ad divinum cultum secreta habuisse scribit Eusebius *Hist. lib.* 2 *c.* 17 *pag.* 67 *ed. Cantabr.* 1720: quod denique Alexander Severus, « Cum christiani quemdam locum, qui publicus fuerat, occupassent, contra popinarii dicerent, sibi eum deberi, rescripsit apud Lampridium *pag.* 219 *num.* 30 *ed. Francof.* 1588, melius esse, ut quomodocumque illic Deus colatur, quam popinariis dedatur. » Atque hæc quidem, uti observat card. Orsius *hist. eccl. lib.* 6 §. 23, prima fuisse videtur publica ecclesia, quam christiani habuerunt, cum antea nonnisi privatas et occultas haberent.

(2) Hinc Orig., Minuc. Felix., Arnob., Lactant. inquiunt christianos templa non habuisse; quod ita accipiendum esse multis ostendit Medus, eos talia non habuisse templa, qualia gentes habebant.

(3) Oratorium appellata est ecclesia, hoc est *domus precationis,* idque nomen primum publicæ ecclesiæ, uti testantur Euseb. *hist. lib.* 10 *cap.* 3 *pag.* 464, *et de laud. Constant. cap.* 17 *pag.* 770, et Socrat. *hist. l.* 1 *cap.* 18 *pag.* 49 *ed. Cantabr.* 1720, postea privati oratorii proprium fuit. *Oratoria* tamen, sive *ædes oratorias* ab ecclesiis distinguunt Didymus Alexandr. *de Trin. lib.* 2 *cap.* 7 *pag.* 200 *edit. Bonon.* 1769; Socrates *hist. lib.* 5 *cap.* 10 *pag.* 253 *ed. Taurin.* 1747; Theophilus antecessor *Inst. lib.* 2 *tit.* 1 *pag.* 213 *edit. an.* 1751. Proprie oratoria minores quædam ecclesiæ erant.

(4) Hier. *Chron. olymp.* 277 *opp. t.* 8 *c.* 785 *ed. Vallarsii Veron.* auctor est nobis, celebrem ecclesiam Antiochiæ a Constantino ædificari cœptam, et a Constantio absolutam, *Dominicum aureum* appellatam fuisse. Eodem vocabulo ad designandam ecclesiam utitur Hilarius *ad Constant. lib.* 1 *num.* 8 *tom.* 2 *col.* 540 *ed. Veronæ* 1730.

(5) Nomen hoc frequens est apud Ambr. *epist.* 20 *ad Marcel. num.* 1 *et ep.* 40 *n.* 15 *t.* 3 *col.* 960 *et* 1621 *ed. Ven.* 1751; Aug. *Serm.* 356 *num.* 9 *t.* 5 *par.* 2 *col.* 1388 *ed. cit.*; Hier. *ep.* 107 *ad Lætam cap.* 9 *t.* 1 *col.* 680 *laud. ed.*; Sidonium *lib.* 7 *ep.* 17 *pag.* 1416 *opp. poetarum latinorum tom.* 2 *edit. Londini* 1715. aliosque sæculi quarti et quinti scriptores.

(6) Vix ullus est christianus scriptor, qui tribus prioribus sæculis, ad designandas ecclesias, templi nomine usus fuerit. Sublata eversaque ethnicorum superstitione, tum demum christiani scriptores nomen hoc adhibere cœperunt. Magis autem abhorruerunt a fani vocabulo, eoque utebantur, ut indignationem atque animi dolorem ostenderent adversus quædam conventicula hæreticorum, quos eodem, quo ethnicos, habebant loco, uti patet ex Ambr. *ep.* 40 *ad Theodos. num.* 16 *tom.* 3 *col.* 1021 *ed. cit.*

(7) Consule *lib.* 1 *tit.* 5 *sect.* 2 §. 9 *not.* 2 *p.* 246, ubi de titulis actum est.

(8) Martyrium memorat Eusebius *de vit. Constant. l.* 3 *cap.* 48 *pag.* 640 *ed. cit.* Eaque de causa Euseb. *ibid. lib.* 4 *cap.* 33 *et p.* 597 *et* 648, aliique *martyrium Salvatoris* appellant ecclesiam, quam Constantinus ædificavit in honorem Christi Salvatoris, qui præcipuus fuit martyr eorum, qui divinæ religionis causa mortem pertulerunt, cujus rei ampla narratio est in epistola Henr. Valesii, quæ est ad calcem hist. eccl. Eusebii. Latini loco martyrii hujusmodi ecclesiam vocant *memoriam martyris*, uti constat, ex Aug. *de Civ. Dei lib.* 22 *cap.* 8 *num.* 17, *et cap.* 10 *col.* 699 *et* 675 *tom.* 8 *ed. cit.*, atque apud eos, *martyrium* designat etiam ecclesiam in honorem alicujus sancti, qui martyr non esset, uti patet ex S. Hier. *in vit. Hilarion. cap.* 31 *tom.* 2 *col.* 32 *edit. cit. Apostolei* mentio est apud Sozom. *l.* 8 *c.* 17 *pag.* 322 *ed. Taur.* 1747, *Prophetei* in concilio CP. sub Menna *act.* 3 *col.* 1243 *t.* 2 *coll.* Hard. Memorat etiam ipse Sozom. *hist. lib.* 2 *c.* 3 *pag.* 45 *ed. cit.* μιχαήλιον *Michaelium*, hoc est ecclesiam, quam in honorem S. Michaelis Archangeli Constantinus M. in Hesiis extra Constantinopolim Deo erexit.

§. III. Primæ christianorum ecclesiæ simplices et modicæ fuisse videntur, quales videlicet fidelium paupertas et paucitas, ac formidolosorum temporum ratio patiebatur. Sed aucta fidelibus atque oblationibus ecclesia et extincta christiani nominis invidia, multæ eæque splendidissimæ ædes ædificatæ sunt (1). Accesserunt edicta Imperatorum de templis ethnicorum in

ecclesias convertendis (2) et eorum, ac præsertim Constantini munificentia, qua, sumptu vere regio, magnificentissima templa excitata sunt (3).

(1) Baron. *ad. ann.* 571 *num.* 82 *pag.* 445 *tom.* 1 *edit. Lucæ* copiose demonstravit, ecclesias pluribus iisque ditissimis ornamentis antiquitus fuisse refertas. Jo. Henr. Ottius Calvinianus in libro, cui titulus: *Examen perpetuum historico-theologicum in card. Baronii annales*, eum refellere conatus est. Sed ea in re opus hoc errorum et ineptiarum refutavit Muratorius *diss.* 16 *ad. calc. opp. S. Paulini pag.* 832 *seq. ed. cit.*, ubi late ostendit, quam magna et quam magnifica fuerint antiquarum ecclesiarum ornamenta. Confer etiam Cl. Mamachium *del Diritto libero della Chiesa di acquistare, e di possedere beni temporali lib.* 3 *par.* 2 *cap.* 3 *num.* 24 *et seq. pag.* 408 *seq.* Monumentis, quæ ab his duobus doctissimis viris allata sunt, addam Didymum Alexandr. scriptorem IV sæculi, qui *lib.* 2 *de Trin. c.* 7 *p.* 200 *ed. Bonon.* 1769 testatur sua ætate ecclesias fuisse *auro*, *argento et ebore ornatas.*

(2) Plures ea de re leges exstant in codice Theodos. *l.* 9 *tit.* 17, *et L.* 2 *cod. de Sepul. violat.*, idque etiam testantur non christiani solum scriptores Euseb. *de vit. Constantin. lib.* 3 *cap.* 51 *et* 58 *pag.* 606 *et* 613 *ed. cit.*, aliique, sed etiam ethnici Eunapius *vit. Ædes. pag.* 33 *ed. Coloniæ Allobr.* 1616; Libanius *Orat. apolog.* 26 *pag.* 591 *tom.* 2 *edit. Paris.* 1627; Julianus *orat.* 7 *pag.* 224 *tom.* 1 *ed. Lips.* 1696.

(3) Constantinus nullis pepercit sumptibus, ut in omnibus Orientis partibus, ex gr. Hierosolymis, Antiochiæ, Nicomediæ juxta quercum Mambre, Heliopoli in Phœnicia, aliisque locis compluribus splendidissimæ ecclesiæ ædificarentur, sicuti narrant Euseb. *de vit. Constantin. lib.* 3 *cap.* 50 *et* 51 *pag.* 605 *et* 606, et Socrat. *hist. lib.* 1 *cap.* 16, 17, 18. *pag.* 45 *et seq. ed. cit.* Ipse etiam fundamenta jecit celebratissimæ ecclesiæ, quæ *S. Sophia, et Magna* dicta, quæque annis triginta tribus post a Constantio absoluta est, uti Socrat. *lib.* 2 *t.* 16 *pag.* 95 *ed. Cantabr.* 1720, et auctor *Chronici Alexandr. ad an.* 360 memoriæ prodiderunt; quam quidem ecclesiam incendio consumptam iterum Justinianus splendidius ædificavit. Ejus autem descriptionem habes apud Evagrium, Procopium, Agathiam, Paulum Silentiarium.

§. IV. Vetus ecclesiæ forma et situs non semper idem. Interdum oblonga erat ac navi similis, inter-

dum rotunda, aut plurium laterum, aut ad formam crucis (1); qua de re non unus semper, nec ubique mos fuit. Ecclesiæ frons, ut plurimum, ad Occidentem spectabat, sanctuarium ad Orientem, quoniam versus Orientem Christiani preces fundebant (2). Sed sæpe neque Orientem, neque Occidentem Sanctuarium respiciebat; et vero ab antiquis monumentis quavis forma et situ ecclesiæ exhibentur (3).

(1) Auctor *const. Apost. lib.* 2 *cap.* 57, apud Coteler. *PP. Apostol. tom.* 1 *pag.* 263 *et* 264 *cit. edit.* ecclesiam vult esse oblongam navi similem. Verum ecclesiam a Constantino in monte Golgotha ædificatam rotundam fuisse, octo autem laterum ecclesiam Antiochiæ, tradunt Euseb. *in vit. Constantin. l.* 3 *cap.* 38 *et* 50 *pag.* 599 *et* 606 *ed. cit.*, et Strabo *de reb. eccles. cap.* 4 *in Bibl. PP. tom.* 10 *col.* 664 *edit. Paris.* Alias fuisse ecclesias ad formam crucis, scribunt Evagrius *histor. lib.* 1 *cap.* 14 *pag.* 268 *edit. Cantabr.* 1720, et Cedrenus *vit. Justin. in compend. hist. tom.* 1 *p.* 590 *num.* 160 *ed. Paris.* 1647.

(2) Auctor *Constit. Apostolic. loc. cit.*

(3) Late id ostendit Binghamus *Orig. eccl. lib.* 8 *cap.* 3 §. 1 *et* 2 *tom.* 3 *pag.* 172 *ed. cit.*

§. V. Ecclesiæ vocabulum latius et angustius accipitur. Latius acceptum significat sacras ædes, ad quas populus confluit divinis sacrisque rebus operam daturus; et hujusmodi sunt templa cathedralia, parochialia, collegiata, conventualia. Cathedralis ecclesia est, quæ fixam habet episcopi cathedram, et mater ac princeps est ecclesiarum omnium, quæ in diœcesi sunt. Parochialis ecclesia proprium habet presbyterum, qui sub episcopo curam animarum gerit; collegiata collegium canonicorum. Denique conventuales ecclesiæ sunt, quæ a monachis et regularibus administrantur. Latius acceptum ecclesiæ nomen comprehendit etiam oratoria, sacella, capellas, quæ privatis conventibus, præsertim vero mittendis ad Deum precibus addictæ sunt.

§. VI. Novum templum non temere et cujusque arbitrio ædificandum est, sed causa cognita et cum episcopi auctoritate (1). Causæ sunt populi commoda et necessitates (2). Quare si tanta sit populi distantia viarumque discrimen, ut ille sine magno incommodo, aut periculo ad ecclesiam accedere nequeat, novum templum excitandum est (3), et nova etiam ecclesia conceditur leprosis aliisque contagioso morbo laborantibus, ubi suos agant conventus, ne ceteri fideles inficiantur (4). Sed et episcopo pro paranda sibi sepultura novam ecclesiam ædificare permittitur, eique ex propriæ ecclesiæ reditibus dotem attribuere (5).

(1) *Can.* 9 *de Consecr. dist.* 1; Conc. Chalced. *can.* 4 *col.* 601 *et seq. tom.* 2 *coll.* Hard.
(2) *Can.* 10 *dist.* 1 *de Conc.; cap.* 3 *et ult. de eccl. ædif.*
(3) Conc. Trid. *sess.* 21 *cap.* 4 *de ref.*
(4) *Cap.* 2 *de eccl. ædific.*
(5) *Can.* 74 *cap.* 12 *q.* 2; *cap.* 9 *de donat.*

§. VII. Cum nova fabrica inchoanda est, episcopus designato loco preces fundit et crucem humi defigit, ubi majus altare locari debet (1). Ante ædificationem curandum est, ut nova ecclesia dotem habeat, unde necessaria pro ministris, pro luminaribus, pro sacra supellectile et ceteris, quibus est opus, perpetuo comparentur (2); audiendique sunt Parochus antiquæ ecclesiæ et ceteri, quorum interest, iisque etiam injuste adversantibus, novum opus inchoatur et absolvitur. Parochus antiquæ ecclesiæ, quæ *matrix* dicitur, respectu habito ad novam, seu *filialem* ecclesiam, debet partem fructuum parochiæ suæ novo parocho attribuere, habetque ab ecclesia *filiali* annuam præstationem, quæ ejus subjectionis argumentum est. Cum opus fuerit, episcopus etiam novæ parochiæ cives compellit ad præstandum parocho id, quod ei necessarium est ad vitam honeste traducendam (3).

(1) Consule Pontif. Rom. *par.* 2 *tit.* 1 *et* 2 *tom.* 2 *pag.* 1 *seq. edit. Rom.* 1739.
(2) *Can.* 26 *et* 36 *caus.* 16 *qu.* 7, *cap.* 8 *de cons. eccl.*
(3) Conc. Trid. *cit. sess.* 21 *cap.* 4 *de reform.*

§. VIII. Ecclesiæ jam constructæ identidem reparandæ instaurandæque sunt. Id vero faciendum est ex bonis earumdem ecclesiarum, et ideo jam inde a sæculo VI viguit consuetudo, ut certa pars redituum ecclesiasticorum ad ecclesiæ fabricam pertineret (1). Cum ecclesia non habet hos reditus fabricæ addictos, beneficiarii debent suorum beneficiorum ecclesias instaurare (2), eidemque oneri subsunt etiam, qui decimas, aut alia bona ecclesiastica possident (3). Cathedralem ecclesiam reparare præsertim debet episcopus atque aliquid etiam ejus canonici in id conferre coguntur (4). Cum bona ecclesiastica non suppetunt, patronos et ceteros ecclesiasticorum bonorum possessores, ac denique parochianos episcopus ad parœciam instaurandam cogit. Quod si nullus sit ecclesiæ reparandæ modus, ea convertitur in profanos non sordidos usus, ibique crux erigitur, et ejus jura ad matricem, aut ad viciniorem ecclesiam transferuntur (5).

(1) Hoc juris Augustino Angliæ episcopo Greg. M. præscripsit *can.* 30 *caus.* 12 *q.* 2, et idem etiam sancitum exstat aliis canonibus, qui eodem loco a Gratiano referuntur. Eamdem quoque aliarum, præsertim in Hispaniis, ecclesiarum fuisse disciplinam, et quidem *ex antiqua traditione,* constat ex concil. Tarracon. *can.* 8 *col.* 1042 *tom.* 2 *coll.* Hard.
(2) *Cap.* 1 *et* 4 *de eccl. ædif.*
(3) *Can.* 2 *et* 3 *c.* 10 *q.* 3.
(4) *C. ult. De his quæ fiunt a maj. par. Cap.*
(5) Conc. Trid. *sess.* 21 *cap.* 7 *de reform.*

§. IX. Jamvero ecclesiæ, præsertim ampliores, pluribus constant partibus, quarum aliæ interiores, hoc est intra parietes sunt, aliæ exteriores, quæ parietibus non includuntur. Partes interiores, ex antiqua disciplina erant *narthex* sive *ferula, templum* sive *navis,*

et *bema* sive *sanctuarium* (1). Narthex erat pars oblonga et angusta ad instar *ferulæ*, e transverso frontis ecclesiæ, ibique, dum sacræ conciones habebantur, infideles, hæretici, catechumeni et pœnitentes *audientes* dicti consistebant (2).

(1) In has quidem tres partes plerumque ecclesiæ dividebantur. Morinus tamen *de Pœn. lib.* 6 *cap.* 1 *num.* 20, et le Brun *explic. Missæ tom.* 2 *diss.* 1 *art.* 8 *pag.* 64 *edit. Venet.* 1770 monet, primis temporibus ecclesias in duas tantum partes fuisse tributas, in aulam sive atrium laicorum, et in sanctuarium, in quo consistere episcopis, presbyteris et diaconis tantum licebat; divisionem autem illam in partes tres serius a monachis initium habuisse.

(2) De antiqua ecclesiarum forma copiosissime accuratissimeque disputat Cl. Mamachius *de' Costumi de' primitivi cristiani l.* 1 *c.* 4 §. 2 *n.* 3 *et seq. tom.* 1 *pag.* 308 *seq.*

§. X. Narthecem excipiebat pars illa ecclesiæ, quæ proprie *templum* ac *navis* dicebatur. Hæc, ut plurimum, quadrata erat (1), eamque a narthece separabant lignea quædam repagula pervia portis, quas portas *regias* et *speciosas* appellabant (2). In inferiori hujus partis loco, qui statim ingredienti occurrebat, stabant pœnitentes *substrati* (3), in superiori, qui erat sanctuario propinquior, *consistentes* et fideles communicantes; et hi suum quique habebant locum, mares discretum a fœminis, virgines a nuptis, monachi a sæcularibus (4). In media *navi* erat *ambo*, hoc est locus editus, ad quem per gradus patebat ascensus, in eoque stabant cantores (5) et lectores, qui epistolas atque evangelia legebant (6), et in eo etiam diptycha recitabantur (7).

(1) Hinc in Const. Theodosii et Valentiniani, quæ exstat *in codice Theod. post Leg.* 4 *lib.* 9 *tit.* 46 *tom.* 3 *pag.* 397 *ed. Lips.* 1738, eccles. navis *quadratum populi oratorium* appellatur.

(2) Regiæ, seu speciosæ dicebantur navis portæ, vel quod per eas ad regium Dei palatium, hoc est ecclesiam patebat accessus,

vel quod ibi reges templum ingressuri coronas deponebant. Hinc Leo Grammaticus *in vit. Michael. Imp. pag.* 466 *ed. Paris.* 1655, tamquam rem insolentem et indignam animadvertit, quod ipse Imperator cum venisset ad portas regias, coronam non deposuisset, uti reges facere consueverant.

(3) Omnes ecclesiasticarum antiquitatum scriptores suum substratis adscribunt locum a ceteris discretum, auctoritate præsertim Tertul. *de pudicit. cap.* 13 *pag.* 564 *ed. Paris.* 1675, et Sozom. *hist. lib.* 7 *cap.* 16 *pag.* 300 *ed. Cantabr.*

(4) Mares a fœminis per ligneos parietes secernebantur; cujus consuetudinis testimonia sunt apud Cyrill. Hierosol. *Præf. in Catech. num.* 14 *pag.* 10 *ed. Paris.* 1720; S. Aug. *de Civ. Dei lib.* 2 *cap.* 28, *et lib.* 22 *cap.* 8 *num.* 3 *col.* 57 *et* 665 *tom.* 7 *ed. Ven.;* Paulin. *in vit. Ambros. num.* 11 *opp. Ambr. tom.* 4 *col.* 4 *ed. Ven.* 1751; Socrat. *hist. lib.* 1 *cap.* 17 *pag.* 47 *ed. Cantabr.* 1720; et ligneos quidem parietes, per quos fœminæ a maribus discernebantur, nominat Chrysost. *hom.* 74 *in Matth. tom.* 7 *pag.* 712 *ed. Paris.* 1727. Aliæ erant portæ, per quas mulieres ecclesiam ingrediebantur. Hinc auctor *Const. Apost. lib.* 2 *cap.* 57 *pag.* 266 *tom.* 1 *ed. cit.* ostiarios stare jubet *ad virorum introitus, quos custodiant, diaconissas ad mulierum.* Atque ex eodem auctore *loc. cit.* intelligimus, virgines et nuptas fuisse discretas, quod etiam patet ex Ambr. *de lapsu virgin. cap.* 6 *num.* 22 *et* 24 *col.* 387 *et seq. tom.* 3 *ed. Ven.* 1751.

(5) Conc. Laodic. *can.* 15 *col.* 784 *tom.* 1 *coll.* Hard.

(6) Cypr. *ep.* 34 *pag.* 49 *edit. Paris.* 1666.

(7) Conc. CP. V sub Menna *act.* 5 *t.* 2 *col.* 1525 *coll.* Hard.

§. XI. Tertia et intima antiquarum ecclesiarum pars erat *sanctuarium*, quod græci *Bema* appellabant. Locus hic septis sive cancellis muniebatur (1), ut nunc munitur, ne laicis ad eum pateret aditus (2), cum sacra officia peragebantur (3). Cancelli erant portulis pervii; portulas autem et spatia cancellorum vela quædam obtegebant (4). Suprema pars *sanctuarii apsis* (5) dicebatur, ædificium scilicet semicirculi formam exhibens, ubi thronus episcopi, sedesque erant, seu throni presbyterorum (6).

(1) Euseb. *hist. eccl. lib.* 10 *cap.* 3 *p.* 419 *ed. Taur.* 1746. Memorat etiam altare cancellis septum Zeno Veronensis *lib.* 2 *Tr.* 30 *tom.* 1 *pag.* 241 *ed. Aug. Vind.* 1758.

(2) Confer conc. Trull. *can.* 69 *tom.* 7 *coll.* Labbei *col.* 1579; conc. Laodic. *can.* 19 *col.* 1553 *t.* 1 *ejusd. coll. solis* ιερατικοις in sanctuario communicare permittit, quo nomine alii superiores tantum clericos, presbyteros et diaconos, alii etiam inferiores intelligunt.

(3) Pars hæc ecclesiæ *adyta* seu *inaccessa* dicebatur. Quamquam non una semper, neque eadem omnium ecclesiarum consuetudo videtur. Nam Dionysius Alex. *ep. ad Basilidem can.* 2 apud Labbeum *tom.* 1 *col.* 858 *ed. Venet.* mares et fœminas ad altare accessisse memorat, cum Eucharistiam accipiebant, atque ita Dionysium explicat Valesius *in Euseb. hist. lib.* 7 *c.* 9 *p.* 330. Idem habet conc. Turon. II *can.* 4 *col.* 358 *tom.* 5 *coll.* Hard.

(4) Vela hæc memorant Athan. *ep. ad solitar. tom.* 1 *p.* 298 *num.* 56 *ed. Patav.* 1777; Hier. *in epitaph. Nepotian. tom.* 1 *col.* 338 *edit. Vallars. Veron.*, aliique complures. Ea Synesius *ep.* 67 *ad Theophil. pag.* 212 *ed. Paris,* 1633, vocat *vela mystica;* sæpe autem erant auro exornata, uti testatur Evagrius *lib.* 6 *cap.* 21 *pag.* 469 *ed. Cantabr.* 1720. Confer Du Cange *in Glossar. græc. verb.* βηλοθυρα.

(5) Apsis græcum verbum est αψις, quod latine significat *arcum, fornicem.* Pars illa ecclesiæ, in qua majus altare collocabatur, proprium habebat fornicem aut arcum, quo tegebatur, ideoque apsis appellata est. Hier. *lib.* 2 *in Ephes. cap.* 4 *tom.* 7 *col.* 614 *ed. Vallars. Veron.* In summo, inquit, cœli fornice, et, ut ipso verbo utar, apside. Vide Du Cange *verb. Absida.*

(6) Presbyterorum sedes proprie *secundi throni* dicebantur, quos memorat Nazianz. *Carm. jamb.* 23 *tom.* 2 *pag.* 244 *edit. Colon.* 1690, atque hinc Constantinus apud Euseb. *lib.* 10 *c.* 5 *pag.* 485 *edit. indic.* Chrestum Syracusan. episc. ad Arelatense conc. vocans, duos *secundi throni,* hoc est duos presbyteros secum deferre jubet.

§. XII. In medio sanctuario a pariete sejunctum erat altare, quod etiam *ara, mensa sacra, sanctum sanctorum* dicitur (1). Initio lignea, ut plurimum, erant altaria, deinde lapidea facta sunt (2); erantque etiam in locis compluribus auro argentoque cooperta (3). Unum in Græcis ecclesiis erat altare, uti nunc etiam est (4); sed Latini jam inde ab antiquissimis temporibus plura in una ecclesia altaria habere consueverunt (5). Altare obtegebat linteum (6), atque

ornabat ciborium (7), et crux in eo stabat (8), et prope crucem ex utroque latere candelabra, quæ ardebant, dum sacra peragebantur (9).

(1) Altare semper christianos habuisse, in quo rem divinam conficerent, certum est; ut proinde inscitia sit, aut impudentia incredibilis calvinianorum, qui verum Christi corpus in Eucharistia esse negantes, vocem *Thysiasterion*, seu *Altare* per tria priora sæcula, vero ac proprio significatu usurpatam non fuisse contendunt. Videndus ea de re card. Perronius *de Sacros. eccl. sacram. adv. Philip. Mornæum du Plessis lib.* 2 *pag.* 174 *et seq.*, ubi id late demonstrat; et ipsi etiam videndi sunt, a catholica communione alieni scriptores, Guil. Beveregius *in cod. canon. eccles. primitiv. cap.* 10 *num.* 3; Jo. Clericus apud Coteler. *PP. Apostol. tom.* 118 *ed. ind.*; Jos. Binghamus *orig. et antiq. eccl. lib.* 8 *cap.* 6 §. 12 *et* 13 *tom.* 3 *pag.* 222 *et seq. ed. Halæ Magd.*

(2) S. Aug. *ep.* 185 *ad Bonifac. tom.* 2 *col.* 654 *num.* 27 *ed. Venet.* 1729; Optatus Milev. *lib.* 6 *pag.* 112 *ed. Paris.* 1676; Athan. *ad Solitar. vit. agen. tom.* 1 *pag.* 298 *num.* 56 *ed. cit.* De lapideis altaribus decretum exstat Silvestri P.; sed hujus decreti suspecta fides est. Certe etiam post hanc ætatem in multis ecclesiis lignea fuisse altaria, ostendit Martenius *de antiq. eccl. rit. lib.* 1 *cap.* 3 *art.* 6 §. 4 *tom.* 1 *pag.* 111 *ed. Antv. seu Ven.* 1763. Lapideum altare memorat Greg. Nyss. *de bapt. Christ. pag.* 801 *tom.* 1 *ed. Paris.* 1615; et Conc. Epaonensi *can.* 26 *col.* 1050 *tom.* 2 *coll.* Hard. sancitum est, ut *altaria, nisi lapidea, unctione non sacrentur.* Cum autem altarium materia mutari cœpit, formam etiam mutatam fuisse tradit Bingham. *Orig. et antiq. eccl. lib.* 8 *cap.* 6 §. 15 *tom.* 3 *pag.* 228 *ed. cit.* Nam cum ea mensarum similitudinem antea referrent, ad instar aræ erigi cœperunt, et una duabusve aut quatuor columnis lapidea mensa nitebatur, ac nonnulla etiam quadro superposita ædificio, uti observat card. Bona *rer. liturg. lib.* 1 *cap.* 20 §. 1 *tom.* 2 *pag.* 64 *ed. Taurin.* 1749, tumuli formam referebant, tamquam martyrum sepulcra, quæ proprie altaria, quasi altæ aræ, dicebantur.

(3) Sozom. *lib.* 9 *Hist. eccl. cap.* 1 *pag.* 364 *cit. ed. Cantabr.*, et Nicephorus *lib.* 14 *cap.* 2 *pag.* 439 *tom.* 2 *ed. Paris.* 1630, narrant Pulcheriam Augustam, Arcadii filiam et Theodosii Junioris Imperatoris sororem, CP. ecclesiæ donasse sacram mensam auro gemmisque confectam, quam describit Paulus Silentiarius

in descript. Ædis Sophianæ p. 518 *num.* 535 *ed. Paris.* 1670. Ejusdem materiæ fuisse mensam altaris ecclesiæ, quam Basilius Macedo in palatio suo ædificavit, testatur Constantinus Porphyrogenitus *in ejus vit. cap.* 83 *pag.* 200 *edit. Paris.* 1685, et aureum item altare memorat Ughellius *Ital. sac. tom.* 4 *col.* 82 *ed. Venet.* 1719.

(4) Unum Græcis altare fuisse demonstrat S. Ignat. M. *ep. ad Philadelph. num.* 4 *pag.* 77 *edit. cit.;* idque etiam patet ex Theodoreto *lib.* 1 *cap.* 31 *pag.* 64 *cit. ed. Cantabr.* Sed quamquam Græci unum habent in ecclesia altare, plura tamen, ipsique ecclesiæ proxima ac muro disjuncta sacella, sive oratoria habent, quæ *parecclesiæ* vocantur, quasi ecclesiarum appendices, in quibus, uti narrat Goarius *in not. ad Euchолog. p.* 16, profestis diebus liturgiam privatim agunt. Consule Leon. Allatium *de Græcor. recent. templis pag.* 177 *ed. Paris.* 1646.

(5) Latinos jam inde ab ætate Greg. M. plura in una ecclesia altaria habuisse, inter omnes constat. Nam disertus est Gregorii locus *lib.* 6 *ep. ad Pallad. Santonens. episc. tom.* 2 *pag.* 828 *ed. Paris.* 1705, ubi habentur hæc: « Veniens lator præsentium insinuavit nobis, Fraternitatem vestram ecclesiam construxisse, atque illic tredecim altaria collocasse, ex quibus quatuor necdum dedicata comperimus remansisse. » Verum et ante hoc tempus eamdem fuisse latinæ ecclesiæ disciplinam facile intelliget, quisquis in ecclesiasticas antiquitates paulo diligentius inquirat. Revera in vetustissimo S. Sepulchri templo Hierosol. a Constantino M. erecto tria, et in ecclesia Beatæ Mariæ de Valle Josaphat quatuor altaria fuisse, tradit Arculfus episc. Gallus, qui VII sæc. loca sacra lustravit, uti testatur Adamnanus *de loc. sanct. lib.* 1 *cap.* 2 *et* 13; apud Mabillon. *act. SS. ord. S. Ben. sæc.* 3 *par.* 2 *pag.* 457 *et* 460 *ed. Ven.* 1734. Plura quoque in una ecclesia altaria memorant S. Ambr. *ep.* 20 *ad Marcellin. soror. num.* 8 *et* 26 *cap.* 908 *tom.* 3 *ed. Venet.* 1751; S. Aug. *Serm.* 5 *de S. Steph. tom.* 5 *par.* 2 *col.* 1271, *et de Civ. Dei lib.* 8 *cap.* 27 *tom.* 7 *col.* 217 *ed. Ven.* 1732; Prudentius *lib. Peristeph.* seu *de Coron. hymn.* 3, 4 *et* 5; S. Paulinus *poem.* 19 *col.* 471, *et ep.* 31 *et* 32 *col.* 193, 199, 202 *et* 471 *edit. Veronæ* 1736; S. Greg. Turon. *de Glor. martyr. lib.* 1 *cap.* 34 *col.* 670 *edit. Paris.* 1699. Similiter Jo. Diaconus scriptor vitæ S. Greg. M. *ep. ad Senarium* apud Mabillon. *Mus. Ital. tom.* 1 *pag.* 74 *a Majoribus*, qui certe Gregorio antiquiores erant, decretum testatur, quod Romæ Sabbato Paschæ septem in ecclesia altaria consecrarentur. In cœmeteriis etiam plura erant altaria, atque unum ex iis describit Aringhius *Rom. subterran. lib.* 3

cap. 12, in quo non pauca martyrum tumulis superposita altaria observantur. Cœmeteria autem christianis erant ecclesiæ, cum ethnici imperio potirentur. Recte hinc Cabassutius *notit. eccles. diss.* 10 *num.* 5 *pag.* 40 *ed. Lugd.* 1680; Juenin *de Sacram. diss.* 5 *qu.* 7 *cap.* 3; Muratorius *in Paulin. cit. poem.* 19 *col.* 471; PP. Maurini *in. S. Greg. cit. pag.* 49 *lib.* 6, aliique colligunt, plurium in una ecclesia altarium usum apud Latinos antiquissimum esse. Ex quo intelligitur, quam falso et quam imperite hæreticus homo Claud. Salmasius *in Solin. Polyhist. pag.* 1213, et ceteri, qui Salmasii errorem sequuntur, tamquam rem novam reprehendant hodiernam latinæ ecclesiæ disciplinam, per quam plura in uno eodemque templo altaria retinentur. Non inficior, in quibusdam etiam occidentis ecclesiis unum fuisse altare in unoquoque templo, atque hanc fuisse quarumdam Africæ ecclesiarum consuetudinem, intelligimus ex Optato Milev. *lib.* 1 *pag.* 21 *ed. Paris.* 1676, sed certe in reliquo occidente obtinebat ea, quæ nunc obtinet consuetudo plura in una ecclesia altaria retinendi.

(6) Vide Optatum Milev. *l.* 6 *pag.* 113 *ed. cit.* et Victorem Vitensem *de persec. Vandal. lib.* 1 *in Bibl. PP. tom.* 7 *pag.* 896 *edit. Lugd.*

(7) Sacræ mensæ ciborium imminebat, hoc est umbraculum, ut inquit Du Fresne *comm. in Paul. Silent. pag.* 569 *num.* 57 *edit. cit.*, altius eductum, quo universa sacra mensa tegebatur. Confer ipsum Pauli Silentiarii et Fresnii locum. Consule etiam Anastas. bibliothecarium *in S. Gregorio I*, *in Honorio*, *in Leone III pag.* 115, 120, 285 *edit. Rom.* 1718, quibus locis ciborii mentio est, et vide etiam vetustum ordinem, ubi ciborii benedictio exstat, apud Martenium *de antiq. eccl. rit. lib.* 2 *cap.* 19 *tom.* 2 *pag.* 294 *ed. cit.*

(8) Usum crucis, quæ in altari locatur, ab apostolica traditione descendere putat card. Bona *rer. liturgic. lib.* 1 *cap.* 25 §. 8 *pag.* 317 *tom.* 2 *ed. Taurin.* Variæ autem erant crucis figuræ, quas describit Muratorius *anecdot. t.* 1 *dist.* 21 *de Cruce Nolana p.* 210 *ed. Mediol.* 1697. Consule Rob. Salam *in notis ad illum Bonæ locum*, et Gretserum *de Cruce lib.* 2 *cap.* 15.

(9) Candelabra aliaque vasa affabre facta ex auro, argento, aliove metallo, quibus fixæ candelæ, vel ellychnia oleo imbuta accendebantur ad præbendum lumen, ab ipsa apostolorum ætate in ecclesia adhiberi consuevisse, ostendit Baron. *ad an.* 58 *n.* 70 *et seq. p.* 515 *tom.* 1 *edit. Luc.* Confer etiam card. Bonam *rer. liturg. lib.* 1 *cap.* 25 §. 7, ibique Salam *not.* 4 *tom.* 2 *p.* 314 *et* 316 *ed. Taurin.* 1749; Tournelyum *Præl. theol. de Sacrif.*

Missæ qu. 8 *art.* 13; Casalium *de Veter. sacr. christian. rit. cap.* 42 *pag.* 184; Durantum *de rit. eccl. cath. l.* 1 *cap.* 8; Ciampinium *de Sacr. ædific. Constant. M. cap.* 10 *pag.* 134; Dom. Georgium *de Liturgic. Rom. Pontif. disquisit. de Sacr. ministr. cap.* 8 *et seq.* In antiqua inscriptione Eugenii Notarii apud Aringhium *Rom. subterr. tom.* 1 *lib.* 2 *c.* 10 *p.* 340 mentio fit redituum quorumdam ex hortis transtiberinis *ad luminaria.* Accendebantur autem lumina non solum noctu, sed etiam die, quem morem cum reprehenderet Vigilantius, ei graviter nervoseque respondit Hier. *Contr. Vigilant. t.* 1 *cap.* 394, inquiens, eam esse ecclesiæ consuetudinem accendique luminaria « Non ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum; » quibus iisdem verbis utitur Isid. *Orig. lib.* 7 *cap.* 12 *pag.* 100 *ed. Paris.* 1601. Sane qui luminum in ecclesia usum vetustissimum esse negat, is plane rudis eccl. antiquitatis esse debet. Mitto quæ de cereis, in pervigilio Paschatis accendi solitis in ecclesiis christianorum, scripta reliquerunt Euseb. *in vit. Constantin. lib.* 4 *cap.* 22 *pag.* 575 *ed. Taurin.* 1746, ibique Valesius *in not.*; S. Greg. Nazianz. *Orat.* 19 *n.* 31 *tom.* 1 *p.* 304, *et Orat.* 42 *num.* 4 *pag.* 676 *ed. Colon.* 1790; S. Zeno Veronensis *Tr.* 38 *t.* 1 *pag.* 250 *ed. Aug. Vind.* 1758, quem in locum videndi sunt Fratres Ballerinii *not.* 5; quæ item de luminibus in funere S. Cypr. adhibitis tradita sunt in *actis ejus passion. opp. S. Cypr. col.* 146 *edit. Ven.* 1758; in funere autem S. Paulæ memoriæ prodit S. Hier. *ep.* 27 *seu* 108 *ad Eustoch. t.* 1 *col.* 716 *num.* 29 *ed. Veron.*; quæ demum supra demonstravi *tit.* 2 *sect.* 1 §. 35 de cereis facibus catechumenorum. Mitto inquam hæc; nam luminum, quæ noctu et interdiu in ecclesiis ardebant, disertissimam mentionem faciunt S. Paulinus Nolanus *Poem.* 14 *de S. Felix. vers.* 99 *et seq. pag.* 285 *edit. Veronæ* 1736; S. Epiph. *ep. ad Jo. Hierosol. tom.* 2 *pag.* 317 *ed. Colon.* 1682; Prudentius apud Ruinart *in act. prim. Mart. Hymn.* 2 *de martyrio S. Laurent. pag.* 190 *edit. Amst.* 1713; S. Leo M. *Serm.* 14 *cap.* 2 *tom.* 1 *col.* 434 *ed. Ven.* 1755; conc. Carthag. IV *cap.* 6 *tom.* 2 *col.* 1437 *coll.* Labbei. De canone 34 conc. Eliber., qui cereos per diem in cœmeteriis incendi vetat, multæ sunt doctorum hominum interpretationes, quas vide apud card. de Aguirre *conc. Hispan. tom.* 1 *p.* 537 *et seq.* Confer etiam Albaspinæum *in not. ad eumd. can. pag.* 172 *ed. Neap.* 1770.

§. XIII. Vix ullus in antiquissimis ecclesiis sacrarum imaginum usus fuisse videtur (1). Non enim eas adhiberi patiebatur et prisca christianorum paupertas,

et veterum formidolosorum temporum ratio, et petulantia ethnicorum, qui illas facile deridere et contemnere poterant. Accedit et alia ratio, quod illæ imagines aliquam forte offensionem afferre poterant ethnicis, qui Christi religionem amplectebantur. Sed eversa idololatria, lateque diffusa et constituta christiana religione, sacræ imagines, aut pictura aut statuis expressæ, adhiberi cœperunt (2).

(1) Nullum quidem est, quod ego sciam, antiquum monumentum, unde colligi possit, tribus prioribus sæculis in ecclesiis adhibitas fuisse sacras imagines, uti nunc adhibentur. Hoc tantum certum est, iis etiam temporibus non plane ignotum fuisse earumdem imaginum usum. Nam pastoris suis humeris ovem gestantis, hoc est Christi imaginem in calice exstantem memorat Tertull. *de pudicit. cap.* 7 *pag.* 559 *Paris.* 1675, et Lucianus *dial. Philopater. tom.* 3 *pag.* 597 *edit. Amst.* 1745, satis clare indicat imaginem S. Pauli, quam ipse viderat et quam petulanter irridet. Adde quod de muliere Syrophœnissa scribit Euseb. *hist. lib.* 7 *cap.* 18 *pag.* 342 *ed. cit.*, eam ex sanguinis fluxu a Christo Domino sanatam in ejus honorem æream statuam erexisse, quæ Eusebii ætate adhuc Cæsareæ Philippi visebatur. Quam statuam cum ethnici Juliano apostata imp. confregissent, christiani ejus frusta collegerunt et in ecclesia collocarunt, sicuti narrat Sozom. *hist. l.* 5 *c.* 21 *pag.* 212 *cit. ed.* Adde etiam antiqua vitra, ex quibus, prioribus quoque sæculis sacrarum imaginum usus ostenditur; sed quod illæ in ecclesiis adhiberi cœperunt, mirari non poterit quisquis eorum temporum rationem animo comprehensam et exploratam habeat.

(2) Innumera fere sunt monumenta IV, V et VI sæculi ex quibus constat, ea tempestate sacras imagines in omnibus fere ecclesiis adhiberi consuevisse. Seligam quædam, sed disertissima Patrum loca. Aug. *de consens. Evangelist. lib.* 1 *cap.* 10 *tom.* 3 *par.* 2 *col.* 8 *edit. cit.*, memorat imaginem Christi pictam cum Petro et Paulo; tum apostolorum Petri et Pauli effigies ibidem coloribus expressas referunt Ambr. et Hier., quos laudat Selvagius *antiq. christ. l.* 2 *c.* 4 §. 4. Similiter Greg. Nyss. sacrarum imaginum usum vehementer laudat *in Orat. de S. Theodor. t.* 1 *p.* 1011 *ed. Paris.* 1615; et huc etiam referenda sunt testimonia Asterii Amaseæ in Ponto episcopi *Paneg. de S. Euphem. apud Ruinart. pag.* 490 *num.* 1 *edit. Amst.* 1713; Paulini *natal.* 9 *et* 10 *Felic. pag.* 741 *vers.* 511 *et seq., et pag.* 945 *vers.* 14

et seq. ed. Veron. 1756 ; Ven. Bedæ *in vit. S. Benedicti Biscopi abb.*, apud Mabillon. *act. SS. Bened. sæc. II lib.* 1 *num.* 6 *et* 9 *pag.* 964 *et* 966 *ed. Ven.* 1733, *et* Theodoriti *hist. relig. vit.* 26 *pag.* 882 *tom.* 3 *ed. Paris.* 1642, qui refert S. Simeonis Stylitæ imagines frequentissimas Romæ fuisse, « Ut tantum tamque Deo carum hominem multi Patronum haberent. » Illud tamen animadvertit Petavius *de Incarn. loc.* 15 *c.* 14 *n.* 3 *theol. dogmat. t.* 4 *par.* 2 *pag.* 589 *ed. Paris.* 1656, magis usitatas picturas, quam statuas fuisse. Locum autem Epiphanii *in ep. ad Jo. Hierosol. tom.* 2 *pag.* 317 *ed. Paris.* 1622 et canonem 36 concilii Eliber., quæ duo antiquo usui sacrarum imaginum obstare videntur, late explicant Albaspinæus *in not. ad d. can. Eliberit. pag.* 174 *ed. Neap. cit.;* Bona *rerum liturg. lib.* 1 *cap.* 16 §. 2 *t.* 1 *pag.* 328, ibique Sala *not.* 6 *et seq. pag.* 331 *ed. Taurin.*; Schelstratius *de discipl. arcan. cap.* 7 *art.* 3 *pag.* 122 *et seq. ed. Romæ* 1685 ; Pagius *in Baron. ad an.* 57 *num.* 113 *t.* 1 *pag.* 455 *ed. Lucæ;* Assemanus *de eccles. reveren. et asyl. art.* 5 *pag.* 59; Nat. Alex. *hist. eccl. sæc.* 3 *diss.* 21 *art.* 2 *et cap.* 6 *art.* 28 *t.* 4 *pag.* 159 *et seq. et* 314 *ed. Ven.* 1776. Consule eumdem Nat. Alex., qui adversus antiquiores recentioresque iconomachos, præsertim adversus Jo. Dallæum calvinianum hominem late disputat de cultu sacrarum imaginum *diss.* 6 *sæc.* 8 *tom.* 6 *pag.* 94 *et seq.*, atque illud recte animadvertit, imaginum usum in templis rem esse disciplinæ, sed earum usu semel constituto, rem esse fidei honorariam earum venerationem.

§. XIV. Exteriores ecclesiæ partes erant ædificia, quæ ad eam pertinebant, sed ecclesiæ angustiori sensu acceptæ parietibus non includebantur. Talis erant *exterior narthex*, qui *vestibulum* et *atrium* sive *aream* comprehendebat. *Vestibulum* erat primus aditus, inter quem et ecclesiam angustius acceptam, media erat area sive atrium, locus scilicet, cujus medium sub dio erat, latera vero quatuor porticibus cingebantur. Erant in medio aquæ salientes, seu putei, et canthari aut conchæ, ubi christiani templum ingressuri manus et os lavabant (1); unde usus aquæ benedictæ repetendus est (2).

(1) Euseb. *hist. lib.* 10 *c.* 4 *pag.* 473 *cit. ed.*; S. Paulinus *ep.* 32 *ad Sever. pag.* 205 *ed. cit. Veron.;* S. Joan. Chryst.

in Joann. Hom. 74 *num.* 3 *pag.* 433 *tom.* 8 *ed. Paris. cit.* Vide etiam Variorum *notas in S. Paulin. ep.* 13 *num.* 41 *pag.* 882 *et seq. ed. cit.*

(2) Usum aquæ benedictæ ab apostolica traditione profectum semperque in ecclesia observatum docent Baronius *ad an.* 132 *num.* 3 *tom.* 2 *pag.* 122 *ed. Lucæ,* et Bona *rer. liturg. lib.* 1 *cap.* 20 §. 5 *tom.* 2 *pag.* 77 *ed. Taurin.;* Auctor *Const. Apost. lib.* 8 *cap.* 29 apud Cotelerium *PP. Apostol. tom.* 1 *pag.* 411 *ed. Antv.* 1698 benedicendæ aquæ formam describit. Memorant etiam aquam sanctificatam aut benedictam Tertull. *de bapt. c.* 4 *pag.* 225 *ed. Ven.* 1744; Cypr. *ep.* 70 *ad Januar. col.* 300 *ed. Venet.* 1758; Epiph. *lib.* 1 *hæres.* 30 *num.* 12 *pag.* 137 *ed. Colon.* 1682; Ambr. *de Sacr. lib.* 1 *cap.* 5 *num.* 15 *tom.* 3 *col.* 443 *ed. Venet.* 1751; Theodoritus *hist. eccl. lib.* 5 *c.* 21 *pag.* 197 *edit. Taurin.* 1748, aliique Patres. Decretum tamen Alexandri I, quod a Gratiano descriptum est *can.* 20 *dist.* 3 *de Consecr.,* pertinet ad falsas decretales Isidori Merc. Quæ hæretici objiciunt adversus usum aquæ benedictæ, solide inter ceteros expendit atque refellit Rob. Sala *in notis ad cit. Bonæ locum pag.* 78 *et seq.*

§. XV. Cetera ædificia circum ecclesiam generali *exedrarum* nomine vocabantur, eaque erant *baptisterium*, *secretarium* sive *diaconicon*, *pastophorium*, *schola*, *bibliotheca*. *Baptisterium* erat satis amplum ædificium ac duabus constabat partibus, vestibulo, in quo catechumeni abrenuntiationes emittebant, ac domo interiori, in qua fiebat ablutio ritusque ceteri in baptismo adhibiti peragebantur (1). *Secretarium*, sive *diaconicon* locus erat, in quo sacra indumenta, vasa, ac reliqua ecclesiæ supellex servabantur (2). *Pastophorium* generale nomen est, quo multa significantur (3); sed ut plurimum designat ædificia, quæ stabant ab utroque ecclesiæ latere ad extremitatem orientalem (4), et custodum ac ministrorum templi domicilium (5). *Schola* et *bibliotheca* locus erat, in quo animi litteris atque doctrinis excolebantur (6).

(1) Baptisterium separatum ab ecclesia locum fuisse, ostendit Martenius *de antiq. eccl. rit. lib.* 1 *c.* 1 *art.* 2 *n.* 7 *t.* 1 *pag.* 4

ed. cit., idque etiam observant Fratres Ballerinii *in Zenon. l.* 2 *tr.* 31 *pag.* 241 *tom.* 1 *edit. Aug. Vind.* Sæc. tamen VI intra ecclesiam baptisteria constitui cœpisse, ex Greg. Turonensi docet Durantus *de rit. eccl. lib.* 1 *c.* 19.

(2) Atque hoc quidem *diaconicon magnum* erat, de quo vide Du Cange *in Gloss.;* nam quod dicebatur *diaconicon Bematis,* id erat intra ecclesiam, eoque diaconi ea, quæ erant ad sacram liturgiam necessaria, ex diaconico magno deferebant, ut ad manus essent, auctor *Chron. Alex. pag.* 390 *ed. Paris.*

(3) *Pastophorium* generali nomine usurpatum comprehendebat etiam *diaconicon et Gazophylacium,* videlicet locum illum, in quo ponebantur populi oblationes, quæ super altare ponendæ non erant, sed potius episcopi domum mittendæ judicabantur.

(4) Memorat Pastophoria auctor *Const. Apost. lib.* 2 *c.* 57 *pag.* 264 *edit. cit.*, quo ex loco intelligimus, ea fuisse loca *ex utraque* ecclesiæ *parte versus Orientem.* Ipse auctor deinceps *lib.* 8 *c.* 15 *pag.* 409 eorum locorum usum explicat, cum illuc Eucharistiæ reliquias, post omnium communionem, deferri jubet.

(5) Consule Schelstratium *in conc. Antioch. pag.* 186.

(6) De cunctis exterioribus antiquarum ecclesiarum partibus late disputant Bingham. *orig. eccles. loc.* 8 *c.* 7 *t.* 3 *pag.* 252 *et seq. cit. ed.*, et Selvagius *antiq. christ. loc.* 2 *c.* 3.

SECTIO I.

De Consecrandis et Reconciliandis Ecclesiis.

XVI. Consecratio ecclesiarum et ejus antiqui ritus.
XVII. Ritus, qui nunc obtinent.
XVIII. Ecclesiæ consecratio ad episc. pertinet. Ea non iteranda.
XIX. Ecclesia violata aut polluta.
XX. Ea reconcilianda est.

§. XVI.

Ædificata ecclesia. ut primum fieri potest, consecratur vel saltem benedicitur; nam secus in ea rem

divinam conficere nefas est. Antiquissimus est ecclesiarum consecrandarum usus (1); sed non iidem semper ritus eædemque cæremoniæ adhiberi consueverunt. Ex veteri disciplina vicini episcopi vocabantur (2); et interdum etiam concilia celebrari solebant (3). Episcopi sermones habebant (4), cuncti fundebant preces, ac denique divinis sacrificiis, mysticis oblationibus, hymnis, aliisque pietatis operibus, summo omnium gaudio et celebritate, consecratio peragebatur (5). Martyrum quoque reliquias, ritu saltem Romano, adhibitas fuisse constat (6).

(1) Ecclesias tantum IV sæc., pacato Constantini imperio, consecrari cœpisse multi arbitrantur, laudantque Euseb. *hist. loc.* 10 *c.* 3 *pag.* 464 *ed. cit.*, et Athan. *apol. ad Constant. num.* 17 *et* 18 *tom.* 1 *pag.* 242 *et* 243 *edit. Patav.* 1777. Equidem iis facile assentior, si publicam illam et solemnem consecrationem intelligunt, quæ tantum pace ecclesiæ data absolvi potuit; sed ab iis valde dissentio, si etiam privatam consecrationem excludunt, ac plane omnem adhibitum negant actum religionis, per quem ecclesia divino cultui addiceretur. Nam templorum consecrationem e V. T. ad novum, atque ab apostolis ad eorum successores transiisse, semperque in ecclesia retentam ac servatam arbitror. Quomodo expedita fuerit vetus consecratio toto illo temporis spatio, quo ethnici homines imperio potiebantur, incertum est; et forte initio consistebat in solemni gratiarum actione certisque precibus, quas tunc eorum temporum usus postulabat, quæ est simillima veri conjectura Jos. Aloys. Assemani præstantissimi olim in Rom. academia collegæ mei, mihique, dum vixit, amicissimi *in tr. de eccl. rever. et asyl. art.* 6 *p.* 64, et Laur. Selvagii *in antiq. Christ. lib.* 2 *cap.* 5 §. 1. Consule Bonam *rer. liturgic. lib.* 1 *cap.* 19 §. 3 *tom.* 2 *pag.* 71 *et seq. ibique* Salam *in not.*

(2) Vide Euseb. *hist. lib.* 10 *c.* 3 *p.* 464 *et de vit. Constant. lib.* 4 *c.* 43 *pag.* 650; Socrat. *lib.* 1 *cap.* 28 *pag.* 65; Sozom. *lib.* 2 *c.* 26 *pag.* 81; Theodoret. *lib.* 1 *c.* 31 *pag.* 64, *omnes ed. Cantabr.* 1720; Aug. *ep.* 269 *ad Nobil. col.* 902 *t.* 2 *ed. cit.*

(3) Hinc propter dedicationem eccl. frequentes habitæ sunt synodi, qualis fuit Antioch. ann. 341, quæ inde *in encœniis* dicta est.

(4) Plures hujusmodi sermones apud Ambr., Aug. atque alios exstant.

(5) Euseb. *in vit. Const. lib.* 4 *c.* 45 *pag.* 651 *ed. cit.*
(6) Ambr. *ep.* 22 *col.* 951 *n.* 13 *tom.* 3 *edit. cit.;* Paulinus *ep.* 32 *ad Severum col.* 199 *n.* 7 *ed. Veronæ* 1736.

§. XVII. Ritus, qui nunc servantur, describit Pontificale Rom. (1), cujus decreto diei consecrationis anteire debet jejunium, et vesperæ canendæ coram reliquiis, quæ subtus altare collocantur. Deinde episcopus mane ter ipsam ecclesiam exterius circumit, et aqua benedicta adspergit; tum ecclesiam ingreditur, delineato duplici, græco ac latino, in ipso templi pavimento, alphabeto, ac una quidem in porta, duodecim vero in interioribus parietibus signatis crucibus, iisque sacro chrismate linitis, psalmis, hymnis, precibus, aliisque ritibus consecrationem perficit; denique Missam celebrat, quæ tamen ad vim intimam consecrationis non pertinet. Altaria etiam consecrantur, et suos etiam ob eam rem habent ritus et cæremonias (2).

(1) *Par.* 2 *tit.* 2 *pag.* 32 *ed. Catalani Rom.* 1739.
(2) Vide Pontific. Rom. *loc. cit. tit.* 3, 4, 5 *p.* 137 *et seq.*

§. XVIII. Consecratio ecclesiæ actus est sacer et solemnis, per quem ea divino cultui addicitur (1). Tantum episcopus ecclesiam consecrat diœcesis suæ, neque hæc presbyteris potestas est (2). Quovis die fieri potest consecratio, quamquam fieri soleat die festo (3), et solemnia sacra dedicationis quovis anno celebranda sunt (4); semelque facta nunquam iteratur, nisi tota pene collapsa, aut exusta instauretur ecclesia, vel nisi de illius consecratione dubitetur (5). Altaris etiam consecratio non repetitur, nisi frangatur, aut nisi evellatur e basi, ubi affixum fuerat (6).

(1) Ecclesiæ *consecratio* et *dedicatio* passim confunditur, quasi ecclesiam *consecrare* ac *dedicare* unum idemque sit; sed revera alia consecratio, et alia dedicatio est, quod observat Mazoch.

de Camp. Amphith. cap. 3 *diatr. de Consecr. et ep. de dedicat. sub ascia cap.* 1, dedicatio proprie est ἐγκαινια, hoc est initiatio et primus rerum usus, consecratio autem potius ad cæremonias pertinet, quibus ecclesiæ consecrantur. Sed quoniam utrumque conjunctim perficitur, factum est, ut duo hæc vocabula indiscriminatim accipiantur.

(2) *Can.* 9 *et* 25 *de Consecr. dist.* 1, *cap.* 1 *de relig. domib.*
(3) *Cap.* 2 *de Consec. eccl.*
(4) *Can.* 16 *et* 17 *de Consec. dist.* 1.
(5) *Can.* 16, 18 *et* 20 *de Consecr. dist.* 1.
(6) *Can.* 19 *de Consecr. dist.* 1, *cap.* 1 *de Consecr. eccl.*

§. XIX. Consecrata ecclesia, si violetur aut polluatur, reconciliari debet, quoniam in ea res divina fieri non potest (1). Polluitur autem injuriosa humani sanguinis effusione et homicidio, quod etiam non effuso sanguine, in ecclesia patratum est (2); item humani seminis voluntaria effusione (3); denique infidelis aut excommunicati vitandi sepultura (4).

(1) *Cap. ult. de Consecr. eccl.*
(2) *Cap.* 4 *eod.* (3) *Cap.* 4 *et ult. eod.*
(4) *Cap.* 7 *eod., can.* 27 *de Consec. d.* 1.

§. XX. Reconciliatio fit ab episcopo missis precibus et adspersione aquæ, cum qua vinum et cinis commiscetur (1). Quæ cæremonia designat peccatorum reconciliationem, eoque videtur spectare cinis, qui in publica pœnitentia adhibebatur. Si ecclesia benedicta tantum erat, non consecrata, etiam presbyter lustrali aqua reconciliationem facit (2). Cum pollutio facta est ob sepulturam excommunicati aut infidelis, ante omnia cadaver, si discerni possit, effodiendum est (3). Reconciliata autem ecclesia, reconciliantur etiam altaria, eique conjuncta cœmeteria, quæ duo simul cum violata ecclesia violantur (4).

(1) *Cap.* 4, 7 *et* 9 *de Consecr. eccl.*
(2) *C. ult. eod. ibiq. Gloss.*
(3) *Can.* 27 *et* 28 *de Cons. d.* 1.
(4) *C. unic. de Cons. eccl. t.* 6.

SECTIO II.

De Immunitate Ecclesiarum.

XXI. Sacrorum locorum reverentia apud omnes gentes.
XXII. Christiani suarum reverentia ecclesiarum cunctis præstare debent.
XXIII. Quanto fuerit veterum christianorum reverentia.
XXIV. Unde orta ecclesiarum immunitas?
XXV. In ecclesia profani actus non exercendi.
XXVI. Jus asyli.
XXVII. Unde repetendum?
XXVIII. Regendum legibus eccl.
XXIX. Quæ loca asyli jure potiantur?
XXX. Quorum criminum rei ab eccl. asylo excludantur?
XXXI. Quomodo hi ab ecclesia educendi?

§. XXI.

Omnes gentes, quæ templa habuerunt, habuerunt autem cunctæ, quibus erat religio (1), ædes suis Diis addictas et consecratas præcipuo quodam honore ac reverentia prosequi consueverunt. Hinc nefas erat violare templum, aut quidquam in eo facere aliter ac deceret, et in ipso armorum strepitu ac tumultu, militaris licentia templorum jura sancta et inviolata servabat. Hebræorum templum quantam venerationem haberet, omnibus compertum est; et certe nemo non intelligit, quam venerandus et colendus esset locus, quem ipse Deus sanctum se fecisse affirmaverat, quem suam domum elegerat, et spoponderat se auditurum preces, quæ in eo funderentur (2).

(1) « Si terras obeas, » inquit Plutarchus, « invenire possis urbes muris, litteris, regibus, domibus, opibus, numismate carentes: urbem templis diisque carentem nemo uspiam vidit. » Ita videlicet ethnicus homo loquitur.

(2) Isai. XVI *v.* 7; Genes. XXVIII *v.* 17; Exod. III *v.* 15; Machab. II, III *v* 12; Reg. III, VIII *v.* 15 et seq., et IX *v.* 3.

§. XXII. Christiani suorum reverentia templorum non hebræis, non reliquis gentibus concedere, imovero cunctis præstare debuerunt. Nam in eorum ecclesiis non hircorum aut vitulorum sanguis offertur, sed ipse Christus sine cruore immolatur, atque ipse adest Deus reali præsentia sua, qua in re hebræos vincunt; uti cultu etiam vincunt ceteras gentes, quæ non verum, uti ipsi, colebant effectorem et dominatorem rerum omnium Deum, sed Deos hominum voluntate confictos, et omnium scelerum contagione contaminatos.

§. XXIII. Hinc ecclesiæ a christianis semper pro sacris usibus, cultuque religionis adhibitæ, exclusaque omnia, quæ non aliquo modo ad pietatem tenderent, vel proxime ad eam essent referenda (1); episcopi mori maluerunt, quam ecclesias ab hæreticis violari sinerent (2); reges ecclesiam ingressuri diadema deponebant, atque extra illam custodias relinquebant (3); cuncti autem fideles manus atque os lavabant, ut significarent innocentiam ac puritatem, quam omnes in illo tam pleno reverentiæ ac majestatis loco præ se ferre oportebat (4) calceosque detrahebant (5); in ipso vestibulo caput ac genua flectebant (6), osculabantur et circumplicabant amplexu januas atque columnas (7); denique ecclesia tutissimus erat rerum servandarum locus et perfugium miseris, quos eo vocaverat spes tutelæ et metus publicæ calamitatis (8).

(1) Itaque ne quod in ecclesiis scelus latenter admitteretur, prohibitæ sunt fœminæ in iis vigilias agere, conc. Eliber. *can.* 35 *col.* 254 *tom.* 1 *coll.* Hard. Eademque de causa vetita sunt in ecclesia convivia, conc. Carthag. III *can.* 30 *col.* 964 *tom.* 1 *coll. cit.*, itemque vetitæ, aut certe imminutæ agapæ, scilicet convivia illa caritatis, quæ in ecclesia ficbant, quæque apostoli instituerant, conc. Laodic. *can.* 28 *col.* 785 *tom.* 1 *coll.* Hard. Hinc syn. Gangr. duos edidit canones, videlicet *can.* 5 *et* 6 *col.* 554 *et* 556 *t.* 1 *coll.* Hard. adv. hæreticos Eustathianos, Messalianos, atque alios, qui inter ecclesias privatasque domos dis-

crimen non faciebant, quæque in ecclesia peragebantur ecclesiastica officia, etiam domi peragi posse existimabant. Quis vero ignorat factum Christi Servatoris, qui e templo emptores ac venditores, et ceteros negotiationem exercentes ejecit? Matth. XXI *v.* 12 *et* 13; Joann. II *v.* 14 *et seq.*

(2) S. Ambr. *ep.* 17 *n.* 13 *col.* 869 *et seq. t.* 3 *ed. Ven.* 1751.

(3) S. Jo. Chrys. *orat. post. redit. ab exil. tom.* 3 *pag.* 428. Idemque habetur *in Serm.* 1 *in Pentec. int. spur. t.* 3 *pag.* 791 *ed. Paris.* 1721. Vide etiam edictum Theodosii post *L.* 4 *cod. de iis qui ad eccl. confug. t.* 3 *p.* 398 *ed. Lipsiæ* 1738.

(4) Hujus consuetudinis crebra mentio est apud Chrys., Euseb., Tertull., Synes., Paulin., et ceteros quorum supra testimonia descripsi.

(5) Memorat hanc consuetudinem Jo. Cassianus de *inst. cœnob. lib.* 1 *cap.* 10 *pag.* 12 *ed. Francof.* 1722; non tamen ea generatim ubique videtur obtinuisse.

(6) Quamquam nulla certa hujus consuetudinis demonstratio dari possit, tamen eam valde probabilem esse ostendit Bingham. *Orig. eccl. lib.* 8 *cap.* 10 §. 7 *tom.* 3 *pag.* 344 *cit. ed.*, laudatque Chrysostomi testimonium, unde intelligimus, candidatos baptismi procidere seque in genua projicere consuevisse, cum ad baptisterium accedebant.

(7) Ambr. *ep.* 20 *n.* 26 *col.* 908 *t.* 3 *ed. cit.;* Paulin. *nat.* 6 *Felic. pag.* 433 *vers.* 250 *ed. Veronæ* 1733; Prudent. *Hymn.* 2 *in S. Laurent. vers.* 530 *pag.* 131 *edit. Paris.* 1687; Cassiod. *hist. tripart. lib.* 9 *cap.* 30 *pag.* 344 *tom.* 1 *ed. Rothom.* 1679; auctor *eccl. hierar. cap.* 2 §. 4 *t.* 1 *pag.* 250 *ed. Antv.* 1633.

(8) S. Aug. *de Civ. Dei lib.* 1 *cap.* 1 *col.* 3 *tom.* 7 *ed. cit.;* S. Hier. *ep.* 127 *ad. princip. num.* 13 *col.* 954 *tom.* 1 *ed cit.;* S. Greg. Turon. *hist. lib.* 3 *cap.* 4 *col.* 205 *edit. Paris. cit.;* Orosius *lib.* 7 *cap.* 39 *pag.* 573 *ed. Lugd. Batav.* 1738; Cassiodorus *var. lib.* 12 *cap.* 20 *pag.* 197 *tom.* 1 *ed. cit.;* Sozom. *hist. lib.* 9 *cap.* 10 *pag.* 576 *ed. Cantabr.* 1720. Ac sæpe ipsi hostes eos, quibus parcere volebant, ad ecclesias ducebant, ut ibi tuti essent ab aliis, qui ipsis vim et injuriam inferre potuissent.

§. XXIV. Ipse sensus religionis impressus atque insitus in hominum animis fecit, ut christiani ita colerent et venerarentur ecclesias suas; atque hic ipse sensus intimus ecclesiasticæ immunitatis origo et fundamentum est. Non enim ecclesiarum immunitas in-

ducta est a legibus, ut quidam putant, sed inducta est a religione, sive a reverentia, qua in religionem ferri debemus; et proinde ecclesiasticæ potestatis, cujus est moderari res religionis, ejus est etiam de ecclesiastica immunitate leges constituere.

§. XXV. Duæ sunt immunitatis partes, quarum prima est, ut nullus profanus actus, qui minus decet loci sanctitatem, in ecclesia exerceatur. Quare procul ab ea judicia criminalia; item judicia civilia, quæ ad Forum sæculare pertinent (1); procul ludi theatrales, convivia, comœdiæ, choreæ et cantus non pietatis, sed oblectationis causa instituti (2); procul civiles conciones et profana concilia, procul nundinæ, contractus, negotiationes (3). Acta in ecclesiis sæcularia judicia irrita etiam sunt, criminalia non tantum irrita, sed etiam pœnam afferunt excommunicationis (4); contractus tamen valent.

(1) *Cap.* 1 *et* 5 *de immun. eccl.*
(2) *Can.* 1 *dist.* 92; *c.* 12 *de vit. et honest. cler.*; conc. Trid. *sess.* 22 *decr. de obs. et vit. in miss.*
(3) *Cap.* 2 *de immun. in* 6.
(4) *Cap.* 5 *et* 7 *de immun.*

§. XXVI. Pars altera immunitatis eo spectat, ut debitores, et rei criminum ad ecclesiam confugientes tuti sint, neque illinc divelli possint. Quod jus asyli appellamus. Quemadmodum homines cum in periculis versantur, a Deo opem et auxilium postulant, ita ad ecclesias confugiunt, quoniam in illo precis et obsecrationis loco se facilius a Deo, id, quod optant, consequi, atque ibi tutum habere perfugium sperant, quod loci sanctitas et reverentia pollicetur. Natura ipsa atque in animis impressa vis religionis omnes vocat ad hoc commune præsidium, per quod quasi se in Dei tutelam recipiunt, et unde eos non videntur dejecturi ceteri homines, qui ecclesias reverentur.

Quare ecclesiasticum asylum pars est reverentiæ, quæ ecclesiis debetur, atque hanc reverentiam ipsa vis religionis induxit.

§. XXVII. Ita natum est ecclesiarum asylum; et vero antiquissimæ, quæ de eo sunt, leges non asylum constituunt, sed jam antea constitutum et ubique receptum ostendunt (1). Scilicet ut publice christiana religio dominari in civitatibus atque in provinciis cœpit, is statim habitus a cunctis est honos christianorum ecclesiis, ut qui ad eas confugissent, loci sanctitate ac reverentia defenderentur. Adeo verum est, nullis opus fuisse humanis legibus, quæ stabilirent jus asyli, quod jam affixum ecclesiis et earum veneration communis omnium consensus agnoverat.

(1) Vetustissima, quæ exstat de ecclesiarum asylo, est *L.* 1 *cod. Theod. de his qui ad eccles. confug.* Verum hæc lex non asylum constituit, sed potius illud omnium moribus, et consensu jampridem fuisse constitutum latequc patuisse demonstrat; quod ipsi etiam animadvertunt scriptores, quorum hac in re testimonium repudiare non possunt, qui ægre ferunt asylum ecclesiarum, Jac. Gothofredus *in not. ad L.* 1 *cod. Theod. tom.* 3 *pag.* 588 *ed. Lips.;* Bingham. *Orig. eccl. lib.* 8 *c.* 11 §. 1 *pag.* 353 *cit. ed.;* Espenius *diss. canon. de Asyl. templor. cap.* 1 §. 1. Revera Gothofredus et Binghamus *loc. cit.* complura collegerunt antiqua monumenta, ex quibus patet, jam ecclesiarum asylum obtinuisse multo ante, quam Theodosiana illa lex in manus hominum perveniret, et « Nulli unquam auctorum, uti inquit Binghamus, dubium fuit, quin id privilegium ecclesiarum a tempore Constantini esse cœperit, licet nullæ leges Theodosio vetustiores, sive in Justinianeo, sive Theodosiano codice de hoc ipso reperiantur. » Atque neque ulla lex exstat Constantini, quæ ecclesiarum asylum constituat, neque in antiquis monumentis ulla hujusce legis mentio aut indicium est. An non id argumento est plane maximo, nullam ea de re legem a Constantino editam fuisse, quæ aut nunc exstaret, aut saltem aliqua ejus mentio esse deberet apud Eusch., qui Constantini vitam accurate conscripsit, atque apud ceteros scriptores, qui eorum temporum historiam litteris mandarunt? Quid si Constantini ætate jam asylum vigebat, neque illud erat ulla lege constitutum, planum est illud

induci debuisse a moribus atque a consensu christianorum in ipso imperio Constantini, hoc est eo ipso tempore, quo publicus christianæ religionis cultus obtinere cœpit. Hic autem mos et communis omnium consensus, qui statim erupit, cum primum erumpere libere potuit, unde ortus est, nisi ex intimo sensu religionis atque ex impressa firmiter in omnium animis reverentia ecclesiarum? Atque huc sane spectat S. Gregor. Nazianz. *orat.* 20 *de laud. Basil. pag.* 353 *tom.* 1 *ed. Colon.* 1690 qui narrat, S. Basil. protexisse viduam, quæ ad altare confugerat, atque ait, eum fecisse id, quod non tantum M. Basilius, sed etiam quivis alius sacerdos facere debuisset, scilicet ut *eam adsereret*, *retineret*, *omni cura tueretur*, Dei clementiæ et legi, quæ altaribus honorem haberi jubet, *manum porrigeret etc.* Ita scilicet Nazianz., antequam illa Theodosii lex prodiret, ecclesiasticum asylum referebat *ad Dei legem*, *quæ altaribus honorem haberi jubet.* Quam ecclesiastici asyli originem minime compertam atque exploratam habent, qui eam a civilibus legibus repetendam putant, cum revera civiles hac de re leges omnium, quæ exstant et quarum mentio habeatur, antiquissimæ multo antea ecclesiarum asylum constitutum ostendunt. Anonymus quidem scriptor, qui anno 1763 Florentiæ libellum edidit cum titulo *Discorso sopra l'Asilo ecclesiastico,* falsis et absurdis ratiunculis, quas a Paulo Sarpio pene omnes accepit, demonstrare conatus est, christianorum asylum ex ethnica superstitione procedere; illud initio nonnisi meram clericorum et episcoporum intercessionem fuisse, quæ non dabat spem certam perfugii, sed tota erat posita in prece et obsecratione, quam princeps audiebat et despiciebat suo arbitratu; denique totum hoc de asylo negotium ad laicum principem pertinere, quoniam illud ab ejus beneficio et auctoritate profectum est. Mitto ceteros errores, quibus hic libellus abundat, et quos refutarunt Jo. Aloysius Assemanus *de eccl. reveren. et asyl. animadv. in discurs. pag.* 79 *et seq.*, ac Jac. Pistorozzius opere peculiari. Tantum dico, quod si christianorum asylum ethnicæ superstitionis arguitur, propterea quod illud etiam ethnicis fuit, jam erit etiam superstitio christianis habere templa et cultum externum religionis, quoniam etiam ethnici utrumque habuerant. Imo vero quod hæc reverentia templis ethnicorum et statuis principum exhiberetur, multo magis eam immortali ac præpotenti Deo, ejusque domui a christianis exhibendam esse, ostendunt Nicolaus I *in Resp. ad cons. Bulgar. cap.* 95 *col.* 382 *tom.* 1 *coll.* Hard.; conc. Matiscon. II *can.* 8 *col.* 462 *tom.* 5 *coll.* Hard., et Theod. Junior in celebri edicto, quod exstat post *L.* 4 *cod. Theod. de his qui*

ad eccles. confug. tom. 3 *pag* 396 *ed. cit.* Præclare Isidor. Pelusiota *ep.* 174 *pag.* 35 *ed. Ven.* 1745 ita firmum certumque esse vult ecclesiasticum asylum, ut illud violare *non solum crudelitatis, sed etiam impietatis* esse dicat. Et sane si ita ethnici colebant ac venerabantur Deos, quos veros putabant, superstitio erit christianis colere ac venerari Deum, quem unum verum esse certo sciunt? Nihil hoc magis absurdum et magis impium dici potest. Quod de intercessione clericorum et episcoporum anonymus scriptor addit, id ab ipsa refutatur Theodosii lege, cujus supra est facta mentio, et quam omnium antiquissimam esse dixi, quæ de ecclesiarum asylo disserat. Legis verba sunt hæc: *Publicos debitores si* confugiendum ad ecclesias *crediderint, aut illico* extrahi *de latebris oportebit; aut pro his ipsos, qui occultare probantur, episcopos exigi.* Lex hæc memorat disertissime debitores *ad ecclesias confugientes,* et memorat etiam eorum *extractionem,* quæ verba referri certe non possunt ad episcoporum et clericorum intercessionem. Neque vero, antequam illa Theodosii constitutio emitteretur, episcoporum intercessionem, sed verum ac germanum, quale nobis est, ecclesiasticum asylum memorat Nazianz. *loc. cit.,* cum narrat Basilium defendisse viduam, quæ contra vim sibi a præfecto Ponti illatam ad altare confugerat. Similiter Altaris atque ecclesiæ asylum, non episcoporum intercessionem habet Ambros. *ep.* 20 *num.* 8 *col.* 903 *tom.* 3 *ed. cit.,* et Ammianus Marcell. *lib.* 15 *num.* 3 *pag.* 51 et *lib.* 26 *num.* 3 *pag.* 365 *edit. Lips.* 1775. Atque eadem semper fuit sententia eorum omnium, qui post hanc ætatem floruerunt. Cyriacus, qui in locum Jo. Jejunatoris factus est patriarcha CP. vertente anno 595, pro asylo, ne templi sanctitas violaretur, adversus Phocam ipsum imperatorem stetit, nec passus est, uti narrat Theophanes *in Chronogr. pag.* 246 *ed. Paris.* 1655, ab ecclesia educi Constantinam Mauritii, et tres ejus filias, nisi antea Phocas, eas salvas fore juratus confirmasset. Confer etiam S. Greg. M. *ep.* 37 *lib.* 1, *et ep.* 38 *lib.* 10 *tom.* 2 *col.* 527 *et* 1068 *edit. Paris.* 1705; Conc. Aurel. I *can.* 1 *et* IV *can.* 21 *col.* 545 *et* 1368 *tom.* 5 *concil.* Labbei *ed. Venet.,* et Matiscon. II *can.* 8 *tom.* 6 *col.* 676. Non igitur episcoporum intercessio cum ecclesiastico asylo confundi debet; intercessio obsecratio erat, et spem ponebat in venia atque in misericordia principis, sed asylum tuebatur reum jure sanctitatis loci et reverentiæ, qua christianos Dei domum prosequi oportebat. Denique quod dicitur, ecclesiasticum asylum niti beneficio principis, atque a civilibus legibus esse profectum, id falsum esse demonstravimus, cum illud induxerit ipsa vis religionis et

reverentia ecclesiis debita, legesque civiles jam communi omnium consensu stabilitum demonstrent asylum, multo ante quam ulla de eo civilis lex ederetur. Quod si non a civilibus legibus asylum procedit, sed a sensu intimo religionis atque a reverentia, quæ ecclesiis debetur, manifestum est, ejus curam et regimen non ad civilem potestatem, sed ad eum pertinere, cui religionis cura, et ecclesiarum regimen, commissa et commissum est. Quod si interdum laici principes pietate præstantes de ecclesiarum asylo leges tulerunt; non id ab ipsis factum est, ut primum asylum stabilirent, aut quod eorum legibus indigeret ecclesia, ut haberet perfugium, quod dabat ejus sanctitas ac reverentia, atque ipsa vis religionis, neque ideo dici potest, quod illorum esse debeat de asylo leges constituere. Civiles illæ leges eo spectant, ut asyli jura sancte custodiantur, et auctoritate templorum veneratio firmetur, atque omnes metu quoque civilis coercitionis a sacrilega violatione deterreantur. Non dissimiles imperatorum leges exstant in utroque Codice atque Novellis, de Fide et Sacramentis, de religione ipsa christiana, de hæreticis, apostatis, excommunicatis; neque tamen eam ob causam catholicus homo dixerit jus Religionis, ac Religionem ipsam christianam, ac Fidem a principum auctoritate et clementia penderc. Certe inter civiles leges, quibus ecclesiasticum asylum confirmatur, celebre est edictum Theodosii Junioris, cujus paulo ante facta mentio est, et ibi quidem Imperator asylum, quod jampridem erat constitutum, repetit ex vi ipsa religionis, atque ex naturali et omnium animis insita reverentia ecclesiarum. Neque aliud ferri debet judicium de antiquis Patribus, quos interdum ad principes ivisse constat, ut de ecclesiarum asylo leges impetrarent; unde in *cod. cap.* 56, apud Justellum *Bibl. Jur. Canon. tom.* 1 *pag.* 154 *edit. Paris.* 1661 scriptum est: « Ut pro confugientibus ad ecclesiam quocumque reatu involutis legem de gloriosissimis principibus mereantur, ne quis audeat eos extrahere. » Imo et Patres illos legasse scimus Epigonium et Vincentiam ad Honorium Imp., ut concederet asylum ecclesiis Africanis, quæ lex confirmata est a Justiniano *Novell. de eccl. constit. in Afric. Col.* 10. Nam eorum Patrum consilium fuit, ut imperatoris gladio ecclesiæ ac religionis honos et cultus defenderetur, atque ut imperatores ipsi sacrorum canonum decreta, auctoritate imperioque suo, ad exitum perducenda curarent. Similiter episcopi pluries ad imperatorem confugerunt, ut de christiana religione decreta firmaret, ut ecclesiasticam libertatem adsereret, ut catholicam fidem vindicaret; et multa harum rerum monumenta sunt tum in codice canonum Africanorum, tum in codice Justiniani et Theodosii, atque in

Novellis constitutionibus. Sed non ideo quisquam dixerit, sanctissimos illos episcopos potestatem in res sacras ac religionis, ecclesiæque regimen et curam laico principi committere voluisse. Sæc. IV Eutropius eunuchus Arcadium imperatorem impulit ad tollendum jus asyli lata lege, quæ est *L. 5 cod. Theod. de his qui ad eccles. confug.;* sed postea confugere ipse ad ecclesiam debuit, ut vitam tueretur suam, atque ita *suomet facto*, ut inquit Chrys. *hom. 1 in Eutrop. tom. 3 col. 385 ed. Paris. 1721, legem suam primus abrogavit.*

§. XXVIII. Quod si ecclesiarum asylum ex ipsa earum sanctitate et reverentia procedit, consequens est, ut regatur auctoritate ejus, cui regimen ecclesiasticarum rerum commissum est. Certe ecclesiasticis legibus et ampliati et arctati sunt asyli fines, uti rerum ratio postulare videbatur. Naturalis reverentia in ecclesias fecit, ut ea jure asyli fruerentur; deinceps illud traductum est etiam ad ea loca, quæ visa sunt reverentia et obsequio digna, vel propter usum, cui sunt addicta, vel propter dignitatem eorum, qui in illis habitant.

§. XXIX. Hodie igitur asyli jure fruuntur omnes ecclesiæ, etiam quæ consecratæ non sunt, earumque porticus et atria (1); quin et locus, in quo, primo lapide solemniter jacto, ecclesia ædificanda est (2); itemque oratoria episcopi auctoritate constituta, ac perpetuo divinis addicta, non autem oratoria, quæ sunt in domibus privatorum, quamquam in iis cum venia sedis Apostolicæ res divina peragatur, similiter palatium episcopi; domus, quæ ad parochiam pertinet, et in qua parochus habitat; domus canonicales et sodalitiorum, quæ eorum ecclesiis conjunctæ sunt; turris campanaria, quæ intra passus triginta ab ecclesia distat; xenodochia et cœmeteria (3); domus regularium; denique etiam sacerdos Eucharistiam deferens ad se confugientibus asylum præstat (4).

(1) *Can.* 8, 9, 20, 36 *c.* 17 *qu.* 4, *c.* 5 *et* 9 *de Immun. eccl.* Quin etiam *can.* 6 *et* 35 *caus.* 17 *qu.* 4 jus asyli traducitur ad passus 40 extra ecclesiam cathedralem, ad passus 30 extra ecclesiam inferiorem; verum hujus loci asylum nunc antiquatum esse tradit card. *de Luca disc.* 12 *num.* 27 *miscell.*, ac solum obtinere ostendit Pignatellus *consult.* 426 *tom.* 1, ubi consuetudine receptum est.

(2) Sacr. Congr. Immun. in *Januen.* 5 *oct.* 1688.

(3) *Cap.* 10 *de Immunit. eccles.*

(4) Consule Fagnan. *in cap. ecclesiæ* 9 *de Immun. eccl. per tot. tom.* 3; Ferraris *Bibl. verb. Immunitas art.* 2; Giraldum *expos. Jur. Pont. par.* 1 *sect.* 637 *pag.* 471, a quibus hæc omnia, quæ ad asylum pertinent ecclesiarum, latissime explicantur.

§. XXX. Publicas tamen ob causas factum est, ut rei graviorum quorumdam criminum ab asyli beneficio excludantur. Atque hi quidem sunt, qui publice impudenter aliena bona diripiunt; qui agros depopulantur; qui hominem in ecclesia, vel ejus cœmeterio interficiunt, aut ei membrum amputant; sicarii, qui scilicet alieno jussu alicui mortem inferunt, et qui tanti facinoris causa eorum operam conducunt, aut eos domi excipiunt; homicidæ nisi vel casus, vel justa sui defensio homicidio causam dederit; Judæus, qui susceptam ante christianam religionem deseruit; hæreticus, nisi ad ecclesiam confugerit ob aliud crimen, quam hæreseos; læsæ majestatis reus; qui vim inferunt confugientibus ad ecclesiam atque eos inde violenter abducunt; qui in litteris apostolicis falsi crimen admiserunt; qui Montem Pietatis, aut alia similia loca administrantes, falsi aut furti patrato crimine, ita publicam arcam minuunt, ut pœnæ mortis subjiciantur; qui aureas et argenteas monetas privatim cudunt, aut vitiant et corrumpunt; qui mentito Curiæ nomine sese in alienas domas inferunt et intrudunt, atque ibi rapinas faciunt et homines trucidant, aut membra cædunt (1).

(1) Late de his omnibus agitur *in cap.* 6 *et* 10 *de Immun. eccl.*, *in Bulla Cum alias* 17 Greg. XIV *bullar. tom.* 5 *par.* 1 *pag.* 171; *in Bulla Ex quo* 73 Ben. XIII *tom.* 12 *par.* 1; *Bulla In supremo* 171 Clem. XII *tom.* 14 *pag.* 17, et *in Bulla Officii* 29 Ben. XIV *tom.* 3 *pag.* 160 *bullar. edit. Romæ seu Ven.* 1754. Consule Ben. XIV *Inst.* 41 §. 3 *et seq.*, et Giraldum *expos. jur. Pont. par.* 1 *lib.* 3 *sect.* 635 *pag.* 464 *et seq.* Recte autem animadvertit Ben. XIV *loc. cit.* §. 9 *n.* 35, quod præter ea scelera, quibus omnis immunitas jure negatur, si cetera quoque gravia sint, vel sæpius admittantur, auctoritate summi Pont., vel Sac. Congr. Immunitatis in carcere ecclesiastici Judicis ex loco immuni rei detrudi possunt *nomine ecclesiæ*, causaque ipsorum cognita, pœna constitui paulo quidem mitior, ut simul et rei pœnam perferant, et ecclesiastici asyli ratio habeatur.

§. XXXI. Qui se criminibus inquinarunt tantorum facinorum ac tam atrocium, dimovendi ab ecclesia sunt, ut meritis plectantur pœnis. Qua in re certa est adhibenda ratio, ne quis imprudenter et temere privetur beneficio, quod ad se confugientibus ecclesia præstat. Nimirum ab ecclesiastico Judice videndum est, num reus patrarit crimina, propter quæ immunitate prorsus indignus habeatur, ejusque auctoritate, ac præsente viro ecclesiastico, quem ipse designavit, reus de asylo dimovetur (1).

(1) Ben. XIII *cit. Constit. Ex quo.*

SECTIO III.

De Capellis et Oratoriis.

XXXII. Quid Capella et Oratorium.

XXXIII. Publici et privati Oratorii distinctio.

XXXIV. Altare *portatile*.

§. XXXII.

Capellæ (1) et Oratoria sunt sacella, quæ in agris sedent, aut in civitatibus, aut in magnatum domibus, quæque sacris extraordinariis addicta sunt. Duplex oratorii genus, publicum et privatum. Publicum est, quod publicam habet januam, et quod cuivis e populo patet; privatum, quod in privatis domibus, et quod domini arbitrio constituitur.

(1) Du Cange *in Gloss. med. et inf. latin. verb. Capella* hoc nomen repetit a *capa*, hoc est parva veste S. Martini, quæ in oratorio regis Galliarum servabatur. Contra alii *Capellæ* nomen factum ostendunt a *capa*, hoc est theca reliquiarum S. Martini et aliorum, quam Galliarum reges in oratorio habebant, et quam secum deferre solebant, cum ad bellum proficiscerentur. Nimirum *capella* orta est a *Cap.* sive *Capa* et *Cap.* vox Celtica est, uti tradit Leibnitzius *coll. etymol. par.* 2, suaque origine significat capitis tegmen, ac generatim quodvis corporis tegumentum, ampliorique sensu rerum pretiosarum thecas et conditoria. Evod. *lib.* 1 *de mirac. B. Stephani*, *capella argentea*, inquit, *in qua erat reliquiarum portio.* Consule Pithœum *Gloss. ad lib. capitular. verb. Capella*, et Bignonium *in not. ad Marculf. formul.* 48 *lib.* 1, utrumque apud Baluz. *capit. reg. Franc. tom.* 2 *col.* 491 *et* 626 *ed. Ven.* 1773.

§. XXXIII. Publicum oratorium Deo semel dicatum in profanos usus converti nequit (1); quod de

privato oratorio non est ita (2). Neque tantum in publicis oratoriis preces ad Deum mittuntur, sed etiam divinum sacrificium super altari rite consecrato peragitur. Hinc ea cum episcopi auctoritate ædificari ac benedici debent (3), et campanam habent, per quam populus ad rem divinam atque ad fundendas preces publice vocatur (4).

(1) *Cap.* 51 *de regul. jur. in* 6.

(2) Vulgatum est illud, quod post Glossam et ceteros Juris can. interpretes tradit Fagn. *in cap. Auctoritate* 27 *de Cens. num.* 6, quod hodie privatum oratorium est, *cras poterit fieri camera, cum non sit locus Deo dicatus.* Videndi imprimis sunt Jo. Bapt. Gatticus, Jos. de Bonis et Fortunatus a Brixia, qui peculiaribus operibus *de oratoriis publicis et domesticis,* late ac diligenter agunt.

(3) *Can.* 10 *cap.* 18 *qu.* 2.

(4) *C.* 16 *de excess. prælat.* In privato tamen oratorio publicam campanam retineri vetat Cœlest. III *in c.* 10 *de Priv.*

§. XXXIV. Privatum oratorium domi habere unusquisque potest, sed in eo Missam celebrare non licet, nisi hæc facultas a sede Apostolica impetrata sit (1). Verum episcopi eo privilegio fruuntur, ut ad rem divinam faciendam non tantum domi suæ oratorium habeant, sed etiam altare *viaticum,* seu *portatile,* ut vocant, erigere possint in alienis quoque domibus, in quibus vel visitationem obeuntes, vel iter facientes hospitio excipiuntur, quin etiam in iis domibus, in quibus commorantur, cum probatis de causis absunt a diœcesi sua (2).

(1) *Can.* 33 *de Consec. dist.* 1, concil. Trid. *sess.* 22 *in decr. de observ. et evit. in celebr. Miss.* Confer Fagn. *in cit. c.* 27 *de Cens. num.* 17, qui hoc concilii decretum diligenter expendit.

(2) *Cap.* 12 *de Privil. in* 6. Quod quidem episcoporum privilegium a Trid. synodo minime fuisse sublatum, eoque potiri episcopos electos et confirmatos, quamvis consecrati non sint, ostendit Fagn. *in cap. Quod nonnullis num.* 6 *et seq. de Privil.*

Cum autem Bonifacii decretalis *in cit. cap.* 12 comprehendat *episcopos eorumque superiores*, manifestum est, idem privilegium etiam ad cardinales pertinere, qui præeminentia et dignitate, non tamen ordine, sunt episcopis superiores. Consule Fagn. *loc. cit. n.* 5 *et* 10 *et seq.*, et Passerin. *in cit. cap.* 12. De jure altaris portatilis, quo fruuntur episcopi, videnda inprimis est Innoc. XIII const. *Apostolici ministerii* 34 §. 24 *p.* 263 *tom.* 11 *bull. ed. Mainardi*, qua quidem constitutione declaratum est decretum ea de re editum a Clem. XI die 15 decemb. an. 1703, illamque confirmavit Bened. XIII, atque descripsit in app. concilii Rom., ut ab omnibus observaretur. Confer etiam Bened. XIV litteras *Magno* datas ad primatem, archiepiscopos, episcopos Poloniæ atque in ejus bullario descriptas *num.* 48 *t.* 3 *pag.* 216 *ed. Ven.* 1754.

SECTIO IV.

De sacris Vestibus, Vasis, ceteris ad ecclesiam pertinentibus.

XXXV. Res sacræ in hominum commercio versari nequeunt.

XXXVI. Sacra indumenta ac vasa, eorumque benedictio.

XXXVII. Campanæ.

§. XXXV.

Sacram supellectilem constituunt sacra indumenta sacerdotum et ministrorum, vasa, quæ adhibentur, cum res divina conficitur, omnia demum ecclesiæ et altaris ornamenta. Cuncta hæc, quæ Deo data ejusque honori ac cultui dicata erant, majores nostri *anathemata* appellabant, quod essent a communi usu remota atque sejuncta (1). Nam semper omnibus fixum certumque fuit, res Deo consecratas revocari non posse in commercium hominum, in quo res profanæ versantur (2).

(1) Justinus M. *Resp.* 121 *ad Orthod. pag.* 495 *edit. Paris.* 1742; Cyrill. Alex. *lib.* 5 *de adorat. p.* 144 *tom.* 1 *ed. Lutetiæ* 1638; Euseb. *de vit. Constant. lib.* 3 *cap.* 38 *pag.* 569 *ed. Cantabr.* 1720; Zonaras et Balsamon *in can.* 3 *conc. in templ. Sophiæ,* apud Bevereg. *Pand. can. tom.* 1 *pag.* 563 *ed. Oxonii* 1672. Confer Suicerum *Thes. verb.* ἀνάθημα, et Selvagium *antiq. christ. part.* 1 *lib.* 2 *cap.* 4 §. 1.

(2) Notum est, qua constantia et firmitate animi, S. Ambr. obstiterit Valentiniano imp., qui ab eo sacra vasa tradi volebat. « Cum esset propositum, inquit *in Serm. contr. Auxent. n.* 5 *tom.* 6 *pag.* 56 *ed. Ven.* 1781, ut ecclesiæ vasa jam traderemus, hoc responsi reddidi: me, si de meis aliquid posceretur, aut fundus, aut domus, aut aurum, aut argentum, id quod mei juris esset, libenter offerre: templo Dei nihil posse decerpere, nec tradere illud, quod custodiendum, non tradendum acceperim. » Confer etiam canon. Apost. 73, apud Coteler. *PP. Apost. tom.* 1 *pag.* 451 *ed. Amst.* 1724; acta S. Laurentii apud Ruinart. *Act. Mart. sincer. pag.* 164 *ed. Veronæ an.* 1731; Conc. Arelat. *I can.* 13 *tom.* 1 *coll.* Labbei *col.* 1452 *ed. Ven.;* S. Aug., qui Silvanum donatistarum episcopum proditorem judicat, quod imperatoris ministris argenteam lucernam tradidisset *ep.* 53 *al.* 165 *cap.* 2 *num.* 4 *tom.* 2 *col.* 161 *ed. Ven.* 1759.

§. XXXVI. Sacerdotem sacris operam daturum non communi, sed peculiari et magis augusto habitu uti oportere, compertum est; quem ritum ab apostolica ætate profectum (1) ad nos ecclesia transmisit, quamquam lapsu temporum aliqua in vestium numero et forma rerum, acta mutatio sit (2). Maxime autem decet, benedictione primum sacris usibus initiari vestes, quæ sunt ad sacrificium necessariæ (3). Consecrantur etiam ac benedicuntur vasa, quibus in sacrificio opus est, et in his quidem sacrum chrisma adhibetur (4); præterea benedicuntur lintea et cuncta altaris instrumenta; utraque consecratio et benedictio ad episcopum pertinet (5).

(1) Quandonam apostoli primum sacrificium confecerint, et num in eo conficiendo communibus et quotidianis, an potius certis et peculiaribus usi sint vestibus, non satis convenit inter eruditos. Illud plane compertum est, eos post Christi mortem per

triduum sese a sacrificio abstinuisse; sed quæritur, num statim hoc elapso triduo primum sacrificium obtulerint, an potius illud distulerint ad Pentecosten, qua de re disputant Theoph. Raynaudus *de Prima missa sect.* 1 *cap.* 2 *et* 3 *tom.* 5 *pag.* 550 *seq. ed. Lugd.* 1665, et card. Bona *rer. liturg. lib.* 1 *cap.* 5 §. 1 *tom.* 1 *pag.* 68 *et seq. ed. Taurin.* 1747. Verosimillimum est, apostolos solum post Pentecosten rem divinam fecisse, quod ante illud tempus lex Evangelica nondum satis promulgata fuisset. Confer etiam Salam *in not. ad Bonam loc. cit.*, ubi quoque ostenditur, primam Missam non a Jacobo, sed a Petro celebratam fuisse. Magna etiam, uti dicebam, controversia est, num apostoli peculiaribus induti vestibus rem divinam confecerint. Paulus *in II ad Tim.* IV *v.* 13 memorat *penulam*, quam Troade reliquerat apud Carpum, a quo hospitio exceptus fuerat. Si vera esset sententia illorum qui *penulam* interpretantur casulam, qua nunc sacerdotes utuntur, satis quidem ex hoc loco constaret, apostolos rem divinam conficientes sacra indumenta adhibuisse. Verum Guil. Estius *in Comm. ad d. Paul. ep.* penulæ nomine veteris testamenti libros comprehendi arbitratur. Contra Jos. Vicecomes *penulam* casulam esse putat. Baron. *ad an.* 58 *num.* 67 *et* 68 *tom.* 1 *pag.* 514 *ed. Lucæ*, utramque sententiam in medium affert, atque integrum ea de re judicium cuique relinquit, *sed magis placet*, inquit, *ut volumen sacræ legis intelligi debeat.* Card. Bona *loc. cit. lib.* 1 *cap.* 24 §. 8 *tom.* 2 *pag.* 235, magis probare videtur sententiam illorum, qui penulam vestimenti genus fuisse censent, idque etiam late ostendit Rob. Sala *in not. num.* 1 *p.* 237. Eadem est sententia Aug. Calmeti *in dict. hist. S. Script. verb. penula t.* 2; Phil. Bonarœti *in animad. ad quod. vitr. fragmen. figuris distinct. ex cœmeter. Rom. effos. tab.* 16 *fig.* 2. Sed quævis de apostoli penula verior opinio habeatur, illud profecto multo probabilius est, non solum viros apostolicos, sed ipsos etiam apostolos peculiares atque a communibus distinctas adhibuisse vestes, cum rem divinam conficiebant. Cathari, quos peculiari opere refutavit Ven. Moneta, et sequioris ætatis hæretici usum sacrarum vestium execrati sunt ad summam impudentiam. At injuria; nam eas vetustissimas esse ostendunt Bellarm. *de Euch. l.* 6 *c.* 14; Meratus *ad Gavant. thesaur. sacr. rit. par.* 1 *in rubric. gen.*; Catalanus *de cod. S. Evang. lib.* 2 *cap.* 7, *et in Prolegom. ad Pontific. Rom. cap.* 6; card. Bona *lib.* 1 *cap.* 5 §. 2, et Sala *in not. num.* 1 *t.* 1 *p.* 70 *et seq., et in app. pag.* 409 *cit. ed.*; Thomass. *vet. et nov. eccl. disc. par.* 1 *lib.* 2 *cap.* 43; Suassajus *Panopl. sacerd. par.* 1 *lib.* 6 *de Casula cap.* 6; Ben. XIV *de Sacrific.*

Missæ sect. 1 *cap.* 38, *et Inst.* 21 *num.* 4; Georgius *de liturg. sum. Pont. l.* 1 *cap.* 3 *num.* 7 *et cap.* 5. Hæc autem sacra indumenta, præsertim post Constantinum, serica atque auro argentoque contexta, ut plurimum, fuisse observat card. Bona *l.* 1 *cap.* 24 §. 1 *tom.* 1 *pag.* 211, et antiquissimis quoque temporibus varii coloris erant, uti nunc sunt, quod late ostendit Rob. Sala *in not. ad illum Bonæ locum num.* 3 *pag.* 215, ubi etiam refutatur Jo. Dallæus calvinianus homo, qui illam in sacris vestibus colorum diversitatem *amœnam quidem, sed antiquis christianis ignotissimam esse,* impudenter affirmat.

(2) Vestes omnes episcoporum, sacerdotum, ministrorum, inter ceteros accurate describit card. Bona *loc. cit. tot. c.* 24.

(3) *Can.* 42 *de Consecr. dist.* 1, S. Th. *qu.* 83 *art.* 3. Licet autem Hospinianus, homo videlicet hæreticus, *de Orig. dedicat. cap.* 3 *et* 4 hunc sacrum benedictionis ritum tantum sæculo IX inductum putet, tamen ejus rei sæculo IV certissima sunt monumenta. Nam, uti narrat Sozomenus *hist. lib.* 2 *cap.* 26 *p.* 81 *ed. cit.*, cum imperator Constantinus regali munificentia Hierosolymitanum templum ædificasset: «Episcopi Hierosolymam delati ecclesiam consecrarunt, simulque ornamenta et donaria ab imperatore transmissa. »

(4) *Cap. unic.* §. *Ungitur. de sacr. unct.* De harum vero consecrationum ac benedictionum antiquitate late agit Dominicus Georgius *liturg. Rom. Pontif. lib.* 2 *cap.* 14.

(5) Confer Ben. XIV *Inst.* 21, ubi etiam agitur de benedictione cinguli, pluvialis et pyxidis.

§. XXXVII. Pertinent etiam ad ecclesias campanæ (1), seu tintinnabula, per quæ populus ad templum vocatur atque ad fundendas preces excitatur. Antiquissimus est campanarum usus (2), atque earum etiam benedictio sane pervetus est (3). Spectat hæc benedictio ad episcopum, qui eam expedit certis quibusdam ritibus in Pontificali descriptis; campanæ autem, cum benedicitur, alicujus Sancti nomen imponitur, sive ut ea quasi ejus tutelæ commendetur, sive ut populus quodammodo cœlitum voce ad templum vocari videatur (4).

(1) Campanæ nomen grandioribus tintinnabulis circa finem sæc. VII impositum fuisse suspicatur card. Bona *rer. liturgic.*

lib. 2 *cap.* 22 §. 3 *pag.* 135 *tom.* 2, ac deinceps octavo nonoque sæculo ab omnibus passim usurpatum affirmat. Sed ipsum campanæ vocabulum hac ætate antiquius faciunt Martenius *de antiq. eccl. rit. lib.* 4 *cap.* 2 §. 11 *pag.* 6 *tom.* 3 *ed. Antv. seu Ven.* 1764, et Pagius *brev. gest. Pontific. in vit. Sabiniani P. num.* 2. Antequam vero tintinnabula adhiberi cœpissent, christiani ad templum vocabantur per tubam, aut tabulas ligneas, id quod pacatis tantum ecclesiæ rebus fieri potuit. Nam ethnicis dominantibus, credibile est christianos secreto monitos per diaconum, aut per alium ab episcopo designatum virum, ut ad ecclesias convenirent. Cuncta hæc late explicant Martenius *loco cit.* §. 7 *et seq. p.* 5; Bona similiter *loc. cit.* §. *et seq. p.* 126 *et seq., ibique* Sala *in not. num.* 2 *pag.* 127; Baron. *ad an.* 58 *n.* 103 *t.* 1 *pag.* 527 *ed. Lucæ.*

(2) Angelus Rocca *de campan. cap.* 1 originem campanarum repetit a S. Hier., quoniam earum mentio est *in regula monach.*, quæ Hieronymi nomine circumfertur. Verum hanc regulam Hier. revera non esse, inter eruditos constat, sed eam ex illius scriptis compositam a Lupo Olivetano et a Martino V Pont. post an. 1417 approbatam, scribit Guil. Caveus *de script. eccl. in Hier.* Multi sunt, qui tintinnabuli usum tribuunt S. Paulino Nolano episcopo, qui medio sæc. V vita functus est; verum cum Paulinus *ep.* 32 *ad Sever. col.* 194 *seq. ed. Veronæ,* in qua diligenter ecclesiam ab se ædificatam ac singulas ejus partes describit, nihil de tintinnabulis aut de turri dicat, non obscurum inde educitur argumentum, ipsum revera tintinnabula non adhibuisse, sicuti animadvertunt Theoph. Raynaudus *t.* 1 *punct.* 7 *p.* 411 *ed. Lugd.* 1665, et card. Bona *loc. cit.* §. 3 *pag.* 130. Polyd. Virgilius *de invent. rer. lib.* 6; Onuph. Panvinius *in epist. de Rom. Pont. lib.* 1 *num.* 71; Ciacconius aliique complures tintinnabuli usum referunt ad Sabinianum P., qui initio sæc. VII Pontificatu maximo functus est; sed cum Anastasius in Sabiniani vita nullam ejus rei mentionem faciat, plane non intelligitur, quomodo hæc opinio probari possit. Illud dici potest, sæc. VI in ecclesia occidentali campanarum usum fuisse receptum, quoniam in vita S. Columbæ primi abbatis Hyensis, qui obiit anno 599, quam vitam edidit Mabillon. *sæc. I Bened. pag.* 349 *t.* 1 *ed. cit.*, scriptum est *cap.* 22, eum *media nocte pulsante campana*, ad ecclesiam ivisse, et *cap.* 25 traditum, illum *quadam die ministro suo campanam subito pulsare præcepisse, cujus sonitu fratres excitati ecclesiam protinus sunt ingressi.* Confer Marten. et Pag. *loc. cit.*

(3) Baron. *ad an.* 968 *num.* 93 *tom.* 16 *pag.* 192 *ed. Lucæ*

tradit, Joan. XIII campanæ benedictionem tribuisse eamque consecrasse, antequam in turri Lateran. ecclesiæ collocaretur, *qui ritus*, inquit, *in ecclesia perseveravit.* Verum capitularia Caroli M., quæ ducentis fere annis Joannis XIII ætate antiquiora sunt, an 789 *cap.* 3 *num.* 18, apud Baluz. *tom.* 1 *col.* 178 *ed. Ven. cit.* campanarum benedictionem memorant; atque in libris ritualibus Joanne antiquioribus expresse describitur campanarum benedictio, uti ostendit Hugo Menardus *in not. ad Sacr. S. Greg. not.* 587 *tom.* 3 *col.* 458 *ed. Paris.* Ex quibus manifestum est, campanarum benedictionem non ab Joan. XIII esse repetendam, sed multo vetustiorem esse. Consule Bonam *rer. liturg. lib.* 1 *cap.* 22 §. 7, ibique Salam *in not. n.* 1 *p.* 137 *et seq. tom.* 2; Pagium *in brev. Rom. Pont. in vit. Joan. XIII num.* 12 *tom.* 2; Roccam *de campanis cap.* 6 §. *de campan. consecr.*; Theoph. Raynaudum *Heterocl. spir. tom.* 16 *sect.* 2 *punct.* 9 *pag.* 245 *ed. Lugd.* 1665: Marten. *de antiq. eccl. rit. lib.* 2 *cap.* 21 *tom.* 2 *pag.* 296 *et seq. edit. cit.* Campanarum autem benedictio baptismus dicitur, quod vocabulum non adoptavit ecclesia, sed tantum tolerat, ut aliorum fidei ac simplicitati indulgeat. Quod baptismi nomen ex eo profectum est, quod populus in campanarum benedictione aquam adhiberi nomenque imponi videat, aliaque fieri, quæ in administrando baptismo fiunt, sicuti observat Du Cange *Gloss. med. et infim. latin. verb. campana.* Sed minus proprie baptismi vocabulum cum benedictione confunditur, eo fere modo, quo Ivo *par.* 2 *Serm.* 4 *de Sacr. dedic. pag.* 269 *ed. Paris.* 1647 *baptizari* dixit ecclesiam, quæ proprie consecratur. Quare se deridendos præbent hæretici, cum id catholicis vitio vertunt, quasi ipsi verum baptismum campanis conferri arbitrentur. Confer Du Cange *loc. cit.*; Coccium *tom.* 2 *lib.* 3 *art.* 6; Durant. *de sacr. eccl. rit. lib.* 1 *cap.* 22 *num.* 6; Suarez. *ltb.* 2 *defens. c.* 16; Gretser *lib.* 2 *de bened. cap.* 45 *et* 46; Del-Rio *disquis. magic. lib.* 6 *cap.* 2 *sect.* 3 *in fin.*; card. Hosium *lib.* 5 *contr. Brentium.* Et certe in vetusto ordine, atque in Pontif. Rom. cunctisque libris ritualibus ecclesiarum, quos Thiers *de superst. lib.* 1 *cap.* 7 diligenter collegit, nunquam baptismi, sed benedictionis nomine campanarum consecratio appellatur.

(4) Videndus P. Petra Sancta *de rit. eccl. cath. lib.* 2; Mart. Del-Rio *disquis. magic. lib.* 6 *cap.* 2 *sect.* 4 *qu.* 4; Pouget *instit. cathol. t.* 2 *c.* 8 §. 6 *p.* 905 *ed. Paris.* 1725.

TITULUS VI.

De Reliquiis et Veneratione Sanctorum.

I. Intercessio Sanctorum. | II. Sacrarum Reliquiarum veneratio.

§. I.

Sacræ res sunt etiam Reliquiæ Sanctorum, quibus honorem et reverentiam haberi jubet ecclesia, quoniam illorum ope ac precibus multa homines a Deo beneficia consequuntur. Quare bonum atque utile est eos suppliciter invocare, atque ob beneficia impetranda a Deo per ejus filium Christum Dominum ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere, et honoranda sunt monumenta illorum, quos in cœlis cum Christi regnare scimus (1).

(1) Conc. Trid. *sess.* 25 *in decr. de Inv. vener. et reliq. SS. et sac. imagin.*

§. II. Sacrarum reliquiarum veneratio ab ipsis ecclesiæ primordiis est repetenda (1). Sæpe enim sacræ reliquiæ causa erant ecclesiæ dedicandæ (2), sæpe altaria super Sanctorum corpora erigebantur (3), et iis imponebantur reliquiæ thecis inclusæ (4), easque fideles ad os, oculos, ceterosque sensus admovebant et osculabantur (5). Sed præsertim antiquissima et ubique recepta consuetudo fert, ut martyrum reliquiæ in ecclesiarum consecratione adhibeantur (6). Eosdem nunc retinet ecclesia venerationis justæ ritus; sed nullæ colendæ sunt novæ reliquiæ, nisi a sede Apostolica approbatæ fuerint (7).

(1) Mortuo Polycarpo, uti constat ex ejus actis apud Euseb. *hist. eccl. lib. 4 cap.* 15 *pag.* 171 *ed. Cantabr.*, urgebant Judæi, ut ejus corpus combureretur, ne christiani ejus reliquias auferrent ac venerarentur. Addit auctor eorumdem actorum post narratum Polycarpi martyrium : « Atque ita nos demum ossa illius gemmis pretiosissimis cariora, et quovis auro puriora colligentes, tollentes, ubi decebat, deposuimus. Quo etiam in loco, nobis, si fieri poterit, convenientibus in exultatione et gaudio, præbebit Dominus natalem martyrii ejusdem cum hilaritate et gaudio celebrare, tum in memoriam eorum, qui glorioso certamine perfuncti sunt, tum ad posteros hujusmodi exemplo erudiendos et confirmandos. » Ex quo intelligitur, qui cultus esset, quem christiani martyribus initio ipso ecclesiæ præbebant. Nimirum eorum reliquias colebant, tam splendide eas colligebant, ac si aurum purissimum, aut pretiosissimæ gemmæ fuissent; decoro loco ponebant, ibique cum gaudio anniversarium martyrii diem celebrabant. Atque illud his solemnitatibus erat eis propositum, non tantum ut Sanctorum memoriam colerent, verum etiam ut fideles exempla ad imitandum haberent. Eadem nunc est, quæ semper fuit, ecclesiæ mens, cum Sanctorum cultum venerationemque proponit. Hujus quoque venerationis in sacras reliquias illustria sunt monumenta in actis S. Cypriani, in ejus vita a Pontio diacono conscripta; et apud Cypr. ipsum. Hic enim *ep.* 6 *pag.* 176 *ed. Amst.* 1700, declarat lætitiam incredibilem, qua perfunderetur, si amplecti posset martyrum corpora et eorum ora osculari. Præclara etiam sunt acta martyrii ipsius Cypriani, quæ exstant ante opera ipsius Cypr. *pag.* 15 *ed. cit.*, et ex quibus constat, fideles ante eum linteamina misisse, ne ejus cruor defluens a terra absorberetur. Denique Pontius diaconus, qui ejus vitam conscripsit, narrat, quemdam Cypriano suas obtulisse vestes, cum ipse multo sudore madidus sederet, ut illas commutaret: « Qui videlicet, inquit Pontius *in ejus vit. opp. Cypr. pag.* 10 *ed. cit.*. nihil aliud in rebus oblatis ambiebat, quam ut proficiscentis ad Deum martyris sudores jam sanguineos possideret. » Late sacrarum reliquiarum venerationem tuentur et laudant ecclesiæ Patres : atque inter ceteros Aug. *de Civ. Dei l.* 8 *cap.* 27 *t.* 7 *col.* 217 *ed. cit.;* Hier. *Contra Vigilant. num.* 5 *tom.* 2 *col.* 391 *edit. Veronæ;* Isidor. Pelusiota *Contra Hieracem lib.* 1 *ep.* 55 *pag.* 17 *ed. Paris.* 1258; Cyrill. Hierosol. *Catech.* 13 *pag.* 293 *ed. cit.* ostendunt, quam merito, quam recte, quam catholice fideles Sanctorum reliquias venerentur. Quinimo ipsa reliquiarum conditoria majores nostri summa reverentia prose-

quebantur et illorum contactum esse credebant *sanctificationem ac benedictionem*, ut inquit Greg. Nyss. *orat. in S. Theod. tom.* 2 *pag.* 1012 *ed. Paris.* 1615, quod etiam testatur Chrys. *orat. de S. Ignat. num.* 5 *pag.* 600 *et seq. tom.* 2 *ed. Paris.* Curabat autem potissimum, ut essent ornata eleganter atque magnifice conditoria, quæ sacra λειψανα, seu reliquias continebant. Serico enim opere, aut argenteo, aut aureo sæpe conficiebantur, quod spectat Prudent. *hymn.* 3 *de S. Eulalia p.* 244 *vers.* 195 *seq. ed. Paris.* 1687. Et reliquias, quas thecis inclusas colloque appensas christiani gestabant, memorat Greg. Turon. *de glor. martyr. cap.* 82 *et* 84 *pag.* 816 *et* 817 *ed. indic.;* Chrys. vero tantam sua ætate fuisse indicat sepulcrorum martyrum magnificentiam, ut ea ipsis principum palatiis anteferre non dubitaverit *hom.* 26 *in ep.* 2 *ad Cor. num.* 5 *tom.* 1 *pag.* 625 *ed. cit.* Facile hinc intelligitur quam absurdus sit ac semper ab ecclesia refutatus error Vigilantii, Eunomii, Eustathii et aliorum, quos imitati sunt recentiores hæretici Zuinglius, Calvinus, Lutherus ac ceteri similes, qui sacrarum reliquiarum venerationem improbant ac superstitiosam ducunt. Hottingerus præsertim, Dallæus, Medus, Juriæus, Basnagius, omnes ex grege hæreticorum homines, multa absurda, falsa, plenaque impudentia scripserunt adversus venerationem sacrarum reliquiarum; sed eos copiose refutant et catholicam veritatem tuentur Nat. Alex. *hist. eccl. sæc.* 5 *diss.* 25 *tom.* 5 *pa*5. 311 *ed. cit.;* card. Gottus *ver. Christ. eccl. tom.* 2 *par.* 2 *art.* 15 *tom.* 16 *theol. qu.* 7 *de Cult. Sanctor. dub.* 4, *et verit. relig. Christ. cap.* 50 §. 2 *num.* 11 *tom.* 7; Lud. Rusca *Jud. eccl. confirm. tom.* 3 *cap.* 3 *art.* 8 *p.* 410; Bossuet *hist. variat. eccl. protest. tom.* 3 *lib.* 13 *num.* 23 *et seq.*

(2) Consule Aug. *contr. Faust. Manich. lib.* 20 *cap.* 21 *t.* 8 *col.* 347 *ed. cit.*; Greg. M. *lib.* 8 *ep.* 4 *lib.* 9 *epist.* 25 *tom.* 2 *col.* 897 *et* 947 *et lib.* 1 *dialog. cap.* 10 *eod. tom.* 2 *col.* 193 *edit. Paris.* 1705; Sozom. *histor. lib.* 5 *cap.* 9 *pag.* 192, *et lib.* 8 *cap.* 19 *pag.* 351 *ed. Cantabr.* 1720.

(3) Aug. seu potius auctor *Serm.* 221 *de Sanct. seu* 4 *de Innoc. in app. t.* 5 *col.* 365 *et in Apocal. homil.* 6 *col.* 1150 *tom.* 5 *par.* 2; Ambr. *ep.* 22 *ad Marcellin. num.* 1 *col.* 927 *et exhortat. virgin. cap.* 2 *num.* 10 *col.* 348 *tom.* 3 *edit. cit.;* Paulinus *Poem.* 19 *et* 26 *p.* 471 *et* 637 *ed. Veron.* Id autem a Felice I summo Pont. constitutum tradit Anastasius *in ejus vit.* ut *supra sepulcra, aut memorias martyrum* missæ celebrarentur. Verum Baron. *ad an.* 275 *num.* 2 *tom.* 3 *pag.* 192 *ed. Luc.* Felicis ætate antiquiorem esse inquit, quam sententiam præ-

ceteris sequuntur Bollandistæ *act. SS. April. tom.* 1 *pag.* 25, et Tillemont *hist. eccl. tom.* 4 *pag.* 564 *ed Paris.* 1696.

(4) Leo IV *hom. ad presb. et diacon.*, apud Labb. *conc. t.* 8 *pag.* 55 *ed. Ven.;* Ratherius *orat. syn. ad presb. n.* 6 *col.* 414 *edit. Veronæ* 1765. Reliquiarum aut ex cruce pendentium, aut super altaribus impositarum antiqua monumenta habes etiam apud Martenium *de antiq. monach. rit. lib.* 3 *cap.* 14 §. 36 *cap.* 15 §. 3 *et lib.* 4 *cap.* 1 *tom.* 4 *pag.* 138, 141 *et* 178 *ed. cit.* In regula S. Bened. *cap.* 58 apud Holsten. *cod. Reg. tom.* 1 *pag.* 151 *edit. Aug. Vind.* 1759 memorantur reliquiæ in oratoriis monachorum.

(5) Dignus est, qui describatur, S. Gregor. Nyss. locus *Orat. de S. Theodor. pag.* 1012 *tom.* 2 *ed. cit.* « Nam ipsas attingere reliquias, inquit, si quando aliqua ejusmodi prospera fortuna contingat, ut id facere liceat, quam optabile sit et summis votis expeditum munus, norunt quicumque sunt experti, et hoc suo desiderio potiti sunt. Hi enim tamquam vivum suum corpus, et florens videntes osculantur, et ad oculos, ad os, ad aures, ad omnes sensus admovent. »

(6) S. Ambr. *ep.* 22 *ad Marcellin.* §. 9 *col.* 930 *tom.* 3 *ed. cit.;* Evagr. *hist. l.* 1 *cap.* 16 *pag.* 271 *ed. Cantabr.* 1720, S. Paulin. *ep.* 31 *ad Sever. col.* 189 *edit. Veron. cit.* Consule Jo. Ferrandum *Disquis. reliq. lib.* 1 *cap.* 3 *sect.* 2, et Dom. Georgium *de liturg. Rom. Pont. lib.* 3 *cap.* 9 *num.* 9 *et seq.*

(7) *Cap.* 1 *et* 2 *de reliq. et venerat. SS.*

TITULUS IX.

De Sepulturis.

I. Cœmeterium unde dictum?
II. Fidelium cadavera primum extra ecclesiam, postmodum in ecclesia sepulta.
III. Cœmeteria loca religiosa.
IV. Sepulturæ electio.
V. Sepultura gentilitia et parochialis.
VI. Jus parochi in deferendis cadaveribus ad sepulturam.
VII. Jura funeris.
VIII. Quarta funeraria.
IX. Quibus ecclesiastica sepultura denegetur?

§. I.

Loca sepeliendis christianorum cadaveribus destinata, jam inde ab antiquis ecclesiæ temporibus appellata sunt cœmeteria, quasi fidelium corpora jacerent in loco dormitionis, unde Christo adveniente excitarentur (1). Loca hæc initio erant extra mœnia civitatis, cum Romanæ Leges, quibus etiam christiani paruerunt (2), ubi nihil in iis inerat, quod eorum religioni adversaretur, neminem intra Urbem sepeliri permitterent (3).

(1) Apost. I *ad Thessal. IV v.* 12 « Nolumus, inquit, vos ignorare fratres de dormientibus. » quem in locum inquit Hier. *ep.* 75 *num.* 1 *tom.* 1 *col.* 448 *ed. cit.* « Unde et beatus apostolus vetat de dormientibus contristari, ut quos dormire novimus, suscitari posse credamus. »

(2) S. Jo. Chrys. *hom. de fide et lege nat. tom.* 1 *num.* 2 *pag.* 829 *hom.* 37 *al.* 38 *in Matth. num.* 5 *pag.* 424 *tom.* 7 *et expos. ps.* 5 *num.* 5 *pag.* 36 *t.* 5 *ed. Paris., L.* 6 *cod. Theod. de Sepulcr. violat.* Revera in Urbis suburbanis erant Romana cœmeteria, quæ circiter quadraginta tria numerat Baron. *ad an.* 226 *num.* 9 *t.* 2 *pag.* 474 *et* 475, eorumque nomina singillatim Panvinius describit *de Cœmeter. cap.* 12 *per tot.* Similiter extra civitatem erant Neapolitana cœmeteria, de quibus agunt Gilb.

Burnetus *ep.* 4; Mabillon. *Mus. Ital. t.* 1 *pag.* 14, et Mazoch. *in Kalend.* Consule Paul. Aringhum *Roma subterran. lib.* 1 *cap.* 1 *num.* 9.

(3) Jus hoc erat XII Tabularum, quod sæpe novis legibus confirmatum fuit ac traductum ad omnes civitates, primum constitutione Hadriani *L.* 3 §. *Divus ff. de Sepulc. violat.*, id est D. Pii, ut Capitolinus scribit, deinde ceterorum. Vide Paulum *recept. sentent. lib.* 1 *tit.* 21 *n.* 2, ibique Schulting. *in not.* 8 *et seq. Jurispr. vet. Ante-Justin. tom.* 1 *pag.* 261 *et seq. ed. Lipsiæ* 1737.

§. II. Lapsu temporum quorumdam cadavera intra civitatem, non tamen intra ecclesiam (1) humo tradi cœperunt. Eo privilegio potiti sunt imperatores et reges, qui, ut plurimum, in ecclesiæ atrio et porticibus sepeliebantur (2). Postea loca hæc patuerunt etiam populo universo (3); et interim illis una cum abbatibus ac viris pietate præstantibus, intra ecclesiam sepultura concessa est (4), quam pridem episcopi ante ceteros habuerunt (5). Denique omnibus in ecclesia permissus sepulturæ locus (6); quæ hodierna est, qua jamdudum utimur disciplina.

(1) Vide conc. Bracar. II *can.* 18 apud Labb. *tom.* 6 *col.* 522 *ed. Ven.*, et auctorem *vitæ S. Fulg.* apud Bolland. 1 *Jan. L.* 2 *cod. de eccles.* Atque hæc quidem erat consuetudo, quæ generatim obtinebat; non tamen desunt, uti paulo postea demonstrabo, hac etiam ætate exempla aliquorum, qui in ecclesia sepulturam habuerunt.

(2) Id de Constantino narrant Euseb. *vit. Constant. lib.* 4 *cap.* 71 *pag.* 668 *ed. Cantabr.*, et S. Joan. Chrys. *hom.* 26 *in* 2 *ad Cor. num.* 5 *tom.* 10 *pag.* 625 *ed. Paris.*, de Theodosio Seniore, Arcadio, ac Theodosio Juniore Nicephorus *lib.* 14 *c.* 58 *pag.* 581 *tom.* 2 *ed. Paris.* 1630.

(3) Conc. Nann. *can.* 6 *tom.* 7 *par.* 1 *col.* 358 *coll.* Harduini, et Mogunt. *can.* 52 *col.* 1016 *tom.* 4 *ejusd. coll.*, unde illa desumpta videtur regula, quæ est in capitular. Caroli M. *lib.* 1 *cap.* 15 apud Baluz. *tom.* 1 *col.* 493 *ed. Ven.*

(4) Clodoveum Francor. regem, qui vita functus est an. 511, in Basilica S. Petri sepultum fuisse testatur Greg. Turon. *hist. lib.* 2 *cap.* 43 *col.* 100 *ed. cit.* Evagr. autem *hist. lib.* 4 *cap.* 31

pag. 412 *tom.* 2 *ed. Cantabr.* 1720 narrat, a Justiniano imp. ædificatum fuisse templum SS. Apostolorum *in quo imperatores ac sacerdotes sepeliri mos est.* Vide etiam conc. Mogunt. ann. 813 *cit. can.* 52 *tom.* 9, et Triburiense anni 895 *can.* 17 apud Labb. *tom.* 11 *col.* 638 *ed. Ven.* Eodem honore etiam ecclesiarum conditores effecti sunt, quod demonstrat Sozom. *hist. lib.* 9 *c.* 2 *pag.* 366 *ed. Cantabr.*

(5) Ætate Ambrosii, hoc est IV sæculo, episcopos in ecclesia sepeliri solitos fuisse, constat ex ipso Ambr., qui Mediolani subtus altare sibi sepulturam paraverat, at eo illatis Gervasii et Protasii reliquiis, « Hunc, inquit, *ep.* 22 *num.* 13 *tom.* 3 *col.* 931 *ed. cit.*, ego locum prædestinaveram mihi . . . . sed cedo sacris victimis dexteram portionem. » Eamdem quinti sæculi fuisse disciplinam, ostendit Pulcheriæ Augustæ epistola ad S. Leonem M., quæ inter ipsius Pontificis epistolas exstat *post.* 59 *pag.* 244 *t.* 2 *ed. cit.*, unde constat Flaviani episcopi CP. corpus fuisse conditum in Basilica apostolorum, *in qua consueverant prædecessores episcopi sepeliri.* Similiter corpus S. Jo. Chrys., qui hæc vivens dixerat *orat.* « Quod Christus sit Deus *num.* 9 *pag.* 570 *tom.* 5 *ed. Paris.*, Constantinopoli reges nostri magnam gratiam putant, non si prope apostolos, sed si vel extra eorum vestibula corpora sua sepeliantur, fiantque piscatorum ostiarii reges, » Chrysostomi, inquam, mortui corpus CP. delatum atque in ecclesia SS. Apostolorum sepultum fuisse, scribit Socrat. *hist. lib.* 7 *cap.* 45 *pag.* 593 *edit. Cantabr.* Alia permulta ea de re monumenta collegit Martenius *de antiq. eccl. rit. lib.* 3 *cap.* 15 §. 11 *et seq. tom.* 2 *pag.* 372 *cit. ed.* Haud tamen desunt antiquissima etiam ætate exempla laicorum quorumdam pietate præstantium, qui in ecclesia sepulti sunt.

(6) Kepperus, hæreticus videlicet homo, *Polit. eccles. lib.* 1 *cap.* 15, ritum sepeliendi christianos in ecclesia superstitionis arguit, atque hanc consuetudinem ex monachorum et sacerdotum avaritia ac laicorum ambitione repetit. Eadem fere habent Bingham. *orig. eccl. lib.* 23 *cap.* 1 §. 9 *t.* 10 *cit. ed.*, et Espenius *Jus. eccl. univ. par.* 2 *tit.* 38 *c.* 2 §. 33 *et* 34. Fateor equidem, christianos olim extra sacras ædes sepeliri consuevisse; sed cum ea res tota sit disciplinæ, quæ ecclesiæ voluntate mutatur, non video, quamobrem ecclesia non potuerit decernere, ut fideles intra sacras ædes sepeliantur. Ceterum nova non est, nec antiquis ignota Patribus consuetudo sepeliendi in ecclesia fideles, eaque procul abest a superstitione ceterisque vitiis, quorum arguitur. Mitto tria priora ecclesiæ sæcula, in quibus christianis templorum loco erant cœmeteria, ibique suos agebant conventus et rem

divinam conficiebant. Scio, formidolosis illis temporibus christianos non quovis loco vellent rebus sacris atque divinis operam dare potuisse; sed certe si aliqua fuisset superstitio facere rem divinam precesque fundere, ubi mortuorum cadavera jacebant, alio potius quocunque loco, quam in cœmeteriis illud christiani præstitissent. Sed mitto hoc nascentis et undique vexatæ ecclesiæ tempus; quamquam hoc quidem gravissimum sit et omnem plane, quæ fingitur, superstitionis notam abstergat. Certe vix data ecclesiæ pace Constantinus, uti narrat Euseb. *in Vit. Constant. lib. 4 cap. 71 pag. 668 ed. cit.*, juxta apostolos sepeliri vehementer cupiebat, eaque de causa illorum nominibus appellatam Basilicam excitavit. An hoc desiderium pius Imperator præ se tulisset, si quid in ea superstitionis inesse putasset? Paulinus *Poem. 19 col. 475 edit. Veron. an. 1736* memorat cellulas et eas quidem intra Basilicam, *ep.* autem 32 *ad Sever. num. 12 col. 205* cubicula ecclesiæ, seu capellas, in quibus defunctorum corpora condebantur. Ambrosius, qui, ut mox narravi, sibi in ecclesia subtus altare sepulturam paraverat, Satyro fratri suo, licet laico, in ecclesia secus tumulum S. Victoris sepulcrum posuit. Eamdem Taurinensis ecclesiæ consuetudinem fuisse, testatur S. Maximus *hom. 81 col. 261 ed. Romæ 1784;* Africanæ autem S. Aug. *lib. 2 retract. cap. 64 col. 63 tom. 1 edit. cit.* Ita etiam Cæsarius, Gregorii Nazianz. frater, ac Paula in ecclesiis sepulturam habuerunt, quod ostendunt Greg. Nazianz. *orat. 10 pag. 167*, et Hier. *ep. 108 num. 29 col. 717 tom. 1 cit. edit.* Quibus adde exempla, quæ supra descripsi, episcoporum, regum, ceterorum, qui in ecclesia sepulti sunt et facile intelliges, nihil superstitiosum, nihil non religiosum urbana in ecclesia sepulcra, Patrum omnium judicio continere. Veram autem causam, propter quam inducta est consuetudo fideles in ecclesia sepeliendi, apertissime indicant S. Maximus et S. Augustinus, uterque *loc. mox cit.* Hic enim inquit: « Quod vero quisque apud memorias Martyrum sepelitur: hoc tantum mihi videtur prodesse defuncto, ut commendans eum etiam Martyrum patrocinio, effectus pro illo supplicationis augeatur. » Ille autem habet: « Ideo hoc a majoribus provisum est, ut Sanctorum ossibus nostra corpora sociemus . . . Cum sanctis ergo Martyribus quiescentes evadimus inferni tenebras. » Pium hoc desiderium patrocinii Sanctorum, quibus se fideles commendant, et quibus morientes suum quasi credunt corpus, ut studium ostendant, quo in eos feruntur, vera causa est, propter quam et olim sepelirentur, et nunc christiani in ecclesia sepeliantur; non autem superstitio, aut hominum ambitio, aut avaritia clericorum. Consule Murator. *diss. 17*

ad calc. opp. S. Paulini col. 858 *et seq. ed. Veron.* 1736, qui illos, quos indicavi, Paulini locos illustrat, ac de antiquis christianorum in ecclesia sepulturis copiose et accurate disputat.

§. III. Nunc quamquam christianis omnibus in ecclesia sepultura permittatur, tamen in multis locis cœmeteria sunt, in quibus mortuorum corpora humo teguntur (1). Sunt autem cœmeteria loca religiosa, solemni episcopi benedictione (2), humandis fidelium cadaveribus addicta, eaque prope ipsas ecclesias sita esse solent. Ubi nulla sunt cœmeteria ab ecclesiis distincta, christiani in ipsis ecclesiis sepeliuntur, nefas autem est eorum aliquem in loco profano sepulturam habere (3).

(1) « Ubi viget antiqua consuetudo, inquit rituale Rom. editum jussu Pauli V *tit. de Exequiis*, sepeliendi mortuos in cœmeterio, retineatur et ubi fieri potest, restituatur. » Vide etiam conc. Mediol. I *par.* 2 *cap.* 61.

(2) Benedictio cœmetérii jam vigebat ætate S. Greg. Turon., uti patet *ex lib. de Glor. Confess. c.* 106 *col.* 986 *ed. cit.* Benedictionis ritus descriptos ex antiquis libris ritualibus habet Martenius *de antiq. eccl. rit. l.* 2 *c.* 20 *t.* 2 *p.* 294 *et seq. ed. cit.*

(3) *Cap.* 3 *de Sepultur.* ibique Gonzalez.

§. IV. Integrum cuique est sibi ecclesiam eligere, in qua ejus cadaver sepeliatur; modo ecclesia sepeliendi jus habeat. Quo jure gaudent ecclesiæ cathedrales ac parochiales, quæque illud consuetudine, aut privilegio adeptæ sunt (1). Quare etiam uxor, invito marito, et filius pubes, quamquam sit in patris potestate, liberam sepulturæ optionem habent (2). Sed filio impuberi, ob inopiam consilii, pater eligit sepulturam, si id loci consuetudo patiatur (3); secus enim aut in sepulcro majorum, aut in parochiali ecclesia conditur (4). Similiter neque regularibus, qui suo carent arbitrio, sibi eligere sepulturam licet; nisi procul a suis monasteriis decedant, ita ut ad ea transferri commode nequeant (5).

(1) In *Clem.* 2 *de Sepult.* Dominicanis et Franciscanis conceditur sepeliendi privilegium in eorum ecclesiis, quod privilegium aliis quoque regularibus concessum fuisse, observat Pirhing *Jus. can. lib.* 3 *tit.* 28 *num.* 39.

(2) *Cap.* 3 *et* 4 *de Sepult. in* 6.

(3) *Can.* 7 *de Sepult.*

(4) *Can.* 4 *eod. in* 6.

(5) *Cap. ult. de Sepult. in* 6.

§. V. Si quis sibi sepulturam non eligit, eam habet in sepulcro majorum, vel si eo careat, in ecclesia parochiali (1). Mulieres autem si non elegerint sepulturam, cum viris suis sepeliendæ sunt (2), et si plures habuere viros, cum eo sepeliuntur, cui postremo nupserunt (3). Monachi etiam et regulares humantur in ecclesia vel cœmeterio sui monasterii, quod ipsis parochiæ loco est (4); et similiter canonici, ac beneficiati in ecclesia sui capituli, vel beneficii sepeliuntur. Cadaver, quod contra interdictum extra propriam ecclesiam humo traditum fuit, si petatur, effodiendum est ac propriæ ecclesiæ restituendum (5).

(1) *Can.* 2 *cap.* 13 *q.* 2, *cap.* 1 *et* 3 *de Sepult. in* 6.

(2) *Can.* 2 *et* 3 *cap.* 13 *quæst.* 2.

(3) *Can.* 3 *cit., c.* 3 *de Sepult. in* 6.

(4) *Cap. ult. eod. in* 6.

(5) *Cap.* 5 *de Sepult.* Neque cadaver solum, sed etiam funeris emolumenta propriæ ecclesiæ restituenda sunt. Id autem locum habet sive alienæ parœciæ hominem quis in sua ecclesia sepeliverit, sive etiam hominem parœciæ suæ, qui sibi in alia ecclesia sepulturam elegit. Videsis Giraldum *expos. Jur. Pont. par.* 1 *lib.* 3 *decret. sect.* 487 *pag.* 319.

§. VI. Cum cadaver extra parœciam sepelitur, antequam domo educatur, a parocho benedicendum est, eoque comite ad sepulcrum deferendum. Hæc quidem consuetudo est, quæ ubique in Italia viget; sed in ultramontanis quibusdam regionibus exequiæ in parœcia celebrantur, quod jus decretalium est (1).

(1) Confer interpretes ad *cap.* 9 *de Sepultur.*

§. VII. Vetus est disciplina, per quam oblationes pro mortuis fiunt (1), easque ecclesia recipiebat, si christiani in ejus communione decessissent. Hujusmodi oblationes initio ex sola fidelium voluntate procedebant; sed postea conversæ sunt in laudabiles consuetudines; et nunc hæredes cogi possunt ad præstandas oblationes, quæ populorum moribus receptæ sunt (2). Atque hæc sunt jura, quæ *funeraria* dicuntur quæque ob curam animarum parocho debentur.

(1) Oblationes, quæ pro defunctis fiunt, memorat Tertull. *de exhort. castit. cap.* 11, *et de monogam. cap.* 10 *pag.* 523 *et* 531 *ed. Venet.* 1744, *et de Coron. cap.* 3 *pag.* 102 laudat *oblationes pro defunctis*, et alia quæ in ecclesia observabantur, postremo dicit hæc: « Harum et aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expostules scripturarum, nullam invenies. Traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix et fides observatrix. » Videndi sunt etiam S. Cyrill. Hierosol. *catech.* 23 *mystag.* 5 *n.* 9 *seq. pag.* 328 *ed. Paris.* 1720; S. Epiph. *expos. fid. cathol. num.* 25 *tom.* 1 *pag.* 1106 *ed. Colon.* 1682; S. Joan. Chrys. *hom.* 21 *in act. apost. num.* 4 *tom.* 9 *pag.* 175, *et hom.* 41 *in ep.* 1 *ad Cor. n.* 4 *seq. p.* 592 *seq. tom.* 10 *ed. Montfauc.*; S. Aug. *Serm.* 172 *de verb. apost. cap.* 2 *num.* 3 *tom.* 7 *col.* 828, *de Cur. geren. pro mort. cap.* 18 *col.* 1875 *tom.* 8, *in Enchirid. de fide, spe et char. cap.* 110 *col.* 620 *tom.* 11 *ed. Ven.* 1756; S. Ambr. *ep.* 39 *n.* 4 *tom.* 3 *col.* 1014 *ed. Ven.* 1751; ceteri demum Patres, quos collegit Leo Allatius *de utriusq. eccl. occid. atque orient. perpet. in dogmat. de Purgat. consens. pag.* 43 *et seq. et pag.* 336 *seq. ed. Rom.* 1655.

(2) *Cap.* 42 *de Simon.*

§. VIII. Quod si aliquis extra ecclesiam parochialem tumulo mandetur, ex iis rebus, quæ ad aliam ecclesiam funeris causa delata sunt, pars aliqua detrahitur, quæ dicitur *quarta funeraria* seu *canonica*, et parœciæ tribuitur. Nam justum visum est aliquid ex iis rebus dare ecclesiæ parochiali, quæ defuncto curam spiritualem impendit (1). Hæc autem portio non eadem ubique est, sed alibi quarta, alibi tertia, alibi major aut minor pro gentium moribus (2);

verum, quantacunque sit, semper *quarta* appellatur, atque ex consuetudine pactisque conventis noscitur, quibus ex rebus detrahenda sit. Generatim tamen non detrahitur ex donationibus inter vivos, neque ex legatis missarum et anniversariorum, atque ex ceteris, quæ pia relicta dicuntur (3).

(1) *Cap.* 1 *de Sepultur.* Plures sunt Roman. Pontificum constitutiones, per quas regulares, quorum in ecclesiis fidelium cadavera sepeliuntur, ab hujus quartæ solutione liberantur; cunctasque memorat Gaudentius a Janua *de visit. Prælat. regul. tom.* 2 *cap.* 7 *dub.* 20 *sect.* 3 *num.* 35 §. 1. Sed conc. Trid. *sess.* 25 *c.* 13 *de reform.* sancivit, ut ii regulares, qui annis ante ipsum concilium quadraginta quartam solvere consueverant, eam etiam in posterum solvere deberent, ceteri, qui ante hoc tempus nunquam solverunt, eodem onere non tenerentur; hoc decretum synodi Trid. declararunt S. Pius V *const. Etsi mendicantium* 58 *bullar. tom.* 4 *par.* 2 *p.* 373; Greg. XIII *const. In tanta* 15 *p.* 271 *tom.* 4 *par.* 3; Paulus V *const. Decent* 6 *pag.* 150 *tom.* 5 *par.* 3. Denique Ben. XIII *const. Roman.* 51 *pag.* 394 *tom.* 1 omnia sustulit privilegia post *Clement. dudum de Sepultur.*, et post concilium Trid. concessa regularibus, qui sunt in Italia atque in insulis ad eam pertinentibus, de non solvenda quarta parochiæ defunctorum, qui in eorum ecclesiis sepeliuntur. Hodie igitur hac lege Ben. XIII reguntur monasteria regularium in Italia atque in finitimis insulis; ceteri regulares, qui extra has regiones commorantur, Tridentinæ, quam memoravi, legi subjiciuntur.

(2) *Cap.* 9 *eod.* (3) *C.* 10 *eod.*, *c. ult. de Testam.* Confer S. Pium V *const. Etsi mendic.*, et Ben. XIII *const. Romanus.*

§. IX. Ecclesiastica sepultura pars est christianæ communionis, quæ etiam post mortem manet; ideoque ab illa repelluntur, qui viventes ea communione carebant, atque ab ecclesia sejuncti ex hac vita mimigrarunt (1). Quamobrem ecclesiastica sepultura privantur judæi, ethnici, infideles omnes, atque etiam infantes mortui sine baptismo (2), apostatæ, hæretici, schismatici manifesti (3); nominatim interdicti (4); excommunicati vitandi, qui nimirum palam in cleri-

cum violentas manus injecerunt, et quos Judex ecclesiasticus nominatim excommunicatos declaravit (5); qui sibi mortem consciverunt, nisi eos furore actos id egisse constet (6); qui in singulari certamine (7), aut in torneamentis, quæ mortis periculum habent (8), interfecti sunt, qui in paschate pœnitentiæ et Eucharistiæ sacramentum voluntarie omiserunt (9); usurarii manifesti (10); monachi mortui cum peculio (11); fures et latrones in crimine deprehensi et occisi (12); raptores ecclesiarum qui non satisfecerint (13); denique omnes publici peccatores, qui sine pœnitentia decesserint (14). Quod si horum aliquis in loco sacro sepulturam habuerit, ejus cadaver, modo internosci possit, e sepulcro educendum est atque in loco profano collocandum (15).

(1) *Cap.* 12 *de Sepultur.*

(2) *Can.* 27 *et* 28 *de Consecr. dist.* 1; Rituale Rom. *tit. de Exeq. rubr. Quib. non lic. dare eccl. sepult.*

(3) *Caus.* 24 *qu.* 1 *per tot.*

(4) *Cap.* 10 *de Sepult.; cap.* 17 *de Verb. signific.; cap.* 20 *de Senten. excom. in* 6; *Clemen.* 1 *de Sepult.*

(5) Excommunicati vitandi, secundum celebre decretum Martini V editum in conc. Constant., ii tantum habentur, quos Judex ecclesiasticus palam excommunicatos pronuntiavit, atque eos uti tales speciatim et expresse declaravit. Eodem e genere sunt, quos ob manus in clericum injectas ita certum atque exploratum omnibus est incidisse in sententiam latam a *can. Si quis suadente diabolo*, ut eorum factum neque celari, neque excusari aliqua ratione possit. Quibus Ben. XIV *in const. Detestabilem* 6 §. 9 *tom.* 4 *bullar. pag.* 22 *ed. cit.* addidit decedentes in certamine singulari, vel etiam procul a loco certaminis, sed ex eo tamen accepto vulnere, quamquam vitandi declarati non fuerint. Hi omnes tamquam excommunicati vitandi nunc ab ecclesiastica sepultura excluduntur.

(6) *Can.* 11 *et* 12 *cap.* 23 *qu.* 5.

(7) Conc. Trid. *sess.* 25 *cap.* 19 *de reform.* Vide etiam *cit. const. Detestabilem* Ben. XIV.

(8) *Cap.* 1 *et* 2 *de Torneam.;* Greg. XIII *const. Ad tollen-*

dum 140 *bullar. tom.* 4 *par.* 4 *pag.* 19 et Clem. VIII *const. Illius vices* 30 *tom.* 5 *par.* 1 *p.* 385 *cit. bullar. ed. Rom. ult.*
(9) *Cap.* 12 *de Pœn. et remiss.*
(10) *C.* 3 *de Usur., c.* 2 *eod. in* 6.
(11) *C.* 2 *et* 6 *de Stat. mon.*
(12) *Cap.* 2 *de Furtis.* (13) *Cap.* 2 *et* 5 *de Raptor.*
(14) *Can.* 16 *c.* 15 *q.* 2. (15) *Cap.* 12 *de Sepult.*

TITULUS X.

De Monasteriis.

I. Monasterium quid?
II. Quid in novo erigendo monasterio observandum?
III. Exemptio monasteriorum.

§. I.

Monasterium proprie significat locum in quo solitarii vitam agunt, et vero monasteria initio erant domicilia eorum, qui e civitate in solitudines discedebant. Sed postea visum est in urbes vocare monachos, ut christianam religionem tuerentur et amplificarent (1); lapsu autem temporum multi regulares in mediis urbibus initio sunt instituti, ut in procuranda salute animarum clericis opem ferrent. Hodie igitur monasteria dicuntur omnia loca, in quibus plures habitant, qui certa obstricti regula communem vitam ducunt; et qui pro diversa sui instituti ratione monachi, mendicantes, canonici regulares, clerici regulares appellantur.

(1) S. Basilium monasteria in urbe constituisse, ut monachi contra arianos catholicam fidem tuerentur, narrat Socrat. *hist. ib.* 4 *cap.* 247 *ed. Cantabr.* Cum vero monachi in civitates de-

ducti sunt, ut subsidio essent clericis, novum hoc officium, quod suscipere debebant, eos deserere coegit laborem manuum, quo pridem vitam transigebant, cum omnibus soluti curis in solitudine versabantur. Non enim se amplius poterant in hoc labore exercere, qui suam in totius christiani populi utilitate operam collocare debebant. Accedit quod priscis monachis, quibus nulli erant ad vitam agendam reditus, necessarius erat manuum labor, ut per eum sibi ad vitam necessaria compararent. Sed cum suam pro christiano populo operam impendere cœperunt, æquum profecto et omni juri consentaneum fuit, ut necessaria acciperent ab iis, quibus sua erat addicta opera et occupatio. Hi dederunt, uti par erat, hujus operæ remunerandæ causa bona, cum quibus monachi vitam traducerent; et ita sua sponte desiit manuum labor, cui non amplius monachi aliis distenti curis vacare poterant, et quem vitæ necessitas non amplius postulabat. Tunc autem illi sese dederunt studiis atque laboribus, qui in rei christianæ publicæ utilitatem redundarent, quique non solum ad religionis officia, sed etiam ad studia litterarum pertinerent. Quanta autem ad nos delata sint bona ex his monachorum curis atque laboribus, ignorat nemo, idque, ut ceteros mittam, demonstrat Mabillonii opus *de studiis monasticis*, demonstrant præclara opera Maurinorum aliorumque complurium, quorum studiis atque occupatione magna omnibus utilitas allata. Neque vero illa, in qua nunc monachi versantur, occupatio eorum instituti sanctitati adversatur, quod ipse fatetur Eybel. *Introd. in jus eccles. tom. 4 lib. 2 cap. 11 §. 335 not. 1*; nec certe aliquis reprehendat monachos, quod pro commodo atque utilitate christianæ reipublicæ operam terunt. Consule F. G. Ziebrecht *cap. 4 §. 36 seq.*, qui peculiari libro Bassani edito an. 1783 refutavit Rautenstrauchium, qui opere, cui titulus *Septem capita de religiosis*, monachos ad priscum vitæ institutum manuumque laborem revocare vellet. Ceterum falsum est, quod omnes monachi initio manuum labore sibi victum quærerent, cum monachorum, qui piis operibus et studiis vacarent litterarum, multa sint exempla apud Athanas. *ep. ad Dracont. tom. 1 pag. 207 ed. Patav. 1777*, et Sozom. *hist. eccl. lib. 6 cap. 28 et 29 pag. 256 seq. cap. 30, 31, 32 pag. 241 et seq. edit. Taurin. 1747*, et concil. Constant. propositionem 24 Wiclefi ajentis: « Fratres tenentur per labores manuum victum acquirere, et non per mendicitatem, » damnavit in prima parte « tamquam scandalosam et præsumptuose assertam, pro quanto sic generaliter et indistincte loquitur, » in altera « tamquam erroneam, pro quanto asserit, mendicitatem fratribus non licere, » *tom. 16 conc.* Labbei *col. 757*

ed. Venet. Videsis Mamachium *del diritto libero etc., par. 1 tom. 1 cap. 2 pag.* 526, 527, 570. Atque id quidem pertinet ad antiquos monachos, qui initio ea lege instituti sunt, ut in solitudine vitam agerent ac manuum labori vacarent. Nam ineptum esset, contraque instituti legem ad solitudinem ac manuum laborem vocare ceteros regulares, quos recentiori ætate pii homines longe aliis regulis instituerunt, et quos in mediis civitatibus versari voluerunt, ut christianis auxilio sint. Visum est hæc monere et edicere, ut satisfactum sit scriptoribus annal. eccles. Florentiæ, qui mihi sententiam adscribunt, a quo longe absum; nimirum quod harum Instit. *lib. 1 tit. 1 §. 9 not.* 5, clerico licere dixi labore manuum suarum et honesto artificio sibi victum comparare, ita hanc meam sententiam interpretati sunt, quasi illis videar assentiri, qui monachos revocari vellent ad manuum laborem, in quo sese olim solitariam agentes vitam exercebant. Sed omnes facile intelligunt, quam longe alia ac diversa sit sententia ajentis, quod liceat clerico labore manuum suarum et honesto artificio sibi victum comparare ac sententia illorum, qui falso putant monachos ad hunc laborem omnino esse cogendos. Hæc adversus annalium scriptores monenda esse duxi, ut omnes intelligant, quam valde dissentiam ab iis opinionibus, quibus ipsi, contra omnem recti verique speciem, assentiuntur. De ceteris, quorum causa me reprehendendum putarunt, non laboro; quoniam mihi non molestum, sed gloriosum est, a quibusdam reprehendi, quod omnibus comperta esse volo jura certissima summi Pontificis, quem Christus Dominus non solum honore ac dignitate, sed etiam imperio et jurisdictione præesse voluit ecclesiæ universæ.

§. II. Novum monasterium sine venia episcopi ac sedis Apostolicæ excitari non potest (1). In primis autem cavendum est, ne novum opus in grave aliorum detrimentum redundet. Quare episcopus veniam non concedit, nisi primum vocaverit atque audiverit præfectos, vel procuratores antiquorum monasteriorum, quæ sunt in locis circum positis per quatuor millia passuum, atque etiam parochum, intra cujus parœciæ fines novum monasterium erigitur (2). Præterea nullum extruitur novi monasterii ædificium, nisi in eo duodecim saltem monachi, seu religiosi habitare, atque ex reditibus et consuetis fidelium

eleemosynis sustentari possint (3). Denique monialium monasteria non nisi in urbibus sita esse debent, ne obnoxia sint prædæ ac ceteris pravorum hominum cupiditatibus (4).

(1) Nova monasteria sine episcopi consensu ædificari non posse, statuit Conc. Trid. *sess.* 25 *c.* 3 *de regul.* Tridentinam hanc legem explicarunt Clem. VIII *const. Quoniam ad institutam bull. tom.* 5 *par.* 3 *pag.* 14, et Greg. XV *const. Cum alias* 70 *tom.* 5 *par.* 5 *pag.* 47. Verum cum Trid. synodus ac Romani Pontifices, episcopi veniam postulant, ut novum monasterium erigatur, nihil detrahunt de antiquo jure, quod etiam sedis Apost. veniam requirit in *cap. unic.* §. *Confirmatos de relig. domib. in* 6 *et in cap. unic. de Exces. prælat. in* 6, qua de re edita est ab Innoc. X. Const. *Instaurandæ* 157 *bull. t.* 6 *par.* 3 *p.* 233, qua sancitum est, ut sine venia sedis apost. novum monasterium excitari nequeat, atque ut primum Congr. episc. et regular. diligenter videat, num præsto sint omnia, quæ requiruntur, ut rite monasterium ædificetur. Quæ constitutio quamquam ad Italiam atque ad ejus insulas pertineat, tamen etiam extra Italiam ubique servatur. Quare in novo monasterio erigendo et episcopi et sedis Apost. venia necessaria est. Confer Ben. XIV *de syn. diœc. lib.* 9 *c.* 1 *num.* 9.

(2) Clem. VIII *cit. const. Quoniam*, et Greg. XV *cit. const. Cum alias bullar. ed. Rom. ult.* (3) Vide Greg. XV *loc. cit.*

(4) Conc. Trid. *sess.* 25 *de regul. cap.* 5.

§. III. Regularium monasteria de episcopi potestate subtracta, sive exempta, et uni Pontifici subjecta sunt. Quæ exemptio antiquissima in ecclesia est (1), eaque repetitur ex amplissima potestate, per quam summus Pontifex certos episcopo subditos adimere potest, eosque vel aliis, vel sibimet uni subjicere. Etiam patriarchæ orientales in sui Exarchatus monasteria amplissimum habebant imperium (2), et nunc etiam apud ipsos viget *jus stauropegii* et id, quidem non fraude ac violenter arreptum, sed antiquissima consuetudine acquisitum (3), quod in eo positum est, ut in monasterii fundatione patriarcha, si velit, crucem figat, eoque actu novum monasterium ab episcopi ju-

risdictione subtrahat sibique uni obnoxium faciat (4). An quod licet orientalibus patriarchis, multo magis non licebit summo Pontifici, qui non tantum habet jura patriarchatus in toto Occidente, sed etiam divinitus constitutus est princeps, caput, gubernator omnium Christi ecclesiarum? Verum etiam in monasteria exempta interdum episcopus jurisdictionem exercet, qua de re copiose egimus libro superiori. Id unum nunc monemus, episcopo subjecta esse monasteria, in quibus duodecim religiosi non habitant (5).

(1) Confer ea, quæ dicta sunt *L.* 1 *tit.* 9 §. 12 *not.* 6.

(2) Consule Thomass. *loc. cit. lib.* 1 *c.* 9 *n.* 15 *et c.* 16 *n.* 1.

(3) Vide Christ. Lupum *diss. de S. Leonis IX act. cap.* 16 *tom.* 4 *pag.* 437 *edit. Ven.* 1725.

(4) Confer Bened. XIV *const. Inter plures* 98 §. 19 *tom.* 1 *bullar. pag.* 214 *edit. cit.* Imo non patriarcharum modo, sed etiam metropolitarum, qui certos ex episcopi jurisdictione subditos subtraxerunt, atque eos sibi tantum subjectos voluerunt, in ecclesiasticis monumentis luculentissima exempla sunt. Ecce sæc. V primates Carthaginenses quædam sibi monasteria subjecerunt, eaque a suorum episcoporum jurisdictione exemerunt. Confer conc. Carthag. an. 525, in quo veneranda Patrum constituta de Jure primatis Carthag. memorantur *tom.* 2 *col.* 1071 *seq. coll.* Hard., et confer etiam Mabillon. *annal. Bened. ad an.* 525 *num.* 13 *seq. num.* 1 *pag.* 38 *seq. edit. Lucæ* 1739. Cumque Liberatus, primæ sedis Byzacenæ episcopus, monasterium in sua diœcesi positum sibi subjicere tentasset, S. Bonifacius primas Carthag., coacta synodo graviter conquestus est, quod idem Liberatus, « Capta injustissimæ querelæ occasione, privilegia sanctæ Carthaginensis ecclesiæ subtrahere molirctur. » Episcoporum autem, qui ad synodum convenerant, una fuit sententia et vox una, integra esse oportere jura primæ sedis Africanæ, ab se autem illi *exhiberi quod antiquitas ejus prædecessoribus detulisset.* Conc. Carthag. mox laudatum *cap.* 1084 *seq. loc. indic.* Vide etiam concilium habitum sub Reparato Carthag. an. 534, quod memorat ipse Mabillon. *loc. cit. num.* 18 *p.* 40, et quo sancitum est, ut firma immotaque essent, quæ sub S. Bonifacio in universali concilio gesta fuerant, Mabillon. *ibid. n.* 19. Quid? cum Carthaginensis episc. Jure primatus, quem in Africa habebat alienos subditos ordinabat, nonne eos subtrahebat ex

suorum episcoporum jurisdictione eosque sibi submittebat? Atque in concilio Africano, Aurelius Carthaginensis episcopus quæri voluit, num sibi propter *sollicitudinem*, quam gerebat *cunctarum* in Africa *ecclesiarum*, alienos subditos, etiam proprio episcopo invito, ordinare liceret? Nemo autem ex episcopis, qui aderant, fuit, qui non id suo jure Carthaginensi episcopo licere fateretur, etiamsi illi subjectus episcopus *unum tantum haberet presbyterum*, quique non agnosceret, hanc semper fuisse superioris ætatis legem et consuetudinem. Consule concil. African. *cap.* 22 apud Pithœum *cod. canon. eccl. Rom. pag.* 148 *edit. Paris. cit.* Quod licuit Carthagin. episcopo, quem tantum Jus eccl. Africæ primatem fecerat, nonne magis licebit summo Pontifici, quem Christus ipse totius ecclesiæ primatem constituit?

(5) Innoc. X *const. Instaurandæ* 157 *et decret. Ut in parvis bullar. tom.* 6 *par.* 2 *pag.* 233 *et* 270, e medio sustulit et extinxit parva virorum monasteria, in quibus sex saltem religiosi non erant, et si quæ adhuc exstarent hujusmodi monasteria, episcopo, tamquam sedes Apost. delegato, subjecta esse voluit. Innoc. autem XII apud Girald. *expos. Jur. Pont. par.* 2 *sect.* 156 *p.* 1028, episcopo subjecit monasteria, in quibus duodecim religiosi non habitant. Innocentii XII constitutio comprehendit etiam conventus, seu domus regulares, quæ a præcipuo aliquo monasterio pendent, quæque Granciæ latiori significatione appellantur, quod illi conjunctæ sunt, atque ejus veluti prædia seu membra habentur. Nam Granciæ proprie sunt domus rurales, seu prædia rustica, quæ ad monasterium pertinent, et in quibus non monachi, sed tantum conversi pro colendis agris commorantur. Atque hæ Granciæ neque ecclesiam habent, neque publicum oratorium episcopi auctoritate coustitutum, et loca non sacra aut religiosa, sed temporalia ac profana sunt. Videndi sunt Fagnan. *in discept. de Granciis post. tit. de Censib. exact.*, et Giraldus *expos. Jur. Pont. par.* 1 *lib.* 39 *tit.* 3 *pag.* 409 *et seq.*

TITULUS XII.

De Seminariis Clericorum.

I et II. Seminariorum ortus et progressus.
III. Qui in seminario recipiendi et quibus studiis hi dare operam debeant?
IV et V. Seminarii deputatorum electio et officium.

§. I.

Nihil est, quod magis pertineat ad publicam utilitatem, quam quod optime regantur juvenes, atque ad omnem sapientiam instituantur. Recte igitur atque sapienter majores nostri, ab antiquissimis usque temporibus, episcopalia seminaria instituenda curarunt, in quibus, sub episcopi cura et gubernatione, educarentur atque in spem cleri alerentur adolescentes, qui, optimis imbuti moribus doctrinisque eruditi, inter clericos cooptari sacrisque initiari ordinibus possent. Sunt qui episcopalium seminariorum vestigia deprehendisse se putant in synodo Nicæna (1); sunt qui primam eorum originem ab Augustino repeti posse arbitrantur. (2). Illud compertum exploratumque est, sexto sæculo constitutas jam fuisse communes domus, hoc est seminaria, in quibus clerici communem vitam traducerent atque ad omne clericalis officii munus instruerentur (3).

(1) Si certa esset fides Nicænorum canonum quos, ex arabico in latinum sermonem conversos, primum Fr. Turrianus, deinde Abr. Ecchellensis evulgarunt, merito statui posset, in conc. Nicæno non obscura exstare vestigia hujusmodi seminariorum. Nam *in can.*, qui apud Turrian. est 55, apud Ecchell. 59 *tom.* 2 *conc.*

Labbei *col.* 317 *et* 341 *ed. Ven.* jubentur chorepiscopi « Instituere ministros eosque distribuere per ecclesias et monasteria; et providere, ut discant, ut reddantur apti et idonei ad ædificationem monasteriorum et ecclesiarum, et aliorum locorum quæ horum opera indigebunt. » Quæ quidem verba considerans notarum auctor scribit hæc: « Cernitur in hoc canone ratio quædam seminarii ministrorum ecclesiæ, seu vestigium quoddam seminariorum, quæ nuper, secundum decretum conc. Trid., instituta sunt. » Verum hujus canonis nulla certa fides, quoniam non pertinet ad illos viginti canones, quos revera a Nicæna syn. editos fuisse, inter omnes constat.

(2) S. Aug., uti ipse testatur præsertim *Serm.* 355 *t.* 7 *par.* 2 *col.* 1379 *edit. Venet.* 1763, in episcopali domo monasterium habuit clericorum. In eo clerici communem agebant vitam, atque ita episcopus de illorum indole, moribus, vocatione et progressu certior fiebat, neque aliquem ordinabat Aug., « Nisi qui mecum, inquit *loc. cit. num.* 6 *col.* 1383, vellet manere; ut si vellet discedere a proposito, recte illi tollerem clericatum, quia desereret sanctæ societatis promissum cœptumque consortium. » Hoc certe monasterium clericorum veluti seminarium erat; verum hi clerici suis sese bonis abdicare, neque proprium aliquid habere debebant. Benvenutus in *vit. S. Aug. lib.* 3 *cap.* 2 *num.* 7, late agit de universa ratione, quam ipse Aug. servabat in iis instituendis, quibus erant ecclesiastica officia committenda. Videsis Thomass. *vet. et nov. eccl. disc. par.* 1 *lib.* 3 *cap.* 2 *seq.*

(3) Conc. Tolet. II an. 531 *c.* 1 *t.* 5 *conc.* Labb. *col.* 77, et Tolet. IV an. 633 *cap.* 24 *tom.* 6 *col.* 1459. Conc. autem Vasense III anno 529 *cap.* 1 *col.* 821 *tom.* 5 *cit.* non unum tantum in unaquaque diœcesi, sed in cujusvis parochi domo clericorum seminarium esse jubet, idque in totius Italiæ moribus positum esse confirmat. De seminariis episcopalibus copiose agit Jo. de Joanne *hist. semin. cleric.*, quo quidem opere horum ortum et progressum late explicatum habes.

§. II. Labentibus annis negligi cœperunt episcopalia clericorum seminaria, quia forte satius visum est episcopis, clericos ire ad scholas monachorum et academiarum, quæ ea tempestate auctæ propagatæque sunt (1). Sed cum deinceps in academiis tantum scholarum pompa et studia litterarum in pretio haberentur, pietas autem pene oppressa languesceret, neque

amplius inter episcopos et regulares vigeret arcta illa, quæ antea fuerat, conjunctio animorum, de episcopalibus seminariis restituendis actum est. Reginaldus Polus card. cum de instaurando emendandoque anglicano clero cogitaret, animum etiam adjecit ad juvenes, qui instituerentur in seminariis, quorum regimen rationemque proposuit (2). Sed rem omnem absolvit synodus Trid., lata lege, qua episcopi jussi sunt prope ecclesiam cathedralem, aliove idoneo loco collegium, aut seminarium instituere, in quo clerici ad studia litterarum atque ad rem ecclesiasticam instruantur (3).

(1) Monachi scholas ubique habebant, in quibus pueri erudiebantur; verum aliæ erant scholæ *exteriores* et *canonicæ*, quæ parebant clericis sæcularibus, aliæ *interiores* seu *claustrales*, in quibus monachi et pueri monasterio oblati versabantur. In his sæcularibus clericis nullus erat locus. Videndus Mabillon. *act. SS. ordin. S. Bened. præf. ad sæc. III* §. 4 *num.* 40 *pag.* 16 *ed. Ven.* 1734.

(2) Reformationis capita a card. Polo proposita exstant apud Hard. *conc. tom.* 10 *col.* 408, seminarii autem forma describitur *Decr.* 11.

(3) Conc. Trid. *sess.* 23 *de ref. c.* 18. Videndi sunt etiam Ben. XIII *Const. Creditæ nobis* 67 *pag.* 409 *tom.* 11 *bullar. ult. ed.;* Ben. XIV *const. Ubi primum* 2 §. 2 *tom.* 1 *bullar. p.* 5 *edit. Rom. seu Ven.* 1754, *et Inst. eccl.* 59, et S. Carolus Borr. *conc. Prov. I act. eccles. Mediol. par.* 1 *tom.* 1 *pag.* 11 *ed. Patav.* 1744. Secundum Trid. concilii legem Pius IV clericorum seminaria Romæ aliisque in urbibus excitanda curavit, uti narrat Raynaldus *ad an.* 1564 *num.* 53 *tom.* 15 *pag.* 427 *ed. Lucæ.*

§. III. Itaque omnes episcopi habere debent seminarium, in quo recipiantur, qui ad minimum duodecim annos, et ex legitimo matrimonio nati sint, ac legere et scribere noverint, et quorum indoles atque voluntas spem afferat, eos perpetuo ecclesiasticis ministeriis addictos fore (1). Qui juvenes in seminario

addiscere debent grammaticam, cantum gregorianum, computum ecclesiasticum, theologiam, aliarumque bonarum artium disciplinam, sacros ritus, cæremonias, cetera, quæ ecclesiasticos viros callere oportet (2). Nam hoc seminarium locus esse debet, unde diœcesis accipiat sacros ministros quibus opus habet; et recte in pluribus diœcesibus, seu lege, seu consuetudine receptum est, ut nemo sacris initietur ordinibus, nisi vel plures annos, vel saltem definitum temporis spatium in seminario traduxerit (3).

(1) Concil. Trident. *loc. cit.*
(2) Ben. XIII *cit. Const. Creditæ* §. *Postremo.*
(3) Consule conc. Rom. *tit.* 30 *cap.* 2; Ben. XIV *de synod. diœc. lib.* 11 *cap.* 2 *n.* 11; Jo. de Joanne *hist. semin. cleric. cap.* 6 *num.* 15 *et seq.*

§. IV. Seminarii administrandi beneque gerendi onus omne est episcopo impositum, quod ipse sustinere tuerique diligentissime debet (1). Sed ut res gravissima diligentiori gubernatione regatur, episcopus eligere debet canonicos duos, quorum consilio in iis utatur, quæ ad juvenum ejusdem seminarii institutionem, disciplinam moresque pertinent. Duo item sumendi sunt e capitulo, quorum alterum episcopus, alterum capitulum ipsum eligit, ac duo item e clero civitatis, et horum alter similiter ab episcopo, alter a clero constituitur. Horum est adhibendum consilium in iis, quæ temporalium rerum administrationem ac rectam seminarii procurationem respiciunt.

(1) Videndus S. Car. Borr. *conc. Prov. V act. eccl. Mediol. par.* 1 *pag.* 220 *tom.* 1 *ed. Patav.* 1754.

§. V. Itaque his consultoribus uti debet episcopus, cum gestæ administrationis rationem postulat, quæ a seminarii administratoribus unoquoque anno reddenda est (1); et cum seminarii egestati consulturus, legem

modumque constituit solutionis, quæ ex reditibus mensæ episcopalis et capituli, atque omnium, quæ in diœcesi sunt, beneficiorum, seminario quotannis tribuenda est (2). Horum omnium adhibendum est consilium, quod tamen sequi non cogitur episcopus, cui integrum est ea facere, quæ pro sua pietate ac prudentia potiora judicat (3); et omnes semel electi a commisso munere sine justa causa removeri nequeunt (4).

(1) Conc. Trid. *loc. indic.*

(2) Ne unquam propter redituum inopiam seminaria pereant, sapientissime a conc. Trid. *eod. loc.* statutum est, ut ex reditibus mensæ episcopalis et capituli, omniumque beneficiorum, quæ in diœcesi sunt, certa vis pecuniæ detrahatur, quæ seminario singulis annis solvenda est. Hujus solutionis lex et modus ab episcopo constituitur. Quin etiam eadem Tridentina lege cautum est, ut simplicia quoque beneficia ab episcopo seminario uniantur sive conjungantur. Quomodo autem hæc unio facienda sit, late explicat Ben. XIV *de syn. diœc. lib.* 9 *cap.* 7.

(3) Consule Girald. *expos. Jur. Pont. par.* 2 *sect.* 109 *et* 110 *p.* 983 *seq.*

(4) Videndus Giraldus *loc. mox indic.*, a quo etiam cuncta declarantur, in quibus duo illi ex capitulo, duoque ex clero electi consulendi sunt.

TITULUS XIII.

De Hospitalibus.

I. Hospitalia apud christianos antiquissima.
II. Variæ eorum species.
III. Hospitalia episcopo subjecta.
IV. Loca pia.

§. I.

Magnam sibi semper ecclesia curam assumpsit fovendorum ac recreandorum pauperum, qui aliena ope

indigerent; et in ipso quidem christianæ religionis initio fideles bonorum pretium apostolis offerebant, ut illud inter pauperes distribuerent (1). Sed data ecclesiæ pace, publicas etiam ædes christiani ædificare cœperunt, quibus pauperes exciperentur hospitio ac necessaria quæque obtinerent (2). Præsertim vero christiani occidentales ea de re laborarunt octavo et nono sæculo; qua tempestate omnia fere monachorum et canonicorum monasteria conjunctas habebant ædes, quæ præsidio erant pauperibus, ægrotis, peregrinis. Alia etiam ejusdem generis diversoria constituta sunt, potissimum ut hospitalis domus fere ubique pateret iis, qui sacras peregrinationes suscipiebant (3).

(1) Act. Apostol. IV *v.* 37.

(2) Sæculo IV jam plura ædificata fuisse hospitalia certum est. Unum certe hospitale circa an. 330 CP. erexit Zoticus senator, uti narrat Baron. *ad an.* 330 *num.* 28 *tom.* 4 *p.* 231 *edit. Lucæ*, cujus quidem hominis etiam mentio fit in *L.* 34 *C. de episc. et cleric.*, ubi plura hospitalium genera memorantur. Greg. Nazianz. *Orat.* 3 *num.* 95 *pag.* 102 *tom.* 1 *ed. Colon.* 1690, Julianum apostatam ridet, quod infidelibus christianorum exemplum proponens eos hortetur ad excitanda xenodochia καταγωια και Ξενωνας. Ipse Greg. *Orat.* 20 *p.* 359 ptochotrophia a S. Basilio extra urbem episcopalem magnificentissime extructa memorat. Celebre est etiam xenodochium Romæ a Pammachio et Nosocemium a Fabiola erectum, uti narrat Hier. *ep.* 66 *ad Pamm. num.* 11, *et ep.* 77 *ad Ocean. n.* 6 *tom.* 1 *col.* 399 *et* 457 *edit. indic.* Denique Theodoretus *hist. lib.* 5 *c.* 12 *p.* 219 *ed. Cantabr.* narrat, Flaccillam Augustam Theodosii M. uxorem in ecclesiæ xenodochiis abjecta quæque munera exercuisse. Confer etiam S. Jo. Chrys. *l.* 3 *ad Stagyr. a dæmon. vexat. num.* 13 *pag.* 213 *tom.* 1, *et hom.* 45 *in act. apost. num.* 3 *pag.* 342 *t.* 9 *edit. Paris.* 1718; S. Aug. *tr.* 97 *in Evang. S. Joan. num.* 4 *t.* 4 *col.* 976 *ed. Ven.* 1760; Conc. Chalced. *act.* 2 *col.* 1275 *act.* 11 *col.* 1606; *et can.* 8 *col.* 1686 *tom.* 4 *conc.* Labbei, ubi et aliorum hospitalium mentio est.

(3) Consule Thomass. *vet. et nov. eccl. diss. par.* 1 *lib.* 2 *cap.* 89 *et seq.*, et Murator. *antiq. Italic. diss.* 37.

§. II. Loca hospitibus ac peregrinis excipiendis destinata proprie hospitalia dicuntur; at eo nomine vulgo vocantur omnia loca, quæ alendis, educandis, sustentandis quibusvis hominibus ope egentibus addicta sunt. Hinc plura sunt hospitalia, quæ propriis nominibus designantur, veluti *Xenodochia*, quibus hospites excipiuntur, *Orphanotrophia* orphanis educandis, *Nosocomia* ægrotis curandis, *Ptochotrophia* pauperibus sustentandis, *Gerontocomia* alendis senibus, *Brephotrophia* nutriendis infantibus comparata.

§. III. Omnia hæc loca subjiciuntur episcopo diœceseos, in qua sita sunt, nisi exempta probentur, aut aliud postulent leges, quæ in eorum fundatione constitutæ sunt. Quin etiam exempta poterit episcopus, ubi opus fuerit, visitare atque corrigere, exceptis hospitalibus militarium ordinum, aut religiosorum, quibus antiqua institutionis decreta servanda sunt (1), itemque exceptis hospitalibus, quæ sub immediata regum protectione sunt (2). Verum et horum locorum, quamquam a laicis regantur, administratores quovis anno reddere episcopo debent gestæ administrationis rationem, nisi aliter in eorum fundatione cautum sit (3). Quod si lege aliqua, privilegio, aut consuetudine hæc ratio aliis reddenda sit, tamen cum iis etiam episcopus erit adhibendus.

(1) *Clem.* 2 §. *Præmissa de relig. domib.*
(2) Conc. Trid. *sess.* 22 *cap.* 8 *de reform.* Vide Giraldum *expos. Jur. Pont. par.* 2 *sect.* 83 *tom.* 2 *p.* 922, ubi explicatur, quæ hospitalia sint, quæ sub immediata regum protectione esse dicantur, quæque episcopi visitationi non subsint.
(3) Conc. Trid. *sess.* 22 *cap.* 9 *de reform.*

§. IV. Quod de hospitalibus dico, id etiam dictum volo de ceteris piis locis, uti sunt confraternitates, quas vocant, collegia, cetera similia, quæ cuncta episcopo subsunt, quamquam a laicis administrentur.

Ac de confraternitatibus præsertim decet animadvertere, eas erigendas esse auctoritate episcopi, qui earumdem etiam statuta cognoscere atque approbare debet (1).

(1) Clem. VIII *const. Quæcumq.* 350 *bull. t.* 5 *p.* 3 *p.* 85.

TITULUS XIII.

De Rebus temporalibus Ecclesiæ.

I. Communia bona omni hominum societati necessaria.
II. Semper communia bona ecclesiæ fuerunt.
III. Quo jure fuerint?
IV et V. Non sub christianis modo, sed etiam sub ethnicis imperatoribus ecclesia habuit bona immobilia.
VI et VII. Distributio bonorum eccl.

§. I.

Ventum est ad res temporales ecclesiæ, quæ scilicet ecclesiasticis usibus addictæ sunt. Nulla enim Universitas sine bonis communibus stare potest; cum necessario multæ faciendæ sint impensæ, ut ministri stipendium habeant, ut agantur conventus, ut omnia societati necessaria comparentur. Ecclesia hominum societas est, ideoque, ut ceteræ societates, communibus his bonis carere non potest. Hinc, ei sua fuerunt ab ipso initio christianæ religionis bona, unde aleret episcopos, presbyteros, ministros, curam gereret orphanorum, virginum, viduarum, pauperum, hospitalitatem exerceret, ferret opem fidelibus religionis causa aut carcere detentis, aut ad metalla damnatis, necessaria quæque compararet pro luminaribus, sacris

vasis, libris, agapis, quod ecclesiastici convivii genus erat.

§. II. Ipse Christus, cum hanc societatem instituit, ei communia bona esse voluit, hoc est pecuniam collectam ex fidelium oblationibus (1), habuitque loculos (2), cum quibus apostolis, discipulis, pauperibus opitularetur. Christi exemplum sequuti sunt apostoli (3); deinde vero, cum eorum successores ecclesiæ regimini præfuerunt, eadem omnino ratio rerum fuit (4).

(1) « Euntes emamus ducentis denariis panes, » scriptum est apud Marc. VI *v.* 37; apud Luc. IX *v.* 13 *seq.*, « Eamus et emamus in omnem hanc turbam escas; » apud Joan. IV *v.* 8 « Discipuli ejus abierant in civitatem, ut cibos emerent. » An *emi* aliquid potuisset, nisi aut Christus aut cum ejus consensu apostoli ab offerentibus pecuniam accepissent?

(2) Joan. XII *v.* 6. XIII *v.* 29 vulgata habet *loculos:* sed in Græco textu a fidelibus oblatum positum dicitur εν τω γλωσσοκομω, *in marsupio*, quod *fiscum reipublicæ Domini* appellat Aug. *enarr. in Ps.* 146 *n.* 17 *tom.* 4 *col.* 1648 *ed. cit.*

(3) Actor. II *v.* 44, IV *v.* 34, V *v.* 1 *seq.* Confer Tertull. *de Fug. in persequut. c.* 12 *pag.* 542 *ed. Venet.* 1744; Origen. *hom.* 15 *in Matth. cap.* 15 *pag.* 675 *seq. tom.* 3; S. Cypr. *testimon. ad Quirin. lib.* 3 *n.* 3 *p.* 46 *et de Oper. et eleemosyn. pag.* 144 *ed. Amst.* 1700.

(4) S. Justin. M. *apol.* 1 *num.* 67 *p.* 83 *ed. Paris.* 1742; Tertull. *apolog. cap.* 39 *pag.* 31 *edit. cit.* Adeundus doctiss. Mamachius *del Diritto libero della Chiesa di acquistare, e possedere lib.* 2 *cap.* 2 §. 2 *pag.* 251 *seq.*, a quo hæc omnia copiose diligenterque explicantur. Confer præterea A. Desing. in opere, cui titulus *Se le ricchezze del Clero nocevoli sieno alla republica.*

§. III. Hæc autem bona non aliqua hominum lege, sed Christi voluntate et exemplo ecclesia acquisivit. Nam christianorum respublica contra eorum, qui tunc imperio potiebantur, voluntatem, a Christo fuerat constituta, neque civiles leges, quibus tunc orbis terrarum regebatur, cœtum hominum non earum jure so-

ciatum aliquid acquirere ac retinere permittebant. Quare hæc societas contra id, quod esset humana lege præscriptum, bona habuit, auctoritate ipsa Christi; consequens est, ut ab ecclesia divino jure acquirantur ac retineantur bona; atque hoc jus divinum agnoverint apostoli et eorum successores, qui hæc ecclesiæ bona esse voluerunt, cum eadem esse vetarent leges ethnicorum, quorum tunc dominatu omnia tenebantur (1).

(1) Consule Mamachium *loc. cit.*

§. IV. Donec ethnici rerum potiti sunt, ecclesiæ bona præsertim fuerunt res mobiles, quæ in illis ærumnis facile celari, asportari ac distribui poterant. Verum et hac tempestate non defuerunt bona immobilia; et sane edicto Constantini ac Licinii ethnici jussi sunt christianis ea restituere. quæ hoc temporis intervallo rapuerant (1). Data christianis pace a Constantino, ecclesia bonis immobilibus abundare cœpit, et multa ei per contractus inter vivos tributa, multa testamento relicta sunt. Ipsi etiam christiani imperatores certam pecuniæ vim ex publico ærario ecclesiæ solvi voluerunt (2); quam liberalitatem a Juliano apostata sublatam Marcianus restituit (3), et sæpe etiam ethnicorum templa eorumque reditus ecclesiis adscripserunt (4).

(2) Confer Euseb. *hist. lib.* 10 *cap.* 5 *pag.* 482, *et de vit. Constantin. l.* 2 *cap.* 39 *pag.* 555 *ed. Cantabr.*, et Lactant. *de Mart. persecut. cap.* 48 *p.* 244 *tom.* 1 *edit. Paris.* 1748. Hos autem Eusebii et Lactantii locos solide ac diligenter expendit Cl. Mamachius *del Diritto libero ect. lib.* 2 *cap.* 2 §. 8 *pag.* 358 *et seq.*

(2) Vide Euseb. *hist. lib.* 10 *cap.* 6 *pag.* 186, et Sozom. *hist. lib.* 5 *cap. pag.* 186 *ed. Cantabr.*

(3) *L.* 12 *cod. de Sacros. eccles.*

(4) *L.* 20 *cod. Theodos. de Pagan.*

§. V. Scilicet ut gentes Christianæ Religionis lucem aspicere cœperunt, consequens erat, ut ecclesia, quam ethnici inter vetita collegia recensebant, et ideo nihil ei donari, aut testamento relinqui sinebant (1), civilibus quoque legibus sanctissima et omni jure instituta societas haberetur. Cur igitur frui non debebat juribus societatum, quæ legibus probatæ erant, quibus aut per contractum inter vivos, aut per testamentum quidquid acquirere licebat? Itaque civiles leges hoc jus ecclesiæ agnoverunt et confirmarunt (2); quin etiam actum est de conservandis bonis ecclesiarum, quorum est vetita alienatio (3); deque acquirendis bonis clerici, aut monachi sine hæredibus ac sine testamento morientis, quæ adscripta sunt ecclesiæ, aut monasterio, cui vivens addictus fuerat (4).

(1) *L.* 8 *Cod. de hæred. institut.*

(2) *L.* 1 *Cod. de sacros. eccl.*

(3) *L.* 14 *Cod. de sacros. eccles., Auth. de non alien. aut permut. cap.* 1 *et* 3 *coll.* 2.

(4) *L.* 1 *Cod. Theod. de bon. cleric.*

§. VI. Initio omnium ecclesiæ bonorum cura et administratio erat penes episcopum, qui illam œconomo, aut archidiacono committebat, et hi, finito officio gestæ administrationis rationem episcopo reddere debebant (1). Unus erat eorum bonorum cumulus, unde alebantur episcopus et clerici, qui ecclesiæ erant addicti, pauperes opem accipiebant, detrahebantur impensæ, quas pro ecclesiæ fabrica, ornatu, supellectile ceterisque rebus facere oportebat. Postea visum est bona ecclesiastica in certas veluti partes dividere et sua episcopo, sua clericis, sua item pauperibus, sua denique ecclesiæ fabricæ pars attributa est (2).

(1) *Can.* 21 *cap.* 1 *quæst.* 7.

(2) Hanc in quatuor partes divisionem bonorum ecclesiæ memorant Simplic. P. *ep.* 3 *ad Florent.* apud Labb. *conc. tom.* 3 *col.* 96 *ed. Venet.;* Gelas. P. *ep.* 9 *ad episc. Lucan. cap.* 27 *col.* 321 *eod. loc.*, et Greg. M. *ep.* 11 *lib.* 4 *col.* 691, *ep.* 12

lib. 5 *col.* 737, *ep.* 7 *lib.* 8 *col.* 900, *ep.* 64 *lib.* 11 *col.* 1150 *et* 1151, *et ep.* 44 *lib.* 13 *col.* 1249 *t.* 2 *ed. Paris. cit.* Verum synodus Bracar. I *can.* 7 *col.* 351 *tom.* 3 *coll.* Hard. tantum constituit partes tres, quarum unam episcopo, alteram clericis, tertiam ædificiis et ecclesiæ luminaribus adscribit. In hac autem partitione episcopo hospitalitas exercenda relinquebatur.

§. VII. Denique certi reditus parochialibus ecclesiis adscripti sunt, et clericis, qui pridem ex ecclesiæ, cui erant addicti, reditibus alebantur, certa concessa sunt ecclesiæ bona, quorum curam gererent, et ex quibus perciperent necessaria ad vitam honeste traducendam. Hodie igitur sua sunt bona clericis, et sua item ecclesiis, quæ utraque separatim administrantur. Bona hæc temporalia dicimus, quod eorum reditus impenduntur in temporales usus ecclesiarum et clericorum; verum cum semper ecclesiastica sint, eo censenda sunt jure, quo censentur bona ecclesiarum, quæ sine legitima venia distrahi nequeunt, et quibus nemo, tamquam profanis bonis, uti et abuti potest suo arbitratu.

TITULUS XIV.

De Præbendis et Beneficiis.

I. Quid beneficium?
II. Beneficiorum inter clericos distributio.
III. Beneficia a præbendis distinguuntur.
IV et V. Eorum indoles.
VI. Præcipuum clericorum officium.
VII et VIII. Beneficia residentiaria et non residentiaria.
IX. Majora et minora.
X. Sæcularia et regularia.
XI. Collativa, electiva, patronata.

§. I.

Beneficii nomen apud Latinos scriptores significat prædium fiscale, quod ducibus ac militibus, optime

de republica meritis ab imperatoribus concedebatur, ut ex eo perciperent necessaria ad vitam traducendam, suoque deinceps sumptu stipendia facerent (1). Prædia hæc etiam ecclesia tribuere cœpit clericis de ea bene meritis, ut iis fruerentur, dum ipsis vita suppeditaret, eaque prædia beneficia, beneficiati autem dicti sunt clerici, qui eadem obtinuerant. Raræ initio erant hujusmodi concessiones atque ut plurimum, breve temporis intervallum comprehendebant (2), quo finito, vel mortuo clerico, cui data fuerant, prædia ad ecclesiam revertebantur (3).

(1) Consule Du Cange *Glossar. med. et infim. Latinit. verb. Beneficium;* Baron. *ad an.* 502 *t.* 9 §. 25 *pag,* 20 *ed. Lucæ;* Thomass. *vet. et nov. eccl. disc. par.* 3 *lib.* 2 *cap.* 13 *n.* 5.

(2) Conc. Agath. *can.* 7, *et can.* 22 *col.* 999 *et* 1000 *t.* 2 *coll.* Hard.; Aurelian. I *can.* 23 *col.* 1011 *ib.;* Simmachus P. *ep.* 5 *ad Cæsar. Arelat. cap.* 1 *col.* 425 *tom.* 5 *conc.* Labbei *ed. Ven.*

(3) *Can.* 61 *cap.* 15 *qu.* 1.

§. II. Verum lapsu temporum hujusmodi concessiones frequentissimæ evaserunt (1), et eo denique res venit, ut clerici non amplius ex communi ecclesiæ ærario alimenta acciperent, sed peculiares haberent præbendas suas in prædiis, sive beneficiis quæ ipsis concedebantur, donec vitam agerent. Ita factum est, ut jus percipiendi reditus ecclesiasticos, quod olim affixum erat ordinationi, per quam clericus certæ adscribebatur ecclesiæ, cujus ex ærario alebatur, nunc hæreat beneficiis, unde clericus reditus percipit, quibus honeste et decenter vivat. Nimirum semper clericis jus fuit, propter ecclesiasticum officium, de altari vivere. Modus autem, quo clericus ecclesiasticis bonis frui debet, pertinet ad disciplinam, quæ non eadem omni ætate est.

(1) Primum parochialibus ecclesiis, et iis quidem ruralibus

adscriptæ videntur oblationes, quæ ad altare fiebant, salva earum tertia, aut quarta parte, quæ ad episcopum pertinebat, *can.* 7 *cap.* 10 *qu.* 1. Paulo post iisdem ruralibus ecclesiis certi etiam ex fundis reditus tributi sunt, conc. Aurelian. III *can.* 5 *col.* 1424 *tom.* 2 *coll.* Hard. Certe IX sæculo omnis ruralis ecclesia suas proprias decimas et fundos obtinebat, *can.* 25 *cap.* 25 *qu.* 8. Urbanæ quoque parochiæ eamdem disciplinam postea acceperunt; et tunc potissimum, inducta partitione bonorum, certa clericis data sunt prædia, quæ ipsi administrarent, et ex quibus ad vitam necessaria perciperent.

§. III. Proprie beneficium a præbenda distinguitur. Hæc enim tantum comprehendit fructus, reditus et emolumenta, quæ clericis certo obveniunt, ecclesiasticorum officiorum et beneficiorum causa. Hinc eam sæpe etiam beneficii dotem appellamus, sive consistat in prædiis rusticis, aut urbanis, sive in pascuis, silvis, aut similibus, sive in illis juribus, quæ fructuum vicem obtinent, et rebus immobilibus æquantur, uti sunt census et reliqua generis ejusdem. At vero beneficii nomen latius patet; quoniam non ea tantum, quæ præbenda, comprehendit, sed etiam ecclesiasticum officium et magistratum. De magistratibus et officiis, quæ beneficiis adjuncta sunt, superiore libro actum est. Nunc in beneficiis potissimum spectamus reditus; quamquam hi reditus non nisi propter ecclesiasticum officium et magistratum percipiantur.

§. IV. Beneficium est perpetuum jus percipiendi fructus de bonis ecclesiasticis, officii causa ecclesiastica auctoritate institutum. Perpetuum inquam, hoc est donec beneficiarius vitæ usura fruitur, beneficium esse debet; quia per hoc certo in ecclesia obeundo muneri addicitur, quod cum perpetuum sit, perpetuum quoque jus ad reditus esse debet.

§. V. Præterea ecclesiastica auctoritate, videlicet summi Pontificis, aut episcopi, opus est, ut beneficium constituatur. Cum enim ecclesiastici reditus et

multo magis sacra ministeria, quæ duo beneficium complectitur, sine ecclesiæ auctoritate dari nequeant, manifestum est, sine hac auctoritate nullum esse, et haberi beneficium posse. Quare omnes reditus, licet perpetuo clericis ob spirituale aliquod officium attributi, uti legata pia et capellaniæ, beneficia non sunt, nisi episcopi accedat auctoritas, sed mera stipendia aut eleemosynæ censentur.

§. VI. Denique beneficium propter spirituale officium institutum est. Non enim clericos otiosos et nihil agentes ex ecclesiasticis reditibus vivere oportet. Præcipuum clericorum officium positum est in altaris ministerio atque in precibus, quas ad Deum mittere pro cunctis debent; et vero ecclesia certas constituit preces, quæ unoquoque die a beneficiariis fundendæ sunt, ut eo, quo tenentur in primis, fungantur munere. Atque hæ sunt horæ canonicæ, quas omnes beneficiarii quotidie recitare debent, et quæ *divini officii* ac *breviarii* nomine appellantur.

§. VII. Sed præter hoc officium, quod omnibus beneficiariis commune est, quidam sunt, qui et aliud habent ministerium, personatum, dignitatem, aut curam animarum. Hæc beneficia duplicia, cetera in quibus illa non insunt, simplicia appellantur. Ex simplicibus beneficiis quædam sunt, quæ adjunctam habent legem residentiæ, uti sunt canonicatus et capellaniæ perpetuæ ecclesiastica potestate constitutæ, et hæc beneficia *residentiaria*, cetera a quibus onus illud abest, proprie *simplicia* et non *residentiaria* dicuntur. Verum canonicatus, quamquam inter beneficia simplicia recenseantur, tamen accedunt ad dignitates (1), ideoque in odiosis simplicium beneficiorum nomine non continentur. Neque vero hæc beneficia tamquam inania et otiosa habenda sunt, quod eorum rectores nullum peculiare officium exercent. Nam rem præclaram et magnam præstant, qui preces

pro populo fundunt, et cum alii sint clerici, qui omnibus funguntur muneribus, quæ pro christianorum regimine et salute sunt necessaria, recte ecclesia quosdam alit clericos, quorum occupatio in fundendis precibus et altaris ministerio defixa est (2).

(1) *Cap.* 2 *de Rescript. in* 6.

(2) Hujusmodi clericorum, quorum tantum erat altari servire ac precibus et orationi vacare, jam III sæc. habebat ecclesia et eorum quidem mentio est apud Cypr. *ep.* 1 *p.* 169 *ed. cit.*

§. VIII. Cuncta olim beneficia residentiæ lege tenebantur, sed lapsu temporum reditibus imminutis beneficiorum, adeo ut ex iis clerici necessaria percipere non possent, consuetudine inductum est, ut beneficio donati fructus caperent, licet in beneficii loco non morarentur, ut sibi victum alibi compararent (1). Nunc igitur qui his beneficiis fruuntur, tantum deferunt tonsuram ac vestes clericales et horas canonicas quotidie persolvunt.

(1) Gonzalez *in c. Conquerente n.* 2 *de cler. non resid.*

§. IX. Rursus alia beneficia sunt, quæ majora, alia, quæ minora appellantur. Majora sunt, quibus hærent principes in Ecclesia gradus cum cura animarum et sacra jurisdictione, qualia beneficia obtinent summus Pontifex, patriarchæ, archiepiscopi, episcopi et abbates cum quasi episcopali jurisdictione. Reliqua, quæ infra hæc sunt, minora beneficia dicuntur. Ceterum majora illa beneficia communi beneficii nomine non comprehenduntur; quin ne dignitatis quidem vocabulo, cum potius sint apices dignitatum.

§. X. Dividuntur etiam beneficia in sæcularia et regularia. Sæcularia sunt, quæ non nisi sæcularibus clericis, regularia, quæ tantum regularibus clericis tribuuntur, unde eorum nomen tractum est. Hinc abbatiæ, ceteraque officia claustralia suis propriis

donata reditibus, beneficia sunt regularia, ac talia generatim censentur omnia, quæ a regularibus regi consueverunt. Beneficia regularibus addicta demonstrantur vel fundatione, cujus nimirum lege cautum est, ut ea regularia haberi debeant; vel incorporatione, cum monasteriis adnexa sunt; vel præscriptione annorum quadraginta, cum eo temporis intervallo semper a regularibus administrata fuerunt.

§. XI. Denique sunt beneficia collativa, quorum collatio ad eos pertinet, quibus conferendi jus est; electiva, quæ per electionem; patronata, quæ ad patroni præsentationem conceduntur. De his omnibus superiori libro actum est.

SECTIO I.

De vetita Beneficiorum Multitudine.

XII. Clericus duabus ecclesiis non adscribendus.
XIII. Beneficia compatibilia et incompatibilia.
XIV. Decretum conc. Lateranensis.
XV. Et Tridentini.
XVI. Pœna retinentium plura incompatibilia beneficia.
XVII. Quæ beneficia plura numero simul retineri possint?

§. XII.

Omnes clerici, ex veteri disciplina, cum ordinabantur, certæ adscribebantur ecclesiæ, cui servire debebant et a qua necessaria quæque accipiebant. Cum autem unus idemque clericus eodem tempore duabus ecclesiis servire non posset, consequens erat, ut neminem duabus ecclesiis adscribi vetus disciplina pateretur (1). Hæc quidem generatim obtinebat regula canonum, cui tamen locus non erat, cum aliud ec-

clesiæ utilitas aut necessitas postularet. Non enim antiquiori etiam ætate exempla desunt clericorum, qui pluribus, uno et eodem tempore, ecclesiis addicti erant (2).

(1) Conc. Chalced. *can.* 10 *et* 20 *col.* 606 *et* 610 *t.* 2 *coll.* Hard., et Nicæn. II *can.* 15 *col.* 495 *t.* 4 *coll. cit.*

(2) Conc. Emeritense *can.* 19 *tom.* 3 *col.* 1005 *coll.* Hard. Celebre est autem, quod de Euphronio narrat Basil. *ep.* 228 *tom.* 3 *pag.* 351 *edit. Paris.* 1730, qui ab episcopatu Colon. ad metropolim Nicopolit. translatus, utrasque deinde ecclesias administravit.

§. XIII. Postquam beneficia ab ordinatione sejungi cœpta sunt, etiam interdictum est, ne cui plura simul beneficia tribuantur, cum unus clericus simul gerere non possit plura officia, quæ beneficiis conjuncta sunt. Sed imminutis, uti supra dictum est, lapsu temporum, beneficiorum reditibus, oportuit residentiæ lege solvere clericos, qui alibi quærere debebant victum, quem a beneficio habere non poterant. Tunc igitur uni clerico concedi cœperunt plura beneficia ut, quod unum non dabat, haberet ex pluribus, eaque dicta sunt beneficia *compatibilia;* quoniam non residentiam neque aliud habebant adjunctum onus, quod alterius beneficii possessionem impediret. Quibus beneficiis opponebantur *incompatibilia,* quæ scilicet plura numero, ob onus singulis affixum, ab uno eodemque clerico simul retineri non poterant.

§. XIV. Sed lapsa disciplina, plura simul incompatibilia beneficia uni clerico data sunt; quod malum longe lateque serpens plura, quæ ea tempestate habita sunt, concilia removere studuerunt. Præsertim synodus Lateranensis III ea de re laboravit, edita lege, ut nemo duas dignitates, aut duas parochias simul deinceps habere posset, addiditque sanctionem, ut accipiens secundum beneficium amitteret, dans

autem largiendi potestate privaretur (1). Verum non adhuc avulso malo, Innocentius III in concilio Lateranensi IV de eo planc tollendo acriore studio laboravit. Ergo sancitum est, ut nemo duas simul parochias, dignitates, aut personatus obtineat, ipsoque jure cadat primo beneficio, qui alterum sine venia sedis Apostolicæ adeptus est ac utroque privetur, si forte illud velit retinere (2). Eadem quoque ratione præbendarum coacervatio vetita est (3).

(1) *Cap.* 3 *de cleric. non resid.* (2) *Cap.* 28 *de Præb.*
(3) *Cap.* 9 *de concess. præb.*

§. XV. Denique Tridentini Patres alias edidere leges, ut quæ a Lateranensibus conciliis fuerant constituta, diligenter observarentur. Itaque vetitum est uni clerico, quovis titulo, etiam *unionis* aut *commendæ,* plures simul conferre ecclesias cathedrales aut beneficia curata et cetera, quæ *incompatibilia* dicuntur, jussique sunt primo beneficio cadere, qui alterum consequuntur. Ex reliquis vero beneficiis, quæ *compatibilia* dicimus, uni clerico plura conferri possunt, quando unum satis non est, ut ille honeste ac decenter vivat (1).

(1) Conc. Trid. *sess.* 7 *cap.* 2 *et* 4, *et sess.* 24 *cap.* 17 *de ref.* Exstat etiam de incompatibilibus beneficiis constitutio Joan. XXII in *Extrav. Execrabilis de Præb.*, de qua actum fuit *lib.* 1 *tit.* 5 *sect.* 3 *pag.* 281, et qua sancitum est, ut secundum beneficium curatum, vel secundam dignitatem accipiens, nisi statim primum dimittat, utroque privetur, atque in posterum a sacris ordinibus, et a beneficiis repellatur, atque ultimi beneficii collatio summo Pont. reservetur. Late ea de re disputat Rigant. *ad regul.* 1 *cancell.* §. 8 *per tot.*

§. XVI. Hodie igitur iis utimur legibus, quæ a Trid. synodo constitutæ sunt. Duo *incompatibilia* beneficia, qualia sunt generatim omnia (1), quæ habent curam animarum, quæ officium, personatum,

dignitatem, onus residentiæ quæ *sub eodem tecto uniformia* dicuntur (2), uni clerico concedi non possunt, et si concedantur, primum ipso jure vacuum efficitur. Quod si utrumque simul beneficium retinere quis velit, utroque privandus est. Vacatio autem ipso jure inducitur, non collatione, sed pacifica alterius beneficii possessione, qualis ea censetur, quam quis sine ulla molestia apprehendit, aut apprehendere potuit. Ideo post acceptam alterius beneficii possessionem datur adhuc spatium duorum mensium, quo beneficiarius primum etiam beneficium retinere potest, ut interim noscatur, num aliquæ de altero beneficio molestiæ exoriantur (3).

(1) Quæstio est, num altero impetrato beneficio generatim in omnibus incompatibilibus beneficiis vacatio ipso jure inducatur. Multi enim sunt, qui hanc ipso jure vacationem tantum referunt ad beneficia, quæ propter titulum incompatibilia existunt, uti sunt duo episcopatus, duæ parochiæ, duo sub eodem tecto uniformia beneficia; non item ad ea, quæ tantum retentione incompatibilia habentur, uti sunt duo canonicatus in diversis ecclesiis et alia beneficia, quæ adjunctam habent residentiæ legem, sed sine animarum cura, dignitate, personatu, vel officio. Hæc enim beneficia tantum sententia judicis vacare arbitrantur. Sed conc. Trid. omnium generatim incompatibilium beneficiorum ipso jure vacationem induxisse ostendit Garcia *de Benef. par.* 11 *cap.* 5 *n.* 79 *et seq.*

(2) Beneficia *uniformia sub eodem tecto*, sive in eadem ecclesia dicuntur, quæ ad eumdem finem idemque ministerium instituta sunt, habentque idem onus ac officium eodem tempore persolvendum. Hujusmodi sunt duo canonicatus duæque ejusdem ecclesiæ capellaniæ.

(3) Consule Rigant. *in reg.* 1 *cancell.* §. 8 *n.* 154 *et* 155.

§. XVII. In ceteris beneficiis, quæ compatibilia dicuntur, servanda regula est, eorum plura ab uno eodemque clerico retineri posse, cum unum non tantum præstat, quantum est ad cultum et ad victum necessarium. Si unius reditus satis sunt, ut clericus

honeste ac decenter vivat, nefas est plura in eo beneficia coacervare; et vero primum amittit qui præter necessitatem alterum beneficium adeptus est. Sed nunc ex consuetudine ubique recepta, nemo in foro controversiam patitur, quod duo possidet beneficia, etiamsi unum satis præbeat ad vitam honeste traducendam, modo utrumque residentiam non requirat. Et licet Trid. synodus non definiverit, quinam reditus ad decentem clerici tuitionem sufficiant, tamen in comperto est, rem totam episcopi arbitrio, respectu habito ad locorum consuetudinem atque ad statum clerici, æstimandam ac definiendam esse. Interdum sedes Apostolica, cujus tantum est ea in re veniam concedere, justis de causis plura ab uno clerico etiam incompatibilia beneficia retineri permittit; cujus quidem rei sunt exempla præsertim in Germania, ubi uni plures episcopatus conceduntur, ut firmioribus munitus præsidiis hæreticorum conatus retundat.

SECTIO II.

De conjungendis ac dividendis Beneficiis.

XVIII. Beneficiorum unio quotuplex?
XIX. Justæ unionis causæ quæ?
XX. Solemnitates in ea facienda necessariæ.
XXI. Quis unionem recte expediat?
XXII. Divisio beneficiorum, ejusque causæ et solemnitates..

§. XVIII.

Plurium ecclesiarum vel beneficiorum conjunctio, quæ a legitimo superiore, justa ex causa, facta est, beneficiorum unio appellatur. Ea vel temporanea ac personalis, vel perpetua ac realis est. Personalem,

qua plures, veluti pallio ad beneficiorum multitudinem obtegendam, abutebantur, synodus Trid. (1) rejecit; perpetua, quæ rite atque ex justis causis fiat, ecclesiasticis legibus probatur. Hæc autem conjunctio tribus modis fieri solet: confusione, cum duæ pluresve ecclesiæ, aut beneficia ita coagmentantur, ut ex pluribus una ecclesia, aut unum beneficium fiat; subjectione, cum unum beneficium alteri subjicitur, ita ut ei quasi fundus accedat, et ejus privilegia, consuetudines, naturam assumat; denique alia est unio, quæ dicitur *æque principalis*, cum neutrum beneficium alteri subjicitur, neque duo beneficia in unum quasi corpus coalescunt, sed utraque integra manent, suumque retinent gradum ac titulum, sed ab uno eodemque ministro reguntur. Hoc modo cathedrales præsertim ecclesiæ conjungi solent.

(1) *Sess. 7 cap. 4 de reform.*

§. XIX. Ecclesiarum et beneficiorum conjunctio nonnisi ex justa causa atque adhibitis solemnitatibus fieri debet (1). Justa causa est evidens ecclesiæ necessitas aut utilitas, puta si duo beneficia tenues habeant reditus, ex quibus vivere duo clerici nequeant (2), si valde sit diminutus populi numerus (3), si ecclesiæ temporis vel hostium injuria vastatæ sint (4), si reditus necessarii sint ad adolescentes in seminariis educandos, vel alias ad Dei cultum sustinendum (5). Graviores autem requiruntur causæ, ut curata, quam ut simplicia beneficia conjungantur; quin etiam beneficia sunt, quorum plane vetita conjunctio est. Nam diversarum beneficia diœceseon coagmentari nequeunt (6), neque item licet conjungere beneficia curata monasteriis, abbatiis, dignitatibus, præbendis canonicorum, hospitalibus, aliisque collegiis (7), beneficia liberæ collationis beneficiis jurispatronatus, ne et ipsa juripatronatus obnoxia evadant (8).

(1) *Can.* 23 *cap.* 1 *an.* 7.
(2) S. Greg. M. *lib.* 2 *ep.* 50 *ad Joan. episc. Velitern. tom.* 2 *col.* 614 *ed. indic.*; Conc. Trid. *sess.* 21 *cap.* 5 *de reform.*
(3) S. Greg. M. *cit. ep.* 50; conc. Toletan. XIV *can.* 5 *col.* 1796 *tom.* 5 *coll.* Hard.
(4) *Cap.* 2 *de relig. domib.*
(5) Conc. Trid. *sess.* 23 *cap.* 18 *et sess.* 24 *cap.* 15 *de ref.*
(6) Conc. Trid. *sess.* 24 *cap.* 9 *de ref.*
(7) Id. *ibid. cap.* 13.
(8) Id. *sess.* 25 *cap.* 9 *de ref.*

§. XX. Solemnitates pertinent ad vocandos audiendosque omnes, quorum interest, atque ad legitimam ecclesiastici superioris auctoritatem. Principio audiendus est episcopus, cujus diœceseos beneficia jungenda sunt, vocandique et audiendi sunt abbates, prælatique inferiores, et patroni sive ecclesiastici, sive laici, quorum est collatio vel præsentatio, item beneficiorum uniendorum possessores, et capitulum ecclesiæ cathedralis, sine cujus consensu episcopus graviora negotia expedire non potest (1).

(1) Capituli tamen consensum supplere solet sedes Apost., vel S. Congr. conc. Consule Car. Gagliardum *de Benef. c.* 4 *n.* 34.

§. XXI. Legitima unionum faciendarum potestas penes summum Pontificem atque episcopum est. Cathedrales ecclesias tantum conjungit summus Pontifex, qui etiam cetera beneficia conjungendi amplam habet potestatem. Episcopus beneficia consociat suæ diœceseos, exceptis illis, quæ ab ejus jurisdictione exempta sunt, quæque sedi Apostolicæ immediate sunt subjecta, aut perpetuo reservata (1). Cavere autem in primis episcopus debet, ne suæ mensæ beneficia conjungat, propter lucri suspicionem, a qua abhorrere debet (2).

(1) Beneficia, quæ sedi Apostolicæ perpetuo reservata non sunt, ab episcopo uniri posse, modo hæc unio fiat ante eorum vacationem, tradit Garcia *de benef. par.* 12 *cap.* 2 *num.* 102,

atque ita a Sac. Congr. conc. definitum testatur. Consule Fagnan. *ad cap.* 8 *de exces. prælat. num.* 22 *et seq.*, et Girald. *expos. Jur. Pont. par.* 2 *sect.* 57 *pag.* 878; in primis autem consule, qui ea de re accurate disputat, Ben. XIV *de Syn. diœc. lib.* 9 *cap.* 7. Episcopi vero Italiæ ac finitimarum insularum, cum beneficia sedi Apost. reservata seminariis unire volunt, servare debent legem ea de re editam a Bened. XIII *in const. Creditæ nobis* 67 *tom.* 11 *pag.* 409 *bullar. Rom. ed. cit.*

(2) *Clement.* 2 *de Reb. eccl. non alien.*

§. XXII. Conjunctioni ecclesiarum ac beneficiorum opponitur eorum divisio, per quam ex una ecclesia, aut beneficio duo efficiuntur. Divisio hæc generatim est vetita, nisi eam postulet justa causa utilitatis et necessitatis (1). In ea perficienda vocandi audiendique sunt omnes, quorum interest, ac necessaria est auctoritas ejusdem, a quo conjunctio decernitur. Imo si non amplius existat causa, propter quam conjunctio facta est, puta quod cessaverit paupertas, aut vastatio, illa recte dissolvitur. Tunc autem beneficia recuperant naturam suam, eorumque collatio aut præsentatio ad illos redit, quorum ante unionem fuerat, nisi forte aliud constitutum sit.

(1) *Cap.* 8, 26, 36 *de Præben.*

SECTIO III.

De Commendis Beneficiorum.

XXIII ad XXVI. Commendarum origo et earum concedendarum causæ.
XXVII. Varia de iis decreta.
XXVIII. A quo dentur commendæ et qualis nunc earum natura sit?
XXIX. Clerici commendatarii.

§. XXIII.

Beneficia interdum clericis commendantur, unde ortæ beneficiorum commendæ, quarum origo sane vetus est. Initio commenda erat custodia, aut administratio vacantis ecclesiæ, quæ tamdiu obtinebat, quamdiu ea careret episcopo, a quo regeretur (1). Simili modo commendabantur parochiæ et monasteria; atque hæ commendæ ad tempus erant, quoniam certo tempore cessabat causa, propter quam institutæ fuerant (2).

(1) S. Ambr. *ep.* 2 *col.* 789 *ed. cit. tom.* 5. « Commendo tibi, fili, inquit, ecclesiam, quæ est ad Forum Cornelii . . . donec ei ordinetur episcopus. »

(2) Vide Conc. Aurel. III *can.* 18, apud Labb. *tom.* 5 *col.* 1279 *ed. Ven.*; S. Greg. M. *ep.* 38 *lib.* 2, *et ep.* 21 *lib.* 6 *t.* 2 *col.* 601 *et* 608 *ed. indic.*, *can.* 16, 17, 18, *dist.* 61.

§. XXIV. Perpetuæ dabantur commendæ, cum eas perpetua causa postularet. Ita cum hostium impetu vastatæ fuissent cathedrales ecclesiæ atque illinc episcopi discedere debuissent, Romani Pontifices vel illos aliis præficiebant cathedralibus ecclesiis, quæ tunc vacarent, vel etiam ipsis abbatias perpetuo commendabant, ut ex earum reditibus decenter viverent ac simul episcopalem potestatem exercerent (1). Sunt

et alia commendarum, quæ quidem perpetuæ erant, exempla, potissimum cum clericus non tantum ex beneficio haberet, quantum ei esset necessarium (2). Itaque justis de causis commendæ institutæ sunt, neque eas improbare quis potest, cum episcopatus, parochiæ, monasteria commendantur episcopis et clericis ordine insignitis, quem beneficium postulat.

(1) S. Greg. M. *ep.* 13 *lib.* 3 *col.* 633 *tom.* 2 *ed. Paris.* 1705 Agnellum Fundorum episcopum, vastata ab hostibus ejus civitate, Terracinensis ecclesiæ episcopum constituit, « Ita ut, inquit, Fundensis ecclesiæ episcopus esse non desinas, nec curam gubernationemque ejus prætereas. » Itaque duplex uni episcopo ecclesia, altera in titulum, altera in commendam data est. Similiter cum Paulinus, Tauri in Sicilia episcopus, post civitatem a barbaris vastatam, Messanam secessisset, ibi ei monasterium a Greg. M. commendatum est, *lib.* 1 *ep.* 40 *col.* 528 *tom.* 2 *ed. indic.*

(2) Multa hujus rei exempla sunt apud Jo. Diaconum *in vit. S. Gregor. M. lib.* 3 *cap.* 22 *lib.* 4 *cap.* 86, 90, 93, 97, *col.* 96, 177, 180, 185 *tom.* 4 *opp. S. Greg.* Monasterium etiam S. Martini episcopo commendatum fuisse, tradit Anastasius Bibliothecarius: ita enim ille Martino episcopo Narniensi et abbati cœnobii S. Martini suam de Martini P. exilio historiam *in Biblioth. PP. tom.* 12 *pag.* 842 *ed. Lugd.* inscripsit: « Quia cum episcopatus apice præpositura sanctitati tuæ, ob meritum summæ religionis, B. Martini monasterii penes urbem positi, est a summis Pontificibus delegata. » Beda quoque *hist. lib.* 4 *c.* 18 *pag.* 502 *ed. Cantabr.* 1643, memorat Joannem Archicantorem ecclesiæ S. Petri et abbatem cœnobii S. Martini Romæ, quem Agatho summus Pont. in Angliam misit. Quin etiam cathedrales ecclesias interdum abbatibus commendatas constat, atque hujus rei, præter ceteros, monumenta sunt apud Du Chesne *in vita S. Leodegarii p.* 604 *et* 618 *t.* 1 *Hist. Franc. ed. Paris.* 1636.

§. XXV. Verum lapsu temporum laici ecclesiastica bona invadere cœperunt, potissimum vero principes ea militibus commendabant, ut opes ad gerendum bellum haberent (1). Pravum hunc morem quem, invita ecclesiastica jurisprudentia, turbulenta illa ætas induxerat, prorsus tollere studuerunt concilia ea tem-

pestate habita; præsertim vero Romani Pontifices diligentem dedere operam, ut ad ecclesiam redirent, quæ violenter a laicis occupata fuerant (2). Ita factum est, ut sua denique ecclesiæ restituerentur bona et tunc potissimum clericis multa sunt commendata eorum, quæ pridem laici arripuerant, præsertim cum graves essent causæ, propter quas commendæ non permittendæ solum, sed etiam probandæ viderentur.

(1) Consule Thomass. *vet. et nov. eccl. disc. par.* 2 *l.* 3 *c.* 12.
(2) Late hæc omnia persequitur Thomass. *loc. cit. c.* 10 *ad* 21.

§. XXVI. Scilicet ab infidelibus iterum occupatis locis sanctis et inde ejectis episcopis, opportunum visum est alios ipsis in Italia et alibi episcopatus, aut abbatias commendare, ut his reditibus vitam ducerent. Accessit studium restaurandæ monasticæ disciplinæ, quæ in pluribus monasteriis pene sublata extinctaque erat, et plures etiam clerici sibi commendata monasteria acceperunt, ut ea tuerentur atque defenderent. Neque vero summi Pontifices, aut Concilia factum suum improbari unquam posse existimabant, cum episcopis, aut aliis clericis dabant reditus et fundos, qui ad regulares pertinebant. Illud ipsis curæ erat, ut laici ecclesiæ bona non diriperent; sed semper amplam ecclesiæ potestatem esse putarunt tribuendi ecclesiastica bona inter clericos, quibus ea magis pro temporum, locorum ac personarum ratione concedenda videbantur (1).

(1) Commendæ neque laudari, neque improbari generatim possunt, uti animadvertit Rigant. *in reg.* 43 *cancell. num.* 49, et sæpe multæ sunt causæ, quæ illas non tantum utiles, sed etiam necessarias faciunt. Synodus Trid. rem omnem ex prudentia ac pietate Rom. Pontificis, atque ex temporum ratione æstimari voluit. Hinc sedes Apost. nonnisi ex justis causis, rerumque ac locorum habita ratione commendas concedit; quin etiam sæpe ab ea rejectas constat preces ipsas principum, qui commendas

postulabant: adeo falsum est Romanos Pontifices, uti eos aliqui calumniantur, facile ac sine delectu regularia beneficia clericis sæcularibus commendasse. Cuncta hæc late expendit Rigant. *loc. cit num.* 49 *et seq.* Multa etiam de commendis habet Nat. Alex. *hist. eccles. sæc.* 15 *et* 16 *cap.* 7 *art.* 4 *pag.* 193 *seq. et diss.* 12 *art.* 9 *pag.* 552 *tom.* 9 *ed. cit.*

§. XXVII. Aliquando tamen valde auctus sine justa causa commendarum numerus mala intulit, quæ oportuit removere. Itaque Clemens V commendas sustulit, quæ non bene cognitis expensisque rebus datæ fuerant (1), et Ben. XII ac Leo X commendas abrogarunt, quas in perniciem monasteriorum atque ecclesiasticæ disciplinæ redundare animadverterunt (2). Syn. Trid. monasteria in posterum vacatura tantum spectatæ vitæ regularibus concedi jubet, eaque monasteria, quæ sunt capita ac primates ordinum, jure commendæ aliquem retinere prorsus vetat; reliqua vero monasteria jam commendata, quæ suos habent conventus, Rom. Pontifici committit, ut iis pro sua pietate et prudentia regulares præficiat, quantum ratio temporum ferre potest (3).

(1) *Extravag.* 2 *de Præben. int. commun.*
(2) Vide Raynald. *ad an.* 1535 *num.* 67 *et ad an.* 1553 *n.* 51 *pag.* 49, 92, *et* 590 *tom.* 25 *ed. Lucæ,* et bullam reform. editam a Leone X in conc. Lateran. V *tom.* 9 *col.* 1747 *coll.* Hard.
(3) Conc. Trid. *sess.* 25 *cap.* 21 *de regular.*

§. XXVIII. Hodie justis de causis commendæ dantur et dantur ab uno Rom. Pontifice, cui tantum potestas est relaxandi canones, qui regularia beneficia clericis sæcularibus concedi vetant (1). Verbis autem potius, quam re nunc a beneficiis commendæ differunt, quoniam et hæ in perpetuum dantur et titulum præstant ad ordines suscipiendos (2), et clerici commendatarii iisdem ferme prærogativis ac juribus, quibus beneficiarii, fruuntur. Quare liberam habent

redituum administrationem, et jus præsentandi, eligendi, conferendi; verum monasteria visitantur a regularibus superioribus, quibus subsunt, atque ad eos regimen et cura pertinet regularis instituti (3).

(1) *Cap.* 27 *de elect. cap. Cum de benefic. de Præb. in* 6. Consule Trid. *sess.* 14 *cap.* 20 *de reform.*

(2) Consule Girald. *expos. Jur. Pont. p.* 2 *sect.* 54 *n.* 7 *p.* 874.

(3) Conc. Trid. *sess.* 25 *cap.* 20 *de regular.* Vide etiam *const. Pastoralis* 185 Innoc. X *in bullar. tom.* 6 *par.* 3 *pag.* 281 *et const. Exponi* 27, Alex. VI *tom.* 6 *par.* 4 *bullar. pag.* 31.

§. XXIX. Clerici commendis aucti, plurimum suam habent mensam a conventuali distinctam (1), et quartam ejus partem in ecclesiæ necessitates, aut in pauperum alimenta conferre debent (2). In Gallia coguntur sacros ordines suscipere; similiter in Italia aliisque regionibus ad sacros capiendos ordines et ad assiduam quoque moram adiguntur, ubi commendis animarum cura, vel monachorum, vel sæcularium adjuncta sit (3). Semper autem beneficia commendata pristinam retinent naturam suam, quamquam longo usu iis concedantur, qui ejusdem ordinis, atque instituti ac veri titulares non sunt (4).

(1) Greg. XIII *const. Superna* 28 §. 9 *bullar. tom.* 4 *p.* 3 *pag.* 275. Quæ constitutio quamquam loquatur de monasteriis Ordinis Cisterciensis: « Tamen conveniens est, inquit Fagnan. *in c.* 21 *de rescr. n.* 2. ut servetur etiam in aliis ordinibus monachorum. »

(2) Id vero pertinet ad monasteria commendata, quæ mensam habent separatam; nam cum communis mensa est, dari debet tertia pars omnium fructuum monasterii commendati pro omnibus illis *oneribus supportandis et sustentatione monachorum*, ut inquit Leo X *const. Supernæ* 8 §. 10 *bullar. tom.* 3 *par.* 3 *pag.* 396 *ed. cit.*

(3) Consule Fagnan. *in cap.* 1 *de Capel. monach.* 1 *num.* 1 *et seq.*, qui recte animadvertit, quod residentiæ lege tenetur sacrosque ordines suscipere debet Commendatarius, cum ad ipsum, non item cum ad monasterium et conventum cura animarum pertinet. Vide etiam Gallemart *adnot. ad conc. Trid. sess.* 6 *cap.* 2 *de reform.*

(4) Vide Fagnanum *loc. cit. num.* 16.

SECTIO IV.

De Pensionibus ecclesiasticis.

XXX. Pensio quid?
XXXI. Quis pensionem constituat?
XXXII. Pensio realis et personalis.
XXXIII. Quibus de causis pensiones imponantur?
XXXIV. Quæ beneficia pensionibus non subjiciantur et quis eas habere possit?
XXXV. Quomodo pensio extinguatur.

§. XXX.

Pensio in re canonica est certa pars redituum, qui ex alieno beneficio detrahuntur, atque alicui clerico, justa de causa et legitima auctoritate, assignantur. Antiquissima est origo pensionum et earum in Chalcedonensi (1) atque Ephesino concilio (2) exempla sunt. Nam æquum judicarunt Patres, ut clerici pauperes, qui justis de causis ecclesiæ suæ non deservirent, ex ecclesiasticis bonis alimenta obtinerent.

(1) Conc. Chalced. *act.* 10, 12 *tom.* 2 *col.* 544, 562 *coll.* Hard.

(2) Conc. Ephes. *act.* 7 *ep. ad syn. Pamphil. tom.* 1 *col.* 1625 *coll. ejusd.* Alia etiam occurrunt exempla pensionum, quæ concessæ sunt episcopis vel senio confectis, vel hostium impetu sede pulsis, vel clericis in monasterium ad agendam pœnitentiam conjectis, apud S. Greg. M. *lib.* 5 *ep.* 55, *lib.* 5 *ep.* 12, *lib.* 13 *ep.* 5 *col.* 665, 737, 1218 *tom.* 2, et apud Jo. Diaconum *in ejus vit. lib.* 3 *cap.* 27, *et lib.* 4 *c.* 39 *col.* 97 *et* 152 *tom.* 4 *opp. ejusd. S. Greg. M. ed. cit.*

§. XXXI. Initio pensiones detrahebantur ex ecclesiæ reditibus, qui in unam arcam confluebant, ideoque episcopus poterat, cum justa adesset causa, ex communi ærario horum redituum partem decerpere eamque clericis non servientibus assignare. At insti-

tutis beneficiis et singulis adscriptis reditibus suis, jus constituendarum pensionum ad unum Rom. Pontificem delatum est. Cum enim per pensiones beneficia scindantur, aut iis onus imponatur, quod utrumque sacris canonibus vetitum est (1); necessario requiritur auctoritas summi Pontificis, qui relaxatis canonibus pensiones constituat.

(1) *Cap.* 8 *de Præb.*; *cap.* 7 *de Censib.*

§. XXXII. Nunc igitur ab uno Rom. Pontifice pro ampla illa, qua in ecclesia pollet, auctoritate pensiones imponi possunt. Haud tamen desunt, qui etiam episcopo hanc potestatem adscribunt (1); sed omnes inter pensionem a Pontifice atque ab episcopo impositam magnum discrimen faciunt. Nam pensio Pontificis ipsi hæret beneficio, cum quo transfertur ad omnes ejus possessores; at episcopi pensio solum afficit beneficiarium, cujus obitu extinguitur (2).

(1) Consule Vallensem *de Benef. lib.* 4 *tit.* 2; Garciam *de Benef. par.* 1 *c.* 5 §. 2, et Fagnan. *in cap.* 21 *de Præb. n.* 14 *et seq.*, qui late ac diligenter totum hoc argumentum persequitur.

(2) Monet tamen Fagnan. *loc. cit. num.* 31, quod « Quidquid de jure sit, usus sedis Apost. ubique receptus habet, ut pensiones a solo Pont. imponantur. »

§. XXXIII. Justis autem de causis pensiones imponuntur, veluti si beneficium sit litigiosum, ita ut inter duos de eo litigantes concilianda concordia sit (1); si illud permutetur aut resignetur (2); si clericus de ecclesia sua bene meritus, aut inops sit, aut mala valetudine laboret; denique clerico ecclesiæ utili pensio conceditur, ut inde honeste vivat. Pensio moderata esse debet, ut beneficiario supersint reditus, cum quibus vitam traducere possit ac præterea beneficii onera sustinere. Hinc in beneficiis, ex quibus pensio-

nes detrahuntur, sola tertia, aut dimidia fructuum pars a Pontifice reservari solet (3).

(1) *Cap.* 21 *de Præb.*; *cap.* 5 *de Transact.*
(2) *Cap.* 4 *de Cleric. ægrot. vel debil.*; *cap.* 6 *de rer. perm.*
(3) Consule Fagnan. *in cap. Nisi essent de Præb. num.* 27.

§. XXXIV. Cathedrales ecclesias, quæ annuos ducatos mille, et parochiales, quæ centum suis fructibus non superant, Trid. synodus pensionibus onerari vetat (1). Sed nunc in parochiis omnibus indiscriminatim pensiones non imponuntur, ut parochus integros habeat reditus, cum quibus pauperibus opem ferre possit (2). Quamquam autem pensiones proprie beneficia non sint, tamen beneficii loco sunt, quoniam ex ecclesiasticis bonis decerpuntur, et ideo non nisi clericis dantur (3), ac per matrimonium amittuntur, nisi quem sedes Apostolica lege solverit (4). Porro clerici pensione ditati officium B. Virginis quotidie recitare debent (5).

(1) Conc. Trid. *sess.* 24 *cap.* 13 *de reform.*
(2) Ben. XIII *const. Quanta* apud Ferrarium *bibl. verb. Pensio*, qua porro constitutione confirmatum est edictum, quod pridem Innoc. XII ea de re emiserat.
(3) S. Pius V *const. Sacrosanctum* 98 *tom.* 4 *par.* 3 *pag.* 58 *bullar.*, et Sixtus V *const. Cum sacrosanctam* 141 §. 2 *tom.* 5 *par.* 1 *pag.* 43 *ejusd. ed. Rom. ult.*
(4) Sunt qui privilegio sedis Apost. ecclesiasticas pensiones retinent, quamquam uxorem habeant et quamquam clericali tonsura insigniti non sint. Consule Ferrar. *bibl. V Pensio.*
(5) S. Pius V *const. Ex proximo* 186 §. 1 *tom.* 4 *par.* 3 *cit. bullar. pag.* 130.

§. XXXV. Pensio tanquam usufructus extinguitur morte clerici, qui ea vivens fruebatur; nisi ipse a sede Apostolica in alium transferendæ pensionis facultatem obtinuerit. Quo privilegio fruuntur cardinales et alii, quibus illud a summo Pontifice datum est;

et hi quidem non integram pensionem, sed dimidiam ejus partem in alium transferre possunt (1). Tollitur etiam pensio per redemptionem, quæ fit repræsentatis, hoc est mature factis, aliquot annuis pensionum solutionibus; sed ea in re summi Pontificis auctoritas necessaria est (2). Denique pensio amittitur religionis professione, matrimonio, degradatione, crimine hæresis, aut læsæ majestatis, ceteris fere modis, quibus beneficia amittuntur (3).

(1) Innoc. XI *const. Circumspecta* 32 *tom.* 8 *bullar. pag.* 43.
(2) Verum intra sex menses post captam beneficii possessionem redimi ac deleri pensiones vetat Ben. XIV *const. In sublimi* 30 *tom.* 1 *bullar. pag.* 43 *ed. Romæ seu Ven.* 1754.
(3) Cabassut. *Theor. et prax. Jur. can. l.* 2 *c.* 14 *n.* 15 *seq.*

SECTIO V.

De adipiscenda Beneficiorum Possessione.

XXXVI. Beneficii possessio capienda.
XXXVII. Juramentum a beneficiario præstandum.
XXXVIII. Regula *de annali possessore.*
XXXIX. Regula *de triennali possessore.*

§. XXXVI.

Satis non est, aliquem beneficium obtinuisse, nisi is etiam ejus possessionem adipiscatur, ut fructus capiat suosque faciat. Generatim qui beneficium conferendi, is etiam possessionis tradendæ jus habet; sed hoc plerumque alteri committi solet, et olim quidem ad archidiaconum pertinebat (1). Cum possessio traditur, externa quædam adhibentur signa, quibus ea

significatur. Ita ex. gr. Canonici accepto libro, pulsato tintinnabulo, ceterisque similibus signis, parochi autem possessionem capiunt, cum ecclesiam ingrediuntur.

(1) *Cap.* 7 *de Offic. Archidiac.*

§. XXXVII. Qui possessionem tribuit merus minister est, qui rem totam gerit collatoris jussu et auctoritate. Quare hoc tantum curat, ut collationis litteræ exitum consequantur; neque ejus est judicare, num clericus beneficio donatus eo sit revera dignus, an secus; nisi hoc forte negotium ei commissum fuerit, quia tunc non nisi re cognita beneficii possessio danda est (1). Capta possessione, qui beneficium obtinuerunt cum cura animarum, intra duos saltem menses coram episcopo, aut ejus vicario generali fidei professionem per semetipsos emittere debent (2); aucti vero canonicatu, aut dignitate in ecclesia cathedrali, non solum coram episcopo, aut vicario generali, sed etiam coram capitulo idem præstant (3). Nisi id fiat, inutilis possessio est, neque fructus quis facit suos.

(1) Huc spectant litteræ *in forma dignum*, aut *in forma commissoria*, de quibus actum est *tit.* 5 *sect.* 2 §. 42 *pag.* 289. Vide etiam Garciam *de Benefic. par.* 2 *cap.* 3 *num.* 1 *et seq.*

(2) Fidei professio per procuratorem emitti non potest; qua in re emendandus est error illorum, qui id per procuratorem fieri posse arbitrantur. Consule Ben. XIV *Instit.* 60 §. 3, et Girald. *exposit. Jur. Pont. par.* 2 *sect.* 136 *pag.* 1011.

(3) Conc. Trid. *sess.* 24 *cap.* 12 *de reform.;* Pius IV *const. In sacrosancta* 102 *et const. Injunctum* 103 *bullar. tom.* 4 *p.* 201 *et* 204. Canonici collegiatarum ecclesiarum hujus faciendæ professionis nulla lege obstringuntur; sed tamen etiam hi pluribus in locis vel peculiari lege, vel consuetudine hanc professionem emittunt. Sic in locis, ubi obtinet concil. Rom. habitum a Ben. XIII an. 1725, multi sunt, qui ea lege tenentur. Confer Giraldum *loc. cit.*

§. XXXVIII. Illud in primis efficit capta possessio, ut qui eam anni spatio retinuit, is inde dimoveri, aut beneficium alteri, qui illud impetrarit, adscribi nequeat, nisi primum lis petitorio judicio finita sit. Quod jus constituit *regula* 35 *cancellariæ*, quæ vulgo dicitur *de annali possessore* et quæ duabus constat partibus. Nam sancitum est primum, ut qui beneficium impetrat, quod alter per annum tranquillo et quieto animo retinuit, significare debeat nomen et gradum possessoris, proferre causam apertam et perspicuam, propter quam ei retinendi beneficii jus esse negat; temporis, quo in ea possessione versatus est, cursum ostendere; deinde ut intra sex menses possessorem in judicium vocet et causam intra annum usque ad sententiam persequatur (1).

(1) Consule Rigantium *ad hanc. regul.* 35.

§. XXXIX. Est et alia regula de *triennali possessore*, quæ inter regulas Cancellariæ est 36 numero, atque in re beneficiaria quadragenariæ præscriptionis vice fungitur. Ea vero cautum est, ut qui procul a labe vitioque simoniæ triennii spatio beneficium obtinuit quovis titulo, etiam *colorato*, ut vocant, is nullis amplius molestiis affici, neque a possessione dimoveri possit, atque omnes ejus beneficii *impetrationes*, quas dicunt, irritæ habeantur. Quæ triennalis possessio ut tantum valeat, capta esse debet, eaque ut explorata sit, satis est ostendere possessionem, quam quis revera adeptus est. Nam qui illam semel apprehendit ac post triennium retinet, in ea semper perseverasse censetur, nisi secus ostendatur (1).

(2) Vide etiam Rigantium *ad. regul.* 36.

TITULUS XV.

De Censibus, Exactionibus et Procurationibus.

I. Census quid?
II. Quando census ab episcopo constituatur?
III. Cathedraticum.
IV. Subsidium charitativum.
V ad VIII. Procuratio.
IX. Portio canonica.

§. I.

Non solis aluntur clerici beneficiorum fructibus, sed et alia habent emolumenta aliasque obventiones, quibus fruuntur, ut honeste ac decenter vivant. Eorum quædam ad episcopos, quædam ad ceteros clericos pertinent. Proprii sunt episcoporum census, quorum nomine hoc loco intelligitur certa vis pecuniæ, quæ ex reditibus ecclesiasticis solvenda est.

§. II. Porro episcopus in ecclesia recens fundata et dotata, cum eam consecrat, censum constituere potest, consensu accedente fundatoris (1), vel patrono reservare (2), idemque recte præstat, cum annuente capitulo ecclesiam piis locis concedit, aut subtrahit a jurisdictione sua (3). Generatim tamen ædificata et consecrata ecclesia, nefas est aut veterem augere censum, aut novum imponere; nisi primum Apostolicæ sedis venia impetrata sit (4).

(1) *Can.* 30 *c.* 18 *q.* 2, *c.* 16 *de Cens. exact.*, ibiq. Glossa.
(2) *Cap.* 23 *de Jurepatr.* (3) *Cap.* 6 *de relig. domib.*
(4) Onus, quod etiam mortuo beneficiario maneat, sine venia summi Pontificis imponi nequit. Eamdem hanc veniam pro onere temporario requiri, tradit Girald. *l.* 3 *t.* 39 *sect.* 584 *pag.* 597.

§. III. Præter censum, alia etiam episcopi tributa

exigunt a clericis et ecclesiis suæ diœceseos, quæ tributa vel ordinaria vel extraordinaria sunt. Ordinarium tributum est Cathedraticum aut Synodaticum, quod a singulis ecclesiis quotannis solvitur in signum subjectionis et honorem cathedræ episcopalis (1). Penditur in synodo cathedraticum, unde factum est Synodatici nomen (2), et penduntur duo solidi (3) ab ecclesiis omnibus et clericis, qui episcopo subjecti sunt (4).

(1) Cathedraticum, de quo hoc loco agimus, confundi non debet cum eo munere, tributo, seu pastello, quod olim in ordinatione dari solebat, quodque vehementer improbat Greg. M. in synodo Roman. *tom.* 3 *coll.* Hard. *col.* 497, et conc. Trid. *sess.* 21 *cap.* 1 *de reform.* Hoc quoque interdum dicitur cathedraticum, uti observant Gonzalez *in c. Conquerente de Offic. ord. in fin.* et Christ. Lupus *in Schol. et not. ad can. Concil. tom.* 2 *cap.* 3 *pag.* 39 *ed. Ven.* 1724. Quæ nominis similitudo quosdam in eum errorem induxit, ut crederent generatim cathedraticum a sacris canonibus improbari. Verum certa illa pensio, quam proprie cathedraticum dicimus, quæque episcopo singulis annis persolvitur non propter ordinationem, sed in subjectionis signum et honorem cathedræ episcopalis, nunquam a sacris canonibus vetita fuit, imo ejus antiquissimus est et ecclesiæ probatus usus. Id testatissimum faciunt conc. Bracar. II *can.* 2, et Tolet. VII *cap.* 4 *tom.* 3 *coll.* Hard. *col.* 386 *et* 622 *ed. Paris.;* Alexand. III *in cap.* 9 *de Censib.;* Honor. III *in cap.* 16 *de Offic. judic. ordin.;* Arnoldus abbas Lubecensis, qui in Chronico Sclavorum *lib.* 3 *cap.* 21 *pag.* 670 *inter scriptores Brunsvicen. tom.* 2 *ed. Hanover.* 1705 narrat, Hartwicum archiep. Bremensem, cum gravi premeretur inopia, ex solo cathedratico vitam traduxisse. In concilio Ravenn. an. 997 *can.* 2 *tom.* 6 *col.* 753 *coll.* Hard. sancitum est, ut quovis anno, die S. Vitali sacro, omnes archipresbyteri censum episcopo solverent duorum solidorum, atque hunc censum fuisse cathedraticum, ostendit Thomass. *vet. et nov. eccl. disc. par.* 3 *l.* 2 *c.* 34 *n.* 5. Mitto cetera monumenta, quæ multa sunt, et ex quibus patet antiquissimum esse cathedraticum ac semper sacris canonibus probatum fuisse. Conc. Trid. *sess.* 24 *cap.* 3 *de reform.* quamquam novas exactiones episcopis interdixerit, non ideo sustulit jus cathedratici, modo non in visitatione, ubi quidvis exigi concilium vetuit, sed vel in synodo, vel alio tempore solvatur; atque ita respondit Sac. Congregatio concilii, cujus decretum late exornat

Fagnan. *in c. Conquerente num.* 48 *et seq. de Offic. ordinar. et in cap. Venerabili n.* 16 *et seq. de Censib.* Hinc S. Car. Borr., qui Trid. concilii decreta diligentissime custodiebat, firmam ratam esse voluit cathedratici solvendi legem, *act. eccles. Mediol. par.* 2 *pag.* 346, atque idem constitutum est a synodo Bituric. an. 1584 *tit.* 3 *can.* 7 *tom.* 10 *coll.* Hard. *col.* 1492.

(2) Synodaticum episcopo, cum diœcesim lustrabat, interdum solutum patet ex duobus conciliis Bracar. II, et Tolet. VII, quorum paulo ante facta mentio est. Sed fere ubique solvebatur in synodo, quæ cum plerumque post pascha haberetur, hinc ea solutio quandoque *Paschalis* est appellata, uti monet Cironius *Paratitl. ad decretal. lib.* 3 *tit.* 39 *num.* 10 *tom.* 1 *pag.* 315 *ed. Vindob.* 1761. Sed, ut plurimum, a synodo ea præstatio vocata est synodaticum, interdum etiam dicta *synodus*, uti constat ex conc. Tolosano *cap.* 10 *tom.* 6 *par.* 1 *coll.* Hard. *col.* 1045, atque ex Fulberto Carnotensi *epist.* 58 *Bibl. PP. tom.* 18 *pag.* 18 *ed. Lugd.;* quamquam a synodatico distingui *synodus* videtur in *indice ms. beneficiorum ecclesiæ Constant.* apud Du Cange *Glossar. verb. Synodaticum.* Cum autem synodaticum in synodo persolvatur, quæri potest, num pendi debeat illis quoque annis, quibus synodus non habetur. Pluries de hac re quæsitum est coram Sac. Congr. concilii, eaque semper respondit, cathedraticum, etiam non habita synodo, singulis annis esse solvendum; et vero *in Amalphitana Cathedratici* 5 *Sept.* 1705 *et* 26 *Febr.* 1707 *et in Cassanen.* 21 *Mart.* 1735 *lib.* 55 *decret. pag.* 326, *et lib.* 57 *pag.* 68 *et lib.* 85 *pag.* 188, nullo habito respectu ad synodum, cathedraticum a die adeptæ possessionis episcopo solvi voluit. Quod idem antea constituerat syn. Avenion. an. 1636 *cap.* 11, et altera similiter Avenion. syn. habita Alano episc. *tom.* 4 *Anecdot. col.* 575 *cap.* 11 *et* 580 *cap.* 15 *ed. Paris.* 1717, ubi statutum est, ut non solum ejus anni synodaticum, sed etiam *arreragia temporis jam lapsi* episcopo solverentur. Diuturna tamen ac legitime inducta consuetudine fieri potest, ut non nisi in synodo cathedraticum persolvatur. Quamquam enim ejus solutionis onus consuetudine prorsus tolli ac deleri nequeat, ut scilicet semper exstet monumentum honoris debiti cathedræ episcopali; tamen cum hic honos maneat, etiamsi illud non solvatur annis singulis, recte in consuetudinem induci potest, ut tantum, cum synodus habetur, cathedraticum pendi debeat. Consule Bottum *synod. p.* 3 *num.* 89 *et seq.*, et Massobrium *de Synod. cap.* 4 *dub.* 33 *et* 34.

(3) Duos solidos propter cathedraticum unoquoque anno solvi jubent Conc. Bracar. II, et Tolet. VII *loc. cit.*, atque Honor.

III *in cit. cap.* 16 *de Offic. jud. ordin.* Verum cum solidi pretium non semper idem, nec ubique fuerit, uti late inter ceteros ostendunt Jacob. Gothofredus *in cod. Theodos. L. unic. lib.* 7 *tit.* 24 *tom.* 2 *pag.* 459 *et seq., et lib.* 12 *tit.* 7 *tom.* 4 *pag.* 597 *ed. Lips.* 1737, et PP. Maurini *in addit. ad Glossar. Du Cange verb. Solidus:* cum item incertum sit, aureusne, an argenteus esset, et quanti valeret solidus Lucensis, quem memorat Honor. III *in cit. cap.* 16, hinc quæsitum est, quæ nunc propter cathedraticum moneta pendenda sit. Synodus Rom. habita anno 1725 a Ben. XIII, singulis solidis pretium attribuit unius aurei Monetæ Rom., et ideo propter cathedraticum solvi jubet viginti julios ejusdem monetæ quamquam non integri solidi a singulis beneficiariis pendendi sint, sed ratione habita redituum beneficiorum, servatoque modo, qui in ea synodo constitutus est. Verum provinciale hoc concilium tantum in Romana provincia legem facit. Itaque cum nihil certi ea de re sit a Jure constitutum, ex receptis populorum moribus et locorum consuetudine cathedraticum episcopo solvendum æstimandum est.

(4) Pendendum est cathedraticum a quibuscumque parochiis, beneficiariis et ecclesiis sæcularibus, non item regularibus, quæ monasteriis conjunctæ sunt, in quibus regulares divina officia peragunt. Nam hæ solvendi cathedratici onere non tenentur, *can. Inter cetera* 8 *cap.* 10 *qu.* 3 *et can. Quam sit cap.* 18 *qu.* 2. Sodalitia vero laicorum, quæ confraternitates dicuntur, episcopi auctoritate instituta, si propriam habeant ecclesiam, non item si tantum capellam, aut altare in aliena ecclesia habeant, cathedraticum pendere oportere, respondit Sac. Congr. concilii *in Firmana Cathedratici* 24 *Jul.* 1734 *et in Urbevetana Cathedratici* 20 *Mart.* 1745. Similiter *in Maceraten. Cathedratici* 29 *April.* 1731 definitum est, ex omnibus quotquot sunt, beneficiis, etiam simplicibus, solvendum esse cathedraticum, exceptis tantum capellaniis laicalibus et ad nutum amovibilibus. Quod si plures clerici, qui uni et eidem ecclesiæ addicti sunt, communem habeant massam, non singuli discretam atque distinctam præbendam, unum tantum ex ea massa cathedraticum esse solvendum, statuit concilium Som. anni 1725 *tit.* 8 *cap.* 4.

§. IV. Extraordinarium tributum est subsidium charitativum, scilicet pensio; quam episcopus charitatis nomine exigit a clericis et ecclesiis sibi subjectis (1), ad periculum aliquod depellendum gravemque necessitatem evitandam (2). Justa autem et gravis causa

requiritur, ac præterea capituli consensu opus est, ut recte hoc subsidium ab episcopo indicatur (3). Sed nunc, saltem in Italia, jus viget ab Innocentio XI constitutum, quo sancitum est, ut semel tantum episcopus, videlicet in primo ingressu suo, hoc subsidium exigat et vero tantum accipiat, quantum antea per annos quadraginta dari consuevit (4). Quare si qua postea gravis exoriatur causa, quæ subsidium flagitet, sedis Apostolicæ venia opus est (5).

(1) Subsidium hoc, uti etiam cathedraticum, ex lege diœcesana procedit, et ideo regulares ac ceteri, qui exempti sunt, illius solvendi onere non tenentur, uti ostendit Girald. *expos. Jur. Pont. par.* 1 *l.* 3 *decretal. sect.* 583 *pag.* 397.

(2) Conc. Lateran. III *can.* 4 *tom.* 6 *par.* 2 *col.* 1675 *coll.* Hard., *cap.* 16 *de Offic. judic. ordin.*

(3) *Cap.* 6 *de Cens. exact.* Consule Girald. *loc. cit.*

(4) Innoc. XI *const.* 45 §. 10 *bullar. tom.* 8 *pag.* 61. Vide eumdem Giraldum *loc. mox cit.*

(5) Confer Gaudent. *l.* 1 *de Vis. Prælat. eccles. d.* 6 *n.* 18.

§. V. Pertinet quoque ad episcopum procuratio, quæ ei tribuitur alimentorum nomine, cum diœcesim visitat (1). Debent enim episcopi singulis annis vel per se ipsos, vel legitime impediti per vicarium generalem, aliumve virum idoneum diœcesim visitare, totumque negotium saltem intra biennium absolvere, cum ita late patet diœcesis, ut uno anno universa lustrari non possit. Quo in munere curandum est diligenter, ut ubique christiana religio integra observetur, pravique emendentur mores et quidquid mali irrepsit, avertatur (2).

(1) *Cap.* 6 *et* 23 *de Cens. exact.*

(2) Conc. Trid. *sess.* 24 *cap.* 3 *de reform.*

§. VI. Cum autem æquum sit visitationem fieri sumptibus eorum, qui visitantur, inducta est procuratio, quæ comprehendit hospitium, alimenta, cetera

necessaria (1), aut etiam certam vim pecuniæ, quæ nunc sponte data illorum loco accipi potest; modo sit una procuratio, cum plura eadem die loca lustrata sunt (2). Cavendum vero est episcopis, ne inutilibus sumptibus graves sint ecclesiis, quas visitant, et ideo modesto comitatu contenti esse debent (3); et si pluries intra annum eamdem ecclesiam visitaverint, nonnisi unam procurationem accipiunt (4).

(1) *Cap.* 6 *et* 23 *de Cens. exact.*

(2) *Cap.* 2 *et* 3 *de Censib. in* 6. Ita a Bonif. VIII abrogatum est jus antiquum in *cap.* 1 *eod.*, quod procurationis causa pecuniam accipere vetabat. Eadem hæc optio dandi pecuniam loco victualium permissa est a conc. Trid. *sess.* 24 *cap.* 3 *de ref.*

(3) Conc. Lateran. *in cap.* 6 *de Cens. exact.* præfinivit numerum equorum, quibus episcopi diœcesim visitantes pro suo comitatu uti possunt; sed eo nunc indiscriminatim uti nequeunt, quod recte monet Giraldus *expos. Jur. Pont. par.* 1 *l.* 3 *tit.* 39 *Decretal. sect.* 583 *pag.* 3 *et* 6. Synodus Trid. *sess.* 24 *cap.* 3 *de reform.* generatim statuit, ut episcopi modesto equitatu et famulatu contenti visitationem quam celerrime expediant. Et licet definitus non sit evectionum ac dierum numerus, intra quem visitationem perficere oportet, tamen Sac. Congr. concilii id totum visitantium conscientiæ et prudentiæ reliquit, uti ostendit Giraldus *loc. cit.*

(4) Consule Ben. XIV *de Syn. diœces. lib.* 10 *cap.* 10 §. 6.

§. VII. Danda est procuratio non solum episcopo aut alteri, qui ejus loco diœcesim lustrat, sed etiam vicario capitulari, cui post annum a die postremo habitæ visitationis diœcesim visitare licet (1); et datur ab omnibus, qui visitantur; non tamen ab ecclesiis civitatis, in qua episcopus assidue commoratur (2), neque item ex privatis oratoriis, quæ in monachorum granciis sita sunt (3). Subsunt autem episcopi visitationi ecclesiæ omnes, etiam exemptæ, atque etiam regulares, quæ conjunctam habent curam animarum (3), itemque commendata monasteria, abbatiæ, prioratus, præposituræ, ubi non viget observantia

regularis; præterea beneficia tam curata, quam non curata, sæcularia et regularia, qualitercumque commendata etiam exempta (5); parochiales annexæ ordini Hierosol. (6), hospitalia, nisi sub immediata regum protectione sint (7). Nam quæ episcopus ordinario jure visitare non potest, qualia sunt loca exempta, ea visitat jure delegato.

(1) Vide Ben. XIV *loc. mox indic.*
(2) Consule Fagnan. *ad cap.* 15 *de Cens. exact.*, et Girald. *expos. Jur. Pont. par.* 1 *l.* 3 *decr. tit.* 39 *pag.* 403.
(3) *Cap.* 27 *de Cens. exact.* Quæ decretalis consensu omnium interpretum Juris can. ad quæcumque privata oratoria traducitur, uti testatur Fagnan. *in cit. c.* 27.
(4) Conc. Trid. *sess.* 25 *de regul. cap.* 11; Greg. XV *const. Inscrutabili* 50 §. 4 *bullar. tom.* 5 *par.* 5 *pag.* 1.
(5) Conc. Trid. *sess.* 7 *cap.* 8, *et sess.* 21 *cap.* 8 *de ref.* Vide etiam ea de re decr. *Ut in parvis* 184, Innoc. X *bullar. t.* 6 *par.* 3 *pag.* 270.
(6) S. Pius V *const. Exposcit* 187 *bull. par.* 3 *t.* 4 *p.* 180.
(7) Conc. Trid. *sess.* 22 *cap.* 8 *de reform.*

§. VIII. Visitantur etiam ab episcopo quotannis monasteria monialium (1); sed tunc nullam ipse procurationem accipit, nisi quod in earum ecclesiis beneficium sit (2).

(1) *Clem.* 2 *de Stat. monach.*, conc. Trid. *sess.* 25 *cap.* 9 *de regul.* Late hoc argumentum persequitur Girald. *expos. Jur. Pont. par.* 1 *lib.* 3 *decr. tit.* 35 *sect.* 562 *pag.* 372 *et seq.*
(2) S. Congr. concilii *in Volaterrana* 12 *Nov.* 1638 *lib.* 16 *decret. pag.* 106.

§. IX. Denique episcopus jure decretalium habet portionem canonicam, scilicet quartam partem earum rerum, quæ ecclesiæ, aut alii pio loco relinquuntur (1). Sed hodie fere ubique hæc portio consuetudine sublata est, cum non amplius episcopi gravi illa premantur inopia, cujus gratia initio ea concessa fuit.

Si qua tamen regio est, in qua portio canonica adhuc obtinet, non eam pendunt loca pia et monasteria exempta, quoniam soluta sunt lege diœcesana, unde illa procedit (2); neque penditur ex piis legatis, quæ pro anniversario, pro ecclesiæ fabrica ceterisque similibus relicta sunt (3).

(1) *Cap.* 14 *de Testam.*
(2) Consule Girald. *loc. cit. tit.* 27 *sect.* 481 *p.* 515.
(3) *Cap.* 20 *de Testam.*

TITULUS XVII.

De Decimis.

I. Clericorum obventiones et emolumenta.
II. Decimæ quo jure apud christianos debitæ?
III. Quando solvi cœptæ?
IV. Prædiales, personales, mixtæ.
V. Earum discrimen.
VI. Consuetudo præsertim in decimis spectanda.
VII. Cui solvendæ decimæ?
VIII. Decimæ an a laicis accipi possunt?
IX. A quibus solvendæ decimæ?

§. I.

Nunc ad ea transgredimur, quæ ceterum clericorum propria sunt; et huc spectant decimæ, primitiæ, oblationes, quotidianæ distributiones, quæ ordinariæ, quæque extraordinariæ vocantur, voluntariæ denique, et honorariæ largitiones pro benedictionibus, sacrificiis, sacramentis, aliisque bonis christiano populo tribuendis. Non omnibus quidem omnes clerici fruuntur, sed alii aliis, pro emolumentorum clericorumque discrimine.

§. II. Apud Hebræos Levitis et Sacerdotibus Divina lege debitas fuisse decimas, hoc est decimam partem

fructuum terræ et pecudum, inter omnes constat (1). Jure Evangelico ad alendos clericos nullæ inductæ sunt decimæ; tantum christiani jubentur ecclesiæ ministris præbere necessaria ad vitam honeste ac decenter traducendam (2). Itaque Divini quidem juris est, quod iis, qui altari ministrant, necessaria vitæ subsidia præbeantur; non item quod ea de causa detur decima pars fructuum terræ et hoc quidem modo decimæ ad jus Divinum referri non possunt (3). Nam ecclesia constituit modum, quo ejus ministri alendi sunt; nihil autem interest, sive id per decimas, sive per alias præstationes fiat.

(1) Prima, quæ in sacris libris occurrunt, decimarum exempla, sunt Abrahami decimæ e manubiis omnibus devictorum ab eo regum, quæ ipse sacerdoti Melchisedecho persolvit *Gen. XIV v.* 20. Imitatus hanc avi pietatem Jacob, omnium, quæ sibi in Mesopotamia acquirenda essent, decimas Deo offerendas vovit *Genes. XXVIII v.* 22, quam fidem ab itinere reducem liberasse nemo dubitat. Denique Mosaica lege *in Levit. XXVI v.* 30 jussi sunt Hebræi decimas persolvere, et tunc quidem decimæ levitis et sacerdotibus Dei mandato deberi cœptæ sunt.

(2) Matth. *X* 10; Luc. *VIII* 3; *X* 7; 1 *Cor. IX* 7-14.

(3) Divinum præceptum solvendarum decimarum morale fuisse nonnulli existimant, unde conficiunt nunc etiam divina lege a christianis decimas esse solvendas. Rectius S. Th. 2. 2 *qu.* 87 *art.* 1, decimas divino jure a christianis debere affirmat, si earum nomine comprehendimus alimenta, quæ clericis debentur; negat autem, si eo vocabulo decimam illam partem fructuum et redituum intelligimus. « Sic ergo patet, inquit, quod ad solutionem decimarum homines tenentur, partim quidem ex jure naturali, partim etiam ex institutione ecclesiæ. Quæ tamen pensatis opportunitatibus temporum et personarum, posset aliam partem determinare. » Et merito a conc. Constant. *sess.* 8 *pag.* 300 *tom.* 8 *coll.* Hard. damnatus est articulus 18 Jo. Wiclefi ajentis, quod « Decimæ sunt puræ eleemosynæ, et parochiani possunt propter peccata suorum prælatorum ad libitum suum auferre eas. » Nam decimæ, tamquam alimenta ecclesiæ ministris debita, ab ipso divino jure procedunt. Consule Bellarm. *de Cleric. lib.* 1 *c.* 25 §. *Quod non sit morale, opp. tom.* 2 *p.* 157 *ed. Venet.* 1721; Gonzalez *in cap.* 32 §. 1 *de Decim.*; Cotel. *in Const. Apost. lib.* 2 *cap.* 35 *not.* 1 *tom.* 1 *pag.* 248 *edit. Amst.*

§. III. Hinc prioribus ecclesiæ sæculis neque christiani decimas solvebant, neque ulla lex erat, quæ hanc solutionem imperaret (1). Clerici vivebant ex oblationibus, quas fideles sua sponte in ecclesiam conferebant; adeo ut nihil opus esset decimas indicere, ut ex iis clerici victum et cultum obtinerent. Imminuta fidelium largitate, cum non omnia ecclesiæ ejusque ministris sponte a fidelibus præberentur, institutæ sunt decimæ, tum Patrum hortationibus (2), tum ecclesiæ legibus (3), quibus eas christiani solvere jussi sunt.

(1) Cypr. *de Unit. eccl. pag.* 85 *ed. Amst.* 1700 diserte testatur, nullas sua ætate decimas fuisse solutas; et *ep.* 1 *pag.* 170 de Hebræorum decimis disserens, « Quæ nunc ratio, inquit, et forma in clero tenentur, ut qui in ecclesia Domini ordinatione clericali promoventur, in nullo ab administratione divina avocentur, nec molestiis et negotiis sæcularibus alligentur, sed in honore sportulantium fratrum, tamquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari et sacrificiis non recedant. » Quo ex loco perspicuum est, ætate Cypriani *sportulas* dicimarum locum obtinuisse. Idem etiam deprehendi potest ex Origine *hom.* 11 *in Num. n.* 2 *pag.* 305 *tom.* 2 *edit. Paris.* 1733. Adde altum, quod tribus prioribus sæculis de solvendis decimis, ubique silentium est.

(2) Audiendi sunt auctor *const. Apost. l.* 7 *cap.* 29, *et l.* 8 *cap.* 20, apud Cotel. *PP. Apost. tom.* 1 *pag.* 375 *et* 416 *ed. ctt.;* Hier. *in Malach. cap.* 3 *v.* 7, 8 *et seq. col.* 978 *et seq. t.* 6 *ed. Ver.;* Aug. *Comm. in ps.* 146 *n.* 17 *t.* 5 *col.* 1648 *ed. Ven.;* Chrys. *hom.* 4 *in ep. ad Ephes. tom.* 11 *pag.* 31 *edit. Paris.* 1734.

(3) Conc. Matiscon. II *can.* 5 apud Labb. *tom.* 6 *col.* 674 *seq.;* Cabilon. II *can.* 19 *t.* 9 *col.* 363; Turon. an. 813 *can.* 16 *et* 251 *ib.;* Mogunt an. 888 *can.* 13 *tom.* 11 *col.* 586. Confer etiam Capitularia regum Franc. *capit. de Part. Saxon. cap.* 16 *et* 17, apud Baluz. *tom.* 1 *col.* 183, *et capit. an.* 804 *cap.* 2 *col.* 291 *ed. Venet.* 1772.

§. IV. Jam vero decimæ vel prædiales, vel personales, vel mixtæ sunt. Prædiales debentur ex fruc-

tibus, sive reditibus prædiorum tum urbanorum, tum rusticorum; et harum quidem aliæ majores, aliæ minores et minutæ, aliæ novales appellantur. Majores sunt, quæ ex frumento, vino, fœno aliisque uberioribus fructibus; minores, quæ ex leguminibus et oleribus; novales (1), quæ penduntur ex prædiis, quæ recenter ad culturam redacta sunt, cum antea frugifera non essent. Personales (2) solvuntur ex rebus, quas sibi quisquis acquirit opera et industria sua, veluti ex lucro honestæ negotiationis, militiæ, venationis. Mixtæ denique partim prædiales sunt et partim personales, quippe quæ ex rebus quidem ipsis, sed non nisi adhibita industria percipiuntur. Hujus generis sunt fœtus pecorum, lac, lana, cetera similia.

(1) Terra præcisa, quæ anno cessavit, vel silva, quæ avulsis arboribus, ad culturam redacta est, terra novalis dicitur *L.* 3 *ff. de verb. sign. L.* 3 §. 2 *ff. de Termin. mot.* Memorat hanc Juris Civilis interpretationem Innoc. III *in cap.* 21 *de Verb. sign.*, tum statuit, novale esse intelligendum « Agrum de novo ad cultum redactum, de quo non exstat memoria, quod aliquando cultus fuisset. »

(2) Ætate Augustini nondum decimæ fixa ac perpetua lege constitutæ fuisse videntur; sed ipse tamen *enar. in ps.* 146 *n.* 14 *col.* 1648 *tom.* 4 *ed. cit.* vehementer christianos hortatur, ut reales ac personales decimas solvant. « Præcidite, inquit, aliqua et deputate aliquid fixum vel ex annuis fructibus, vel ex quotidianis quæstibus vestris. » Sequenti tamen sæculo, quo vixit S. Cæsar. Arelat., non reales solum, sed etiam personales decimæ obtinebant; nam ipse *Serm.* 277 *inter opp. Aug. in app. col.* 460 *tom.* 5 *par.* 2, diserte memorat decimas *ex quotidianis quæstibus*, item *de militia*, *de negotio*, *de artificio*. Falsus igitur est Espenius *Jus eccl. univ. par.* 2 *tit.* 33 *cap.* 1 *n.* 31 *et seq.*, qui personalium decimarum originem Cœlestino III adscribendam putat; et insignis est calumnia J. Henn. Bœhmeri *Inst. jur. can. lib.* 3 *tit.* 3 §. 3, reprehendentis Rom. Pontifices, quasi ipsi jus decimarum plus æquo explicaverint, quod personales decimas instituerunt.

§. V. Inter prædiales ac personales decimas non

unum discrimen est. Nam prædiales debentur, non deductis impensis; et vero debentur parocho, cujus in parochia sita sunt prædia, unde illæ percipiuntur (1), cumque ipsis prædiis adhæreant, ab omnibus, qui prædia habent, etiam infidelibus solvendæ sunt (2). Verum decimæ personales tantum a christianis solvuntur parocho, a quo ipsi sacramenta accipiunt, ex iisque impensæ in rebus parandis factæ detrahuntur (3). Illud commune est utrisque decimis, quod non deducitur, quod necessario ad res conservandas impenditur (4).

(1) *Cap.* 7 *et* 13 *de decim.* (2) *Cap.* 17 *eod.*
(3) *Cap.* 20 *et* 28 *eod.* (4) *Cap.* 28 *mox laud.*

§. VI. Leges hæ sunt decretalium jure generatim constitutæ. Sed recepti populorum mores sæpe has leges abrogarunt et hinc spectandæ sunt singularum ecclesiarum consuetudines, ut noscatur, a quibus decimæ pendendæ sint, quid item et quibus eas solvere oporteat. Nimirum posteaquam clericis, aliis bonis atque reditibus, parata sunt ea, quæ suppeditent ad cultum et ad victum, paulatim decrevit solutio decimarum; et nunc multis in locis neque decimæ prædiales ex prædiis urbanis, neque personales solvuntur (1). Quin ne ex omnibus quidem terræ fructibus detrahuntur decimæ, neque solvitur decima eorum pars, licet adhuc decima appelletur et multæ etiam regiones sunt, in quibus decimæ prorsus exoleverunt.

(1) Consule Giraldum *exposit. Jur. Pontific. par.* 1 *decret. lib.* 3 *sect.* 508 *pag.* 331.

§. VII. Decimæ debentur parocho (1), sed tamen ab aliis quoque clericis, aut ecclesiis acquiri possunt vel privilegio summi Pontificis (2), vel præscriptione annorum quadraginta cum titulo; sine titulo

vero præscriptione temporis, quod hominum memoriam superet (3). Novales vero ac minutæ, ubi hæ vigent (4), decimæ semper parocho reservatæ censentur; ne is, cui animarum cura commissa est, graviori damno afficiatur. Et quamquam laici jure ipso exigendi decimas, quod proprium clericorum est, potiri nequeant, tamen res ipsas, quæ decimarum nomine penduntur, habere possunt (5); modo justa causa præsto sit et Rom. Pontificis accedat auctoritas (6).

(1) Conc. Cabilon. II *can.* 19 apud Labb. *t.* 9 *col.* 363 *edit. Ven., et Metense an.* 888 *can.* 2 *t.* 11 *col.* 693.

(2) Multa exstant exempla decimarum, quæ a sede Apostolica monasteriis et capitulis concessæ sunt. Eas memorant et probant S. Petrus Damian. *tom.* 3 *opusc.* 33 *cap.* 3 *pag.* 252 *ed. Paris.* 1664; Ivo Carnot. *ep.* 192 *pag.* 83 *edit. Paris.* 1647; S. Th. 2. 2 *q.* 87 *art.* 3. Vide etiam regulam Templariorum *can.* 66 apud Holsten. *cod. regul. tom.* 2 *pag.* 440 *ed. cit.*

(3) *Cap.* 4 *et* 6 *de præscr. in cap.* 1 *eod. in* 6.

(4) Minutæ decimæ plerisque in locis obsoleverunt.

(5) S. Th. 2. 2 *qu.* 86 *art.* 3.

(6) Interdum sum. Pontifex ad tempus imponit decimas beneficiorum propter aliquam necessitatem, vel publicam ecclesiæ utilitatem, atque eas solvi mandat alicui principi, qui ecclesiam defendit. Tunc autem constituuntur collectores et subcollectores, qui has decimas colligant. Vide *Clem.* 2 *de decim., et extrav. un. comm. eod.*, et vide etiam Gonzalez *in cap.* 19 *de decim. num.* 4, ubi memorat decimas a sede Apostolica concessas regibus Hispaniarum.

§. VIII. Verum mediis sæculis in summa rerum confusione laici, ut multa ecclesiastica bona, ita etiam decimas usurparunt easque jure feudi retinuerunt, adeo ut in commercio essent et in hæredes transirent (1). Interim parochi carebant suis reditibus, quibus semetipsos et pauperes sustentarent, neque decimarum possessores ea, quæ debebant., ecclesiæ servitia præstabant. Itaque actum est, ut sacra prædia ex laicorum manibus extorquerentur; sed operosum

id erat, neque convenire visa sunt extrema remedia, quibus illi exasperarentur. In Concilio Lateranensi III (2) prohibiti sunt laici novas decimas acquirere ; antiquas, quas habebant, in laicos transferre ; tum generatim moniti, eos sine animarum suarum periculo decimas retinere non posse, sed adversus illos, qui eas retinerent, nulla pœna indicta est. Denique usu potius ac silentio, quam lege ulla scripta toleratæ sunt decimæ, quas antea laici jure feudi obtinebant, novarum tamen acquisitio prorsus vetita; et hodie recepta sententia est, eas tantum decimas infeudatas a laicis recte detineri, quæ ante Lateranensem synodum acquisitæ sunt (3),

(1) Occupata a laicis bona, ac decimæ *ecclesiæ* et *altaria* dicebantur, quorum turpe, quod calamitosis iis temporibus a laicis fiebat, commercium damnant Paschalis II et Greg. VII *can.* 13 *et* 14 *caus.* 1 *qu.* 3. Confer Petr. de Marca *in can.* 7 *conc. Claromont.;* Fr. Florentem *in cap.* 1 *et* 2 *de Jure Patr.*, et Muratorium *diss.* 72 *et* 73 *antiq. Ital.*

(2) *Cap.* 19 *de Decim.*

(3) Quod conc. Lateran. III non expresse statuat, restituendas esse decimas, quas laici detinebant, neque ullam in ipsos pœnam constituat, sed tantum illas in laicos transferri ac novas acquiri vetet, plerique in eam venere opinionem, quod ea synodus integras laicis reliquerit decimas, in quarum antea possessione versabantur. Hinc orta communis opinio, laicos retinere posse infeudatas decimas, quas ante illam synodum obtinebant. Sed recte observat L. Thomass. *vet. et nov. eccl. disc. par.* 3 *l.* 1 *c.* 21 *n.* 7 *et seq.*, conc. Lateran. III nunquam laicis antiquas decimas permisisse, cum satis diserte dicat, eas laicos sine *animarum periculo detinere* non posse. Hinc Odo de Saliaco Paris. episc. viginti circiter post annos, quam Lateran. conc. habitum fuerat, in suis const. synodalibus *num.* 18 *Delect. actor. t.* 1 *col.* 1257 « Frequenter, inquit, moneantur laici, ut non retineant decimas, quas in periculum animarum suarum retinent. » In conc. Lateran. IV multa de decimis sancita sunt, præsertim contra illos, qui eas usurpabant, sed nullum decretum est, quo laici restituere cogantur decimas, quas tunc obtinebant. Imo Innoc. III, quo Pontifice Lateranense illud conc. habitum est, non improbasse videtur decimas, quæ a laicis jure feudi retinebantur, uti patet

ex *prima collect. tit.* 11 *tom* 1 *pag.* 565 *et* 566 *edit. Baluzii Paris.* 1682. Cum enim capitulum Suessionense earum decimarum redimendarum facultatem postulasset; eam dedit Pontifex adjecta lege, ut capitulum ea, quæ præstabant vetusti decimarum possessores, ecclesiæ servitia præstaret. Non hic ecclesiæ restitui jubentur decimæ infeudatæ; imo vero probatur contractus, per quem illas capitulum a laicis acquisiverat, et confirmantur servitia, quæ antea laici propter decimas præstabant, et quæ in posterum capitulum præstare debet. Clarius ipse Innoc. III *in cap.* 25 *decim.* memorat decimas in feudum concessas; neque eas improbat. Ita cum omnes, quæ ferebantur, leges novas tantum decimas a laicis acquiri vetarent, sed decimas jam infeudatas non improbarent, invaluit opinio, quod laicis vetitum esset novas decimas acquirere, contra ipsis illæ essent permittendæ, quibus jam tunc fruebantur. Medio sæc. XIII Alex. IV *in cap.* 2 §. *Sane de Decim. in* 6, postquam statuit, regulares posse cum episcopi consensu decimas a laicis detentas accipere, « Illas autem, inquit, decimas intelligimus posse taliter a religiosis de manibus laicorum recipi vel acquiri, quæ ante Lateran. conc. ipsis laicis in feudum perpetuo fuere concessæ. » Non hic declarat Alexander, quod Lateran. concil. intelligat, sed tamen juris canonici interpretes intelligendum putant conc. Lateran. III, quod Alexandro III P. habitum est. Hinc recepta ubique regula, laicos retinere posse decimas infeudatas, modo eas ante conc. Lateran. III obtinuerint. Illud non omittam, quod post Pontificatum Innoc. III abstinuere se concilia a repetendis antiquis decimis, quas jam laici habebant, quod et ex Trid. synodo confirmari potest: quamquam enim statuat ut « Qui decimas impediunt aut subtrahunt, excommunicentur, » *sess.* 25 *cap.* 12 *de reform.;* tamen *sess.* 23 *cap.* 18 *de reform.* agens de reditibus idoneis episcopali seminario parandis, aliquid conferri jubet a laicis, qui ecclesiæ decimas obtinent: « Etiam ex decimis quacunque ratione ad laicos, ex quibus subsidia ecclesiastica solvi solent, pertinentibus. »

§. IX. Solutio decimarum omnes generatim obstringit; quin etiam excommunicationis pœna constituta est adversus eos, qui decimas substrahunt aut impediunt (1). Multi autem eo onere soluti sunt, vel privilegio summi Pontificis (2), vel præscriptione annorum quadraginta cum titulo: sine titulo vero, præscriptione temporis, quod supra hominum memoriam

est (3); vel pactis conventis et voluntaria remissione, quæ cum perpetua est, summi Pontificis auctoritatem postulat (4). Clerici decimas pendunt ex bonis, quæ hæreditate, legato, donatione, aut simili contractu acquisiverunt, non item ex bonis, quæ habent titulo spirituali, puta beneficii (5); regulares autem ex prædiis, quæ pridem suberant oneri decimarum, antequam ad eos pervenirent (6).

(1) *Can.* 5 *caus.* 16 *qu.* 7, *C.* 5 *de Decim.;* Conc. Trid. *sess.* 25 *c.* 12 *de reform.*

(2) *Cap.* 24, ibique Glossa *verb. exemptus de decim.*

(3) *C.* 15 *de Privil.; c.* 4, 6, 8 *de Præscr.; c.* 1 *eod. in* 6.

(4) *Cap.* 8 *de Transact.*

(5) Cum in *cap.* 2 *de decim.* Paschalis II decimas a clericis primum solvendas neget, ac deinceps affirmet, hinc variæ editæ sunt ab interpretibus explanationes, ut omnis, quæ forte in hac sententia inesse videtur, pugna removeatur. Verior et ab omnibus fere recepta interpretatio est, quam tradit Glossa, videlicet clericos non teneri decimis ex bonis spirituali titulo acquisitis, puta beneficii, teneri autem ex bonis, quæ testamento aut contractu obtinuerunt, et ex quibus, antequam ea venirent ad clericos, decimæ solvebantur; quamquam eorum bonorum titulo promotus quis fuerit, nisi aliud legitima consuetudine inductum sit, ut declaravit congr. Concilii *in Marsicana* 12 *Augusti* 1651 *l. Decr. XIX p.* 145, *et in Usselen. Decimarum* 11 *Maii* 1658 *l. XXI p.* 248. Atque id generatim obtinet, etiamsi clerici ab ipso parocho sacramenta non accipiant, ut respondit eadem congr. Concilii *in Feretrana* 19 *Jan.* 1636 *l. Decret. XV p.* 310, *et in Hortana Decimarum* 25 *Sept.* 1694 *lib. XLIV.*

(6) Exstant *in cap.* 10 *et* 11 *de Decim.* privilegia sedis apostolicæ, per quæ regulares liberantur ab onere solvendarum decimarum ex prædiis, quæ propriis manibus atque impensis colerent. Verum Innoc. III in conc. Lateran. IV *cap.* 34 *de Decim.* sancivit, ut cuncti regulares decimas solverent ex prædiis deinceps acquisitis, ex quibus antea decimæ solvebantur, quamquam ea ipsorum regularium labore et sumptibus fructuosa sint. Secundum hanc decretalem a congr. Concilii *in Pamphilonen. Decimarum* 21 *Aug.* 1728 *in thesaur. resolut. tom.* 4 *pag.* 21 *et tom.* 6 *pag.* 29 *et seq.* responsum est: « Quod regulares non habentes in privilegiis expressam derogationem Cap. nuper, teneantur solvere integras decimas, exceptis bonis et rebus præ-

scriptis in *Cap. Ex parte* 10 *de Decim.* » Hodie igitur regulares omnes soluti sunt lege tribuendarum decimarum tum personalium, tum realium, quæ dari deberent ex fructibus hortorum suorum, nutrimentis animalium, atque ex novalibus, quæ fiunt ex terra prorsus inculta, quam ipsi proprio labore sumptuque colunt; non item ex fundis decumanis, qui ad eos cum tali onere delati sunt, nisi etiam pro his peculiare privilegium obtinuerint, uti etiam declararunt Alex. IV *in cap.* 2 §. *Ceterum de Decim. in* 6; Innoc. X *const. Nuper pro parte* 53 *bull. t.* 6 *par.* 3 *pag.* 79. Consule Passerinum *comm. ad lib.* 3 *Sexti Decretal. tit. de Decim. qu. unic. artic.* 15 *per tot.*; card. Petram *ad const. Apostol. tom.* 4 *in const.* 8 *Martini V pag.* 243, et Gaudentium a Janua *de Visit. cujuscumq. Præl. tom.* 1 *cap.* 5 *dub.* 13 *sect.* 6.

TITULUS XVIII.

De Primitiis, Oblationibus, ceterisque temporalibus Bonis Clericorum.

I et II. Primitiæ quomodo apud Hebræos, quomodo apud christianos debitæ?
III. Oblationes quid?
IV ad VI. Earum distinctio.
VII. Cui adscribendæ oblationes.
VIII. Distributiones quotidianæ.
IX. De his Tridentini concilii decretum.
X. Qui distributiones accipiunt.
XI. Portio congrua.

§. I.

Primitiæ sunt rerum primi fructus, qui Deo offeruntur. Apud gentes omnes vetustissimi instituti est primitias Deo offerre et consecrare. Hebræi vero divina etiam lege primitias dabant, quarum tamen modus et ratio potius moribus, quam lege ipsa erat constituta (1). Inter christianos primitiæ ante ipsas decimas obtinere cœperunt; et vero antiquissima sunt

monumenta, unde intelligimus christianos primitias rerum suarum præstare consuevisse (2).

(1) Consule Hier. *in Ezech. cap.* 45 *vers.* 13 *et* 14 *tom.* 5 *col.* 565, *ed. Vallarsii Veron.*

(2) Orig. *contr. Cels. lib.* 8 *num.* 34 *pag.* 766 *tom.* 1 *edit. Paris.* 1733; Iren. *lib.* 4 *contr. Hær. cap.* 17 *pag.* 219 *edit. Paris.* 1710; auctor *can. Apost. can.* 5, *et const. Apost. lib.* 8 *cap.* 40, uterque apud Cotel. *PP. Apost. tom.* 1 *pag.* 425 *et* 442 *edit. Amst.*

§. II. Dabantur primitiæ non tantum ad agnoscendum creatorem, sed etiam ad ministros ecclesiæ sustentandos (1), erantque præsertim ex uvis et frumentis (2), certaque exstabat precum formula, quæ in earum benedictione adhibebatur (3). Nunc fere ubique primitiæ desierunt (4), ac si qua regio est, in qua adhuc eæ ex consuetudine tribuuntur, ex eadem noscitur, quid et quantum dari debeat.

(1) In syn. Gangr. *in Præf. coll.* Hard. *t.* 1 *col.* 550 *et seq.* gravissime reprehenduntur hæretici Eustathiani, quod primitias fructuum ecclesiæ olim datas sibi vindicassent suisque adscripsissent; et hinc duo emittuntur canones, quibus sub pœna anathematis omnes prohibentur eos fructus ecclesiæ oblatos accipere, aut dare extra ecclesiam, præter episcopi sententiam *can.* 7 *et* 8 *col.* 555 *loc. cit.*

(2) Conc. Afric. *cap.* 4, apud Pith. *cod. can. eccl. Roman. pag.* 144 *edit. Paris.*; S. Greg. Nazianz. *epist.* 80 *pag.* 833 *tom.* 1 *edit. cit.*

(3) Habes hanc formulam apud auct. *Const. Apost. loc. cit.*

(4) Post sæc. V vix ulla amplius mentio primitiarum occurrit; tantum indicuntur in conc. Hispal. apud Ivon. *in Decr. p.* 3 *c.* 174.

§. III. Oblationes sunt munera, quæ a fidelibus Deo et ecclesiæ sponte offeruntur. Antiquissimus earum usus est, atque ab ipsa apostolorum ætate repetendus (1). Nemo offerre cogebatur, sed turpe erat eum non offerre, qui posset (2); et illorum, quorum præclara erant munera in ecclesiam, nomina publice

recitabantur (3). Neque vero omnibus offerre licebat; quoniam oblationes, præsertim Eucharisticæ, ecclesiasticam communionem ostendebant, et ideo rejiciebantur oblationes eorum, qui in Eucharistia non communicabant (4). Ipsi consistentes, qui scilicet in summo pœnitentium gradu versabantur, quamquam communium precum essent participes, tamen ad altare offerre prohibebantur (5); et sæpe restitutas constat oblationes eorum, qui deinceps in hæresim inciderant (6).

(1) Agapas, sive sacra convivia apostoli instituerunt, atque horum ratio erat, ut singuli Fideles panem ac vinum, aliaque etiam ad ecclesiam offerrent, e quibus, panis vinique parte consecrata, quod reliquum erat, in commune illud convivium conferebatur. Atque huc referendum illud Apostoli 1 *ad. Cor. XI v.* 21 : « Unusquisque.... suam cœnam præsumit ad manducandum, et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. » Licet vero deinceps Agapæ desierint, tamen oblationum usus diu retentus est. Agit, præter ceteros, de Agapis Thomass. *vet. et nov. eccl. discipl. par.* 3 *lib.* 3 *cap.* 47 *num.* 1.

(2) Cypr. *de oper. et eleemos. pag.* 141 *ed. Amst.* 1700, reprehendit fœminam, quæ cum dives esset, nihil obtulerat, et S. Aug., seu potius S. Cæsar. Arelat. auctor *Serm.* 85 *de temp. num.* 4 *et* 5 *col.* 154 *opp. tom.* 5 *edit. cit.*, populum ad hanc officii partem vehementer hortatur, sed lapsu temporum, imminuta apud multos pietate, latis legibus jussi sunt christiani certis saltem diebus oblationes facere. Conc. Matiscon. II *can.* 4 apud Labb. *tom.* 6 *col.* 674 *ed. Ven.* cunctis diebus dominicis panem et vinum ab omnibus offerri jubet; et Capitularia regum Franc. *lib.* 6 *cap.* 170 apud Baluzium *col.* 636 *ed. Ven.* 1772 quotidie oblationes fieri mandat; « Et si quotidie non potest, saltem dominica die. » Quo loco autem oblationes fierent laicorum, quibus ad altare accedere non licebat, diligenter ostendunt Bona *rer. liturg. l.* 2 *cap.* 9 §. 1 *pag.* 199 *tom.* 3 *ed. Taurin.*, et Sala *in notis ad eumd. locum, et ad cap.* 8 §. 4 *et* 6 *pag* 183, 161 *et* 200, et Martenius *de antiq. eccl. rit. lib.* 1 *cap.* 4 *art.* 6 §. 7 *tom.* 1 *pag.* 140 *ed. Antv. seu Ven.* 1763.

(3) Cypr. *ep.* 60 *al.* 62 *ad episc. Numid. pag.* 274 *ed. cit.*; Hier. *in Jerem. l.* 2 *c.* 11 *vers.* 11 *et* 16 *tom.* 4 *col* 921 *ed. Veronæ;* Innoc. I *epist.* 25 *ad Decent. episc. Eugub. cap.* 2

apud Coustant. *ep. Pont. Rom. col.* 857; auctor *const. Apost. lib.* 3 *cap.* 4 *pag.* 279 *ed. cit.;* quem in locum vide Cotel., et vide etiam card. Bonam *rer. liturg. lib.* 2 *cap.* 8 §. 7 *tom.* 3 *p.* 191 *seq.*, ibique Salam *in not.*, ac Selvagium *antiq. Christ. l.* 2 *cap.* 1 §. 8, ubi multa habes de his nominibus recitandis.

(4) Auctor *const. Apost. lib.* 3 *cap.* 8, apud Cotel. *loc. cit. pag.* 265, conc. Eliberit. *can.* 28, quem in canonem vide Albaspinæum *pag.* 169 *edit. Neap.* Quin etiam fratrum inter se dissidentium oblationes recipi vetat conc. Carthag. IV *can.* 93 *col.* 984 *t.* 1 *coll.* Hard. *ed. Paris.* In Capitularibus Caroli M., et Ludovici Pii *lib.* 7 *cap.* 442 *col.* 751, *et in addit.* 4 *cap.* 81 *col.* 613 *tom.* 1 *ed. Baluzii Ven.* 1772, rejiciuntur oblationes illorum, qui sibi mortem conciverunt quique pro suis criminibus puniuntur. Repudiabat etiam ecclesia oblationes datas ab illis, qui pauperes opprimebant, uti patet ex eodem concilio Carthag. *can.* 6 *loc. cit.*, cum quo consentit auctor *const. Apost. lib.* 4 *cap.* 6 *pag.* 297, ubi alii præterea scelesti homines recensentur, quorum oblationes non recipiebantur. Ambr. *epist.* 17 *num.* 14 *col.* 870 *t.* 3 *ed. cit.* Valentinianum Imp. monet, ne quid ad idololatriam restituendam conferret; quoniam si id fecisset, ejus oblationes ecclesia repudiasset. Atque id quidem perpetuum fuit de oblationibus, unde Eucharistiæ elementa sumebantur. Ceteras oblationes interdum receptas constat, quamquam ab iis fierent, qui communionis expertes erant, et quidem Hormisdas P., uti narrat Anastasius *in ejus vit.* §. 86 *tom.* 1 *p.* 93 *ed. Rom.* 1718, a Theodorico Ariano offerri passus est Cerostata *argentea duo pensan. libras* 70. Verum Liberius P., uti testantur Athan. *hist. Arian. ad monach. num.* 37 *opp. t.* 1 *p.* 289 *ed. Patav.*, et Theodoret. *hist. l.* 2 *cap.* 16 *p.* 95 *ed. Cantabr.*, Constantii dona repudiavit; et munera Valentis nemo accipere ausus est, cum non scirctur, num ea Basilius esset accepturus, sicuti narrat Greg. Nazianz. *Orat.* 20 *de laud. Basilii tom.* 1 *p.* 351 *edit. Colon.* 1790.

(5) Conc. Nicæn. *can.* 11 *t.* 2 *col.* 38, 45, 52, et Ancyran. *can.* 4 *et* 5, apud Labb. *t.* 1 *col.* 1487 *ed. Ven.*, ubi canones hos pœnitentes appellant κοινωνουντας χωρις προσφορας *sine oblatione communicantes.* Verum eorum, qui in pœnitentia constituti et reconciliationis cupidi subito moriebantur, oblationes ecclesia accipiebat, conc. Vasense I *can.* 2 *tom.* 4 *col.* 717; Arelat. II *can.* 12, apud eumd. Labb. *t.* 5 *col.* 3, et Tolet. XI *can.* 12 *tom.* 3 *coll.* Hard. *col.* 1029. Idem habent Capitularia regum Franc. *lib.* 5 *cap.* 130 *et* 142 *col.* 570 *ed. cit.*, canones Isaac

episcopi Lingon. *can.* 14 *ib. col.* 641. Vide Albaspinæum *Obs.* 5 *lib.* 1 *pag.* 17 *ed. Neapol.*

(6) Quod adv. Marcionem, qui ducenta sestertia ecclesiæ dederat, factum narrat Tertull. *de Præscr. c.* 30 *p.* 212 *ed. Paris.*

§. IV. Jam oblationes aliæ ad altare fiebant, cum sacrificium peragebatur; et tunc quidem fideles offerebant panem et vinum, thus etiam atque oleum pro luminaribus; præterea Sabbato Sancto, qui dies erat solemnis baptismi, lac et mel, quo recens baptizati vesci solebant (1). Ex oblatis pane et vino Eucharistiæ elementa desumebantur; quod reliquum erat clericis ac pauperibus tribuebatur (2). Cum illa desiit panis ac vini oblatio, cœpit offerri pecunia, unde Missæ honorarium ortum est (3).

(1) Consule *can. Apost.* 3, 4, 5, apud Cotel. *loc. cit. p.* 442; conc. Carthag. III *can.* 24 apud Labb. *tom.* 2 *col.* 1043; conc. Afric. *cap.* 4, apud Pithœum *loc. cit. pag.* 144. Sed conc. Trull. *can.* 57, apud eumd. Labb. *t.* 7 *col.* 1374, lac et mel offerri vetat.

(2) S. Justin. M. *apol.* 1 *num.* 66 *et* 67 *pag.* 83 *ed. Paris.* 1742; Tertull. *apolog. cap.* 39 *pag.* 31 *ed. cit.*

(3) Confer Mabillon. *Præf. ad par.* 1 *sæc.* 3 *Bened. num.* 62 *pag.* 27 *ed. Ven.* 1734; Fr. de Berlendis *diss. de Oblat. pecul.* §. 2, et R. Salam *in not. ad Bonam rer. liturg. l.* 2 *c.* 8 §. 3 *et* 8 *not.* 4 *t.* 3 *pag.* 180 *et* 186 *ed. cit.*

§. V. Aliæ erant oblationes, quæ pro arbitrio in ecclesia deponebantur, ut cederent in ipsius ecclesiæ usum, aut in clericorum et pauperum alimenta. Nam inde a primis sæculis erat in ecclesiis arca, quæ *Corbona* dicebatur et in quam fideles stipem inferebant, unde pauperes opem acciperent (1). Inde institutum est *Gazophylacium*, locus scilicet in exedris ecclesiæ, quo illæ fidelium oblationes deferebantur (2).

(1) Memorat hanc *corbonam* Cypr. *de Oper. et eleemos. pag.* 141 *edit. Amst.* 1700, cum reprehendit opulentam fœminam, quæ nihil obtulerat, his verbis: « Locuples et dives es, et Domi-

nicum celebrare te credis, quæ corbonam omnino non respicis; quæ in Dominicum sine sacrificio venis; quæ partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis.» Basnag. *exerc. hist. crit. ad an. 44 num.* 67, corbonæ nomine non arcam pecuniariam, sed potius ipsas oblationes designari arbitratur, quoniam Hebraicum hoc vocabulum donum significat. Verum et ipsum *Corbon* Hebraicum, locum condendæ pecuniæ destinatum notat Matt. XXVII *v.* 6 *non licet eos* argenteos *mittere in corbonam.* Adde, quod verisimile non est, Cyprianum latine scribentem aliter, ac latini explicabant, intellexisse vocem, quæ latini juris ac significationis evasit. Vide etiam Justinum M., et Tertull. *loc. cit.*, qui memorant hanc stipem a fidelibus in ecclesia depositam, ut ea pauperibus auxilium præberetur.

(2) Duplex Gazophylacium erat, alterum intra et alterum extra ecclesiam; utrumque describit Bingham. *Orig. eccl.* 8 *cap.* 6 §. 22 *tom.* 3 *pag.* 248 *ed. Halæ Magd.* 1758. In Gazophylacio, quod erat intra ecclesiam, servabantur priores illæ oblationes, quarum antea memini; ad Gazophylacium, quod erat extra ecclesiam, alterius generis oblationes deferebantur.

§. VI. Denique aliæ erant oblationes, quas christiani pro sua pietate dabant, cum justa funeris solvebantur, cum sacramenta suscipiebant, cum alia sacra officia peragebantur. Sane quarto sæculo aliquid in baptismo dari solebat (1). Hæ oblationes initio voluntariæ erant, sed temporis cursu in laudabiles consuetudines abierunt; et vero concilio Lateranensi IV sancitum est, ut libere sacramenta, ceteraque sacra officia administrentur, sed ut fideles oblationes præstent, quas præstare consueverunt et recusantes etiam cogi ab episcopo possint (2). Non enim dantur tamquam pretium rerum sacrarum, sed tamquam præmium laboris et tamquam alimenta, quæ Jus Divinum ecclesiæ ministris tribui voluit. Atque hæc sunt jura, quæ ad parochum pertinent, ideo parochialia dicuntur.

(1) Greg. Nazianz. *orat.* 40 *de bapt. p.* 672 *t.* 1 *ed. Col.* 1690.
(2) *Cap.* 42 *de Simon.*

§. VII. Oblationes omnes, etiam quæ sponte, quæque in capella inferiori, aliove loco intra fines parochiæ fiunt, pertinent ad ecclesiam parochialem, nisi aliam esse constet offerentium voluntatem. Nimirum fideles oblationes facere videntur propter curam animarum, quam ecclesia sustinet, quæ præsumptio locum non habet, cum alia offerentium voluntas patefacta est. Tunc enim oblationes dandæ sunt loco, cui quis eas adscribi voluit (1). Similiter ad ecclesiam parochialem non pertinent oblationes, quæ alii loco consuetudine, vel privilegio addictæ sunt.

(1) Consule Barbos. *de offic. paroch. c.* 24; card. de Luca *de decim. d.* 19; Fagn. *in c.* 9 *De his quæ fiunt a prælat. num.* 14 *et seq.*

§. VIII. Inter clericorum reditus recensentur etiam distributiones quotidianæ, quæ debentur canonicis, qui divinis officiis intersunt. Nulla enim est vel cathedralis, vel collegiata ecclesia, quæ communem arcam non habeat, unde sumuntur hæc præmia quæ singulis diebus atque horis adscripta sunt, ut choro addicti facilius hac illecebra ducti et frequentius ad illum conveniant (1). Non tamen hujus præsertim emolumenti ratio, sed pietatis studium et obsequium in Deum, ad chorum vocare unumquemque debet; neque effugeret simoniæ labem, qui tantum distributionum utilitate traheretur (2).

(1) Ivo Carnot. *ep.* 219 *ad Paschal. P. p.* 93 *ed. Paris.*
(2) Vide S. Th. *in Quodlibet.* 8 *qu.* 6 *art.* 1.

§. IX. Synodus Tridentina distributiones approbat atque eas in morem perduci jubet, ubi veteri instituto receptæ non essent. Propterea statuit, ut in cunctis cathedralibus et collegiatis ecclesiis tertia pars fructuum aliorumque redituum, qui ad capituli

dignitates, aut ad canonicos pertinent, ab episcopo, etiam tamquam Apostolicæ sedis delegato in quotidianas distributiones convertatur (1).

(1) Conc. Trid. *sess.* 21 *cap.* 3 *de reform.*

§. X. Distributiones, quas absentes amittunt, capitulum nemini remittere et condonare potest (1); sed ecclesiæ fabricæ, aliive pio loco episcopi arbitrio adscribendæ sunt distributiones eorum, qui reditus habent a capituli mensa sejunctos; eorum vero, quibus ex eadem mensa communes sunt reditus, inter præsentes dividuntur (2). Sunt tamen qui justis de causis abesse coguntur et hi distributiones acquirunt, perinde ac præsentes essent; quales sunt vere et graviter ægrotantes, carceribus injuria detenti, et absentes propter pestem, vel propter ecclesiæ utilitatem (3).

(1) Confer Suarez *de relig. lib.* 4 *de horis can. c.* 10 *n.* 20 *tom.* 2, et Ben. XIV *Instit.* 107 §. 7 *num.* 42.

(2) Duæ sunt ea de re Trid. concilii leges *sess.* 21 *cap.* 3 *et sess.* 22 *cap.* 3 *de ref.*, altera absentium distributiones præsentibus, et altera ecclesiæ fabricæ, aut alii pio loco arbitrio episcopi adscribit. Sed lex illa locum habet, cum communes sunt omnium canonicorum; altera vero, cum illi absunt, quibus sua a capitulari mensa distincta præbenda est. Fagnan. *in cap. Quia nonnulli num.* 22 *et seq. de Cleric. non resid.*

(3) Bonif. VIII *in c. un. de Cleric. non resid. in* 6, quam legem renovavit syn. Trid. *sess.* 24 *cap.* 12 *de ref.*, postquam generatim constituit, absentes distributionibus carere, addit hæc: « Exceptis illis, quos infirmitas, seu justa et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens ecclesiæ utilitas excusaret. » Itaque quæsitum est, quæ *infirmitas*, quæ item *corporalis necessitas*, quæ denique *ecclesiæ utilitas* requiratur, ut absentes distributiones accipiant. Generatim verus gravisque morbus requiritur, qui aliquem domo exire prohibeat, quamquam ea in re boni viri arbitrium spectare oporteat; neque hic ipse morbus est satis, cum quis sanus Divinis officiis interesse non solebat. Excusantur etiam, qui carceribus injuste detinentur, quique ob pestis causam, aut propter inimicitias vel injurias, quas immerito perferunt, ad chorum venire nequeunt. Similiter canonicus Theolo-

gus et Pœnitentiarius, itemque canonicus, qui in eadem ecclesia et canonicatum et curam animarum habet, tamquam præsentes in choro habentur, cum ea præstant, quæ sui muneris propria sunt. Hæc et cetera, quæ ad hunc locum pertinent, diligenter explicat Ben. XIV *loc. cit.* §. 8 *et seq. n.* 45 *et seq.* Vide etiam Girald. *expos. Jur. Pont. par.* 1 *lib.* 3 *Decret. sect.* 358 *p.* 245 *et seq.*. a quo omnes, qui etiam absentes quotidianas distributiones accipiunt, accurate recensentur.

§. XI. Denique vicarii, qui exercent curam animarum, quæ capitulis aut monasteriis conjuncta est, congruam portionem habere debent. Quo nomine intelligitur certa pars fructuum, quæ ex parochiæ reditibus episcopi arbitrio detrahitur, quæque vicario adscribitur, unde habeat id, quod ad decentem ejus tuitionem necessarium est (1). Constituunt hos vicarios capitula, monasteria et cetera loca pia, quæ curam habent animarum, ut parochialia gerant officia. verum illi ab episcopo approbandi sunt (2).

(1) Conc. Trid. *sess.* 7 *cap.* 7 *de ref.;* Ben. XIV *const. Cum semper* 103 *bullar. tom.* 1 *pag.* 222 §. 10 *edit. cit.* Confer ea, quæ supra diximus, *lib.* 1 *tit.* 3 *sect.* 9 §. 84 *pag.* 225.

(2) Consule Girald. *expos. Jur. Pont. par.* 2 *sect.* 25 *p.* 828.

TITULUS XVIII.

De Peculio Clericorum.

I. Peculium ecclesiasticum quid?
II. Bona patrimonialia clericorum.
III. Usus peculii ecclesiastici.
IV. Facultas testandi de hoc peculio.
V. Spolia et eorum collectores.

§. I.

Ex ecclesiæ bonis, cum ad clericos ea pervenirent, existit illud, quod in Jure nostro peculium clericorum appellatur. Peculii nomen ex Jure civili desumptum est. ac significat quasi *pusillam pecuniam*, seu *patrimonium pusillum*, ut inquit Ulpianus (1), quod servus permissu domini separatum a dominicis rationibus habet. Placuit hoc nomen traducere ad res ecclesiasticas, quoniam uti servus verum non habet dominium peculii sui, ita neque clericus dominus est bonorum, unde illud peculium conflatum est; imo si dominus revera est fructuum eorumdem bonorum, non merus administrator, ut multi putant, hoc certe dominium et arbitrium non ita late patet, uti patet dominium, quod omnes habent in rebus suis.

(1) *Leg.* 5 *de Pecul.*

§. II. Verum, præter hoc peculium, habent etiam clerici bona privata, sive patrimonialia, qualia sunt acquisita hæreditate, legato, contractu, aliove jure, quod clerici cum reliquis civibus commune habent. Horum quidem bonorum omnium plenum clericis dominium est, et ideo distractio atque consumptio

eorum arbitrio relinquitur (1). Moriente vero clerico sine testamento, hæc bono transeunt ad cognatos proximos ab intestato, ac si nulli fuerint vel ex testamento, vel ab intestato hæredes, ad ecclesiam deferuntur (2).

(1) *Can. 4 cap. 12 qu. 5; cap. 9 et 12 de testam.*
(2) *Cap. 1 eod.; cap. 1 de Succes. ab intest.*

§. III. Sed in ecclesiastico peculio illud sæpe quæsitum est, num clerici in eo dominium habeant, an potius tantum usum et administrationem. Quæ disputatio eo spectat, ut sciatur num lex justitiæ, an pietatis et misericordiæ, ac jus positivum ecclesiæ clericos cogat in pauperes, aut alios pios usus convertere quidquid ex decenti exhibitione sua superest de reditibus rerum ecclesiasticarum (1). Alterutram sequi opinionem placeat, certum est clericos ex bonis ecclesiasticis tantum sumere, quod ipsis est necessarium ad honeste ac decenter vivendum, reliquum in pios usus conferre oportere.

(1) Controversiam hanc, omnibus excussis argumentis, diligentissime expendit Ben. XIV *de syn. diœc. l. 7 cap. 2* Videndus est etiam Theod. Rupprecht *not. hist. in jus can. l. 5 t. 25.*

§. IV. Antiqui canones de ecclesiastico peculio clericos testari vetabant, quoniam illud redire debebat ad ecclesiam, unde profectum erat (1). Sed sensim consuetudine ac privilegio summorum Pontificum, præsertim ob frequentes lites, quas excitabat difficultas discernendi bona ecclesiastica a patrimonialibus, inductum est, ut clerici etiam de bonis ecclesiasticis testamentum condant. Interim in Foro valent hæc testamenta; sed gravi certe crimine obligantur clerici, qui potius quam in pios, conferunt in profanos usus, aut in ditandis consanguineis insumunt fructus rerum ecclesiasticarum. Non enim consuetudo bono-

rum naturam mutat, neque privilegium datum cencetur cum gravi detrimento pauperum et ecclesiarum (2).

(1) *Can.* 40 *apost.* apud Cotelerium *loc. cit. p.* 447, *cap.* 1 *de Pecul. cleric., cap.* 7 *de Testamen.*
(2) Vide conc. Trid. *sess.* 25 *cap.* 1 *de reform.*

§. V. Bona ecclesiastica clericorum post eorum obitum spolia dicta sunt, quoniam clerici, exemplo monachorum, ad vitæ exitum properantes rebus peculiaribus sese ultro spoliare consueverunt, ne quid ecclesia caperet detrimenti. Hæc bona, quæ clericus moriens relinquit, nisi vel consuetudine, vel privilegio summi Pontificis testandi facultatem habeat (1), jure spolii pertinent ad Cameram apostolicam, quæ ea colligit per *collectores* in provinciis constitutos, et cuncta in pauperum alimenta aliosve pios usus convertit (2). Neque quis sibi per hos collectores inferri damnum, aut injuriam putet; quoniam spolium ad ea pertinet, de quibus clericus liberum non habet statuendi arbitrium, atque illud declinare unusquisque potest, si vivens obtemperet legi, qua obstringitur, piisque adscribat usibus reditus ecclesiasticos, qui ei supersunt ex necessariis ad vitam traducendam (3).

(1) Consule Girald. *expos. Jur. Pont. par.* 1 *Decretal. lib.* 3 *sect.* 475 *pag.* 306 *et* 307, et L. Ferraris *Bibl. verb. Spolium*, a quibus omnes, qui vel consuetudine, vel privilegio de ecclesiasticis bonis testari possunt, accurate recensentur. Cives et incolæ Urbis Romæ, quique procul ab ea decedunt intra decem millia passuum eo privilegio fruuntur per *const. In eminenti* 33, Pauli V *in bullar. tom.* 5 *par.* 3 *pag.* 197.
(2) Consule Ben. XIV *de syn. diœc. l.* 3 *c.* 8 *n.* 6.
(3) Spolia instituta sunt a summis Pont. ad coercendam avaritiam clericorum, qui multas ex ecclesiasticis bonis quærebant opes, ut iis ditarent consanguineos suos, atque ad tuendos canones, quibus sancitum est, ut ecclesiæ bona in pios usus conferantur. Narrat inter ceteros Matth. Paris. *ad an.* 1246 *p.* 447

ed. Paris. 1644, tres Angliæ archidiaconos incredibilem quamdam pecuniæ vim coacervasse, præter mobilia complurima magni pretii, et ex iis duos ab intestato obiisse, quo factum est, ut opes illæ ad laicos pervenirent. « Obierat intestatus, inquit, et plura millia marcarum cum vasis multis argenteis, sæculo et sæcularibus infeliciter dimiserat. » Episcopi, cum ipsis decedentium clericorum spolium permitteretur, sæpe vel potentia impediti suum munus exercere non poterant, vel etiam gratia freti ultro negligebant, et sæpe etiam in privatam utilitatem suam convertebant, quidquid ex hoc spolio clericorum acceperant. Adde, quod multi episcopi eodem, quo cæteri clerici, laborabant morbo, studio videlicet ditandi suos ex rebus ecclesiasticis, neque ullus erat, qui de episcoporum spoliis eam gereret sollicitudinem, quam gerere oportebat. Itaque ut frenum haberet avaritia clericorum, ac sarta tecta servaretur vis legum ecclesiasticarum, sedes Apostolica curam suscepit bonorum, quæ ad clericum ex ecclesia venerunt, ut ea conferat in pios illos usus, in quos clerici conferre debuissent. Quod si ecclesia est, quæ spoliis clericorum indigeat, ea facile remittit sedes Apostolica, ut in illius utilitatem convertantur. Ita Innoc. XII *const. Inscrutabili* 81 *bullar. t.* 9 *pag.* 342, quam constitutionem postea confirmarunt Ben. XIII *in const. Sacrosancti Apostolatus* 16, *et const. Romanum decet Pontificem* 151 *bullar. tom.* 11 *et* 12 *pag.* 524 *et* 552, ac Ben. XIV *const. Pastoralis* 57 *tom.* 4 *bull. pag.* 57 *ed. cit.* in regno Neapolitano decedentium episcoporum ac prælatorum spolia concessit ecclesiis, quibus illi præfecti fuerant. Recte hinc observat Thomass. *vet. et nov. eccles. disc. par.* 3 *lib.* 2 *cap.* 57 *num.* 3, quod si invidiosa sunt spolia, omnis invidia et infamia conferenda est. « In insatiabilem quamdam avaritiam vel beneficiariorum, qui ex stipendiis in pauperes dispergendis quosdam sibi accumulant thesauros iniquitatis, vel cognatorum, qui in bona pauperibus et ecclesiis dedicata succedere gestiunt. » Idem habet Baron. *ad an.* 397 *num.* 64 *tom.* 6 *pag.* 252 *ed. Lucæ,* ubi etiam animadvertit, quod qui de collectorum « Importuna exactione queruntur, hos facile vitabunt et prudenter arte deludent, qui bona ecclesiæ, quæ supersunt, non congregarint, sed in pauperes erogarint. »

TITULUS XIX.

De Rebus ecclesiasticis non alienandis.

I. De rebus ecclesiæ non alienandis vetus regula.
II. Quid alienatio comprehendat?
III. Quæ res alienari nequeant?
IV. Venia sedis Apostolicæ.
V. Quarum rerum permissa alienatio sit?
VI. Venditio fructuum beneficiorum et horum locatio solutione *anticipata*.

§. I.

Vetus est regula, ecclesiæ res alienari non posse, quam regulam et sacri canones (1) et civiles leges (2) ratam firmam haberi voluerunt. Nam sua ecclesiæ bona sarta tecta servanda sunt, ut ex iis habeant clerici et pauperes, unde vivant, et religionis cultus sustineatur. Hodie ea in re jure utimur, quod a Paulo II sancitum est (3).

(1) S. Leo M. *ep.* 17 *ad univ. episc. per Sicil. constit. t.* 1 *col.* 728 *edit. Venet.* 1793; cujus epistolæ veritatem adversus Quesnelli ratiunculas egregie ostendunt Fratres Ballerinii *in not. num.* 8; Cacciarius *in Monit. ad eamd. ep. pag.* 86 *ed. Romæ an.* 1755; Tillemont *hist. eccl. not.* 9 *in vit. S. Leon. tom.* 15 *pag.* 894 *ed. Ven.* 1732. Eadem lex est Hilarii P., qui proximus Leonis successor fuit, *ep.* 8 *c.* 5 *ad episc. divers. provinc. Gal.* apud Labb. *t.* 5 *col.* 67, itemque Symmachi *ep.* 5 *ad Cæsar. eod. tom.* 5 *col.* 425, qua quidem epistola S. Symmachus respondet S. Cæsario Arelat., qui eum rogaverat, ut rerum ecclesiasticarum alienationes *apostolica auctoritate* prohiberet *ibid. col.* 424; conc. Ancyr. *can.* 14 *t.* 1 Labb. *col.* 1498; Carthag. V *can.* 4 *tom.* 2 *col.* 1455; Agath. *can.* 7 *tom.* 5 *col.* 522; Aurel. III *can.* 12 *col.* 1277; Aurel. IV *can.* 18 *col.* 1567, et V *can.* 13 *col.* 1580 *eod. tom.* 5, et Nicæn. II *can.* 12 *tom.* 8 *col.* 1255; Cyrill. Alex. *ep. ad Domnum tom.* 2 *Pand. can. Beveregii ed. Oxonii* 1672 *pag.* 177, quem in locum Balsamon,

« Vasa, inquit, pretiosa ecclesiarum, seu sacra et reliqua Deo consecrata, et possessiones immobiles inalienabilia sunt, et ecclesiis reservantur. » Non igitur nova, ut quidam putant, sed vetustissima est canonum regula de rebus ecclesiæ non alienandis. Confer etiam Decretalium *tit. de reb. eccl. alien. vel non.*

(2) *L.* 14 *et* 17 *cod. de Sacr. eccles., Novell.* 7 *cap.* 1. Vide etiam capit. regum Franc. *lib.* 2 *c.* 29 *col.* 502 *et lib.* 6 *cap.* 136 *col.* 652 *tom.* 1 *ed. Baluzii cit.*, et expendit Cl. Mamachius *Del diritto libero della Chiesa di acquistare, e di possedere lib.* 3 *cap.* 1 *pag.* 61 *et seq.*, ubi totum hoc argumenti genus graviter et solide pertractatur.

(3) *Extrav. Ambitiosæ de reb. eccl. alien. vel non.*

§. II. Pertinet hoc interdictum etiam ad monasteria, hospitalia, ceteraque loca pia et religiosa, quorum etiam bona ecclesiastica dicuntur, eaque distrahere nefas est (1). Alienationis autem nomen comprehendit venditionem, donationem, permutationem, emphytheusim, locationem, et conductionem ultra triennium (2), pignoris constitutionem seu nexum et hypothecam, in feudum concessionem (3), denique omnem conditionem, per quam res ecclesiæ deterior efficitur (4).

(1) *Cit. Novel.* 7 *c.* 1. *et cit. Extrav. Ambitiosæ.*

(2) Vetita est locatio rerum ecclesiasticarum ultra triennium, quando ex iis fructus quoque anno percipiuntur. Nam si eæ fructus ferant tantum unoquoque biennio, aut triennio, tunc recte per annos sex, aut novem locatio perficitur. Communis hæc est canonistarum sententia, quam præter ceteros, sequitur Fagnan. in *cap.* 3 *de reb. eccl. alien. vel. non, num.* 43.

(3) *Ead. Extrav. Ambitiosæ, et cap.* 3 *de reb. eccl. alien. vel non.* Vide etiam *const. Humanæ salutis* 152 Urbani VIII *in bullar. tom.* 3 *par.* 3 *pag.* 374, ejusdemque decretum editum die 7 Sept. 1624, apud Girald. *par.* 1 *sect.* 451 *pag.* 292, quo sublata sunt privilegia regularium, quibus antea res ecclesiasticas, inscia sede Apostolica, alienare licebat.

(4) Vox hæc *conditionem* occurrit *in cit. cap.* 3 *de reb. eccl. alien.*, et eam tamquam importunam rejiciunt Cujacius et Ant. Augustinus, quod non intelligant, quæ species alienationis conditio sit. Sed recte Innoc. Cironius *Paratitl. in Decretal. lib.* 3

tit. 15 §. 3 *pag.* 257 *ed. Vindob.* 1761, vocem illam retinendam esse ostendit. quoniam conditio est pactum, per quod rei ecclesiæ detrimentum inferri potest.

§. III. Neque solum res immobiles ecclesiæ, uti prædia rustica et urbana, alienari nequeunt, sed etiam res immobiles pretiosæ, quæ servari possunt, integra armenta gregesque integri, arbores prædio utiles ac necessariæ, jura, actiones, census, cetera ex quibus annui fructus capiuntur. Verum alienatio valet, si justa de causa et adhibitis solemnitatibus facta sit. Causa vel est necessitatis, puta æris alieni dissolvendi, cum ei fructibus satisfieri non possit (1); vel utilitatis, si ecclesiæ utilis futura sit alienatio, puta si ædes ruinosæ in emphytheusim dentur, vel silvestria loca agrique inculti colonis permittuntur, aut terræ longe positæ cum vicinis commutantur (2); vel demum pietatis, puta si famis tempore alendi pauperes, aut si captivi redimendi sint (3).

(1) *Clem.* 1 *de Reb. eccles. non alien.*
(2) *Can.* 53 *cap.* 12 *q.* 2 *cap.* 1 *de rer. permut.*
(3) *Can.* 15 *et seq. et can.* 70 *et* 71 *cap.* 12 *q.* 2.

§. IV. Solemnitates omnes fere pertinent ad consensum sedis apostolicæ, a qua causæ expenduntur iisque recte cognitis alienatio permittitur (1). Sine consensu sedis Apostolicæ irrita alienatio est; præterea qui rem distraxerunt, aut qui distractam acceperunt, pœna plectuntur excommunicationis, si episcopi, vel abbates non sint. Nam his ecclesiæ ingressus interdicitur, iidemque, si menses sex in interdicto fuerint, ab omni suspenduntur administratione ecclesiarum, aut monasteriorum, quibus præfecti sunt. Capitula quoque et aliæ universitates in interdictum incidunt, singuli vero, ex quibus illæ universitates constant, privantur jure electionis et ecclesiasticis officiis, quorum bona alienarunt, atque ab iis aliis-

que perpetuo removentur (2). Quod si post alienationem rite factam ecclesia grave damnum acceperit, ea, non secus ac minor, beneficium habet in integrum restitutionis (3).

(1) Omnes episcopi in jurejurando, cujus facta mentio est, *lib. 1 tit. 4 sec. 1 §. 2*, spondere debent, se, inconsulto Rom. Pontifice, non alienaturos suarum ecclesiarum bona. Ægre ferunt hostes sedis Apostolicæ hoc juramentum ejusque originem repetunt a celebri *Extrav. Ambitiosæ*, quam Paulus II evulgavit. At si vetustissima, uti demonstratum supra est, regula erat, eaque probata conciliis summisque Pontificibus, quod res ecclesiæ alienari non possent, equidem non intelligo, neque intelligere quemquam arbitror, qua in re peccarint Rom. Pontifices, cum regulam tam salutarem, tam vetustam, tam probatam et ubique receptam firmiorem reddere voluerunt, imposito episcopis jurejurando, quo ii nihil se, inconsulto Rom. Pontifice, ecclesiasticorum bonorum alienaturos promitterent. Falsum autem est, quod hujus sacramenti origo ab Extrav. Pauli II repetenda sit. Nam liber diurnus Pontificum Rom. a Garnerio illustratus collectusque sæc. VII aut initio sæc. VIII, uti ostendit ejus ætatis Codex, quem ipse Garnerius affert *in Præf. num. 10 et 11*, continet *solemnibus verbis* eamdem hanc promissionem, qua se quivis a summo Pont. consecrandus episcopus obligabat *Cap. 3 tit. 7 pag. 64 ed. Paris. an. 1680*. Cœlestinus III, qui sæc. XII Pontificatum obtinuit, in *c. 8 de reb. eccl. non alien.* memorat *Sacramentum fidelitatis*, quo Ravenn. archiep. tenebatur *Apostolicæ sedi nihil alienare*. Quam decretalem explanans Glossæ auctor, qui floruit sæc. XIV, testatur, quod ætate sua, « Quilibet episcopus, qui immediate D. Papæ subest, jurat ei fidelitatem, quod non alienabit bona ecclesiæ, neque infeudabit; et idem juramentum præstant alii episcopi suis metropolitanis. » Ii vero, qui non immediate suberant Rom. Pontifici, jusjurandum emittebant ea formula, quam describit Durandus Mimatensis episc., qui vixit in exitu sæc. XIII, uti legitur in exemplari Vaticano, quod laudat Catalanus *Pontific. Rom. tom. 3 §. 9 num. 290*, eoque jurejurando promittebant perpetuam obedientiam *B. Petro, Sanctæque Rom. ecclesiæ et ipsi summo Pont.*, et archiepiscopo cui suberant, spondebantque præterea, nihil se alienaturos *contra jus, vel consuetudinem ecclesiæ* apud Catalanum *tom. 1 Pontific. tit 13 pag. 254*. Consule Cl. Mamachium *del Diritto libero della Chiesa tom. 3 par. 1 cap. 1 §. 9 pag. 48 et seq.*

(2) Disputant vero periti Juris Can., num *Extravag. Ambitiosæ* ubique vigeat, et num etiam in omnibus locis, in quibus viget, obtineant pœnæ, quæ ab ea constitutæ sunt. Confer Schmalzgrueber *l.* 5 *tit.* 15 §. 4 *n.* 122 *et seq.*, et Girald. *par.* 1 *lib.* 3 *sect.* 444 *pag.* 288.

(3) *Cap.* 1 *de integr. restit.*

§. V. Sunt tamen nonnullæ res ecclesiasticæ, quarum, etiam sine venia sedis Apostolicæ, permissa alienatio est. Huc spectant ea, quæ servando servari ac retineri non possunt, uti sunt fructus arborum, frumentum et similia; quæ vetusto usu locari, aut in emphytheusim dari consueverunt, quoniam hæc finita locatione, aut emphytheusi iterum conceduntur iisdem, quibus antea, pactis et legibus; terrulæ (1), vineolæ non fertiles, resque ceteræ exigui pretii; denique collata in monasterium, aut locum pium, a quo ea retineri nequeunt. Ita legatum Capucinis aliisque similibus recte distrahitur, modo pretium in ecclesiæ, aut monasterii utilitatem convertatur (2).

(1) *Can. Terrulæ c.* 12 *qu.* 2.

(2) Consule Fagnan. *in c.* 5 *de reb. eccl. alien. vel non, num.* 19 *et seq.*

§. VI. Pertinet etiam ad alienationem rerum ecclesiasticarum venditio fructuum beneficiorum, quos aliquis in alium confert vel ad longum tempus, vel quamdiu vivit, accepta pecunia, quæ fructus æquet, quos probabile est beneficiarium consequuturum esse. Irrita hæc venditio est, et secum fert pœnam excommunicationis constitutam adversus omnes, qui res ecclesiæ alienarunt (1). Nec prætereunda locatio bonorum ecclesiasticorum, ex qua in perniciem successoris capiuntur fructus, antequam veniat eorum solvendorum dies. Locatio hæc non obstringit successorem, cui beneficiarius sua illa festinatione fructus præripere non potest (2).

(1) Ben. XIV *const. Universalis* 20 *bull. t.* 1 *pag.* 41.

(2) Conc. Trid. *sess.* 25 *cap.* 11 *de reform.*

TITULUS XX.

De Bonorum ecclesiasticorum Immunitate.

I et II. Unde repetenda immunitas bonorum ecclesiasticorum?
III. Pœna imponentis et solventis tributa ex bonis ecclesiasticis.
IV. Onera infixa bonis ecclesiasticis, et bona patrimonialia clericorum.

§. I.

Ecclesiastica bona sunt, quæ ad ecclesiam pertinent, et quorum reditus in sacris alendis ministris atque in sustentandis pauperibus impendendi sunt. Bona hæc ad ecclesiam pertinere dicuntur, quod ipsa eorum habet administrationem atque custodiam; sed revera propria sunt Dei, ideoque in hominum commercio versari non possunt (1). Inde repetenda est eorum immunitas a tributis et vectigalibus, quæ a laicis imponuntur; atque hæc immunitas non hominum privilegio data, sed ex ipsa eorum natura in bonis ecclesiasticis penitus affixa atque insita est (2). Si quando Christus, cum inter homines versaretur, tributum solvit (3), id quidem fecit voluntate et arbitrio suo, ut omnem scandali causam removeret (4), non quod aliqua humana ad solvendum lege cogi posset (5); neque vero solvi voluit ex loculis, in quibus erat patrimonium pauperum et apostolorum (6).

(1) Adeundi sunt S. Gregor. Nazianz. *ep.* 80 *pag.* 853 *seqq. tom.* 1 *ed. Colon.* 1690, et S. Ambr. *de Pœn. lib.* 2 *cap.* 8 *n.* 75 *pag.* 549, *et ep.* 20 *ad soror. n.* 8 *p.* 903 *t.* 5 *ed. cit.*

(2) Consule Thomass. *vet. et nov. eccles. disc. par.* 3 *lib.* 1 *c.* 53 *n.* 15, et Cl. Mamach. *del Diritto libero della Chiesa de acquistare, e possedere beni temporali lib.* 2 *par.* 1 *cap.* 1 *pag.* 212 *seqq. et lib.* 2 *par.* 2 *cap.* 3 *pag.* 93 *seqq.*

(3) Matth. XVII *v.* 23.

(4) S. Hilar. *in Matth. cap.* 17 *n.* 11 *pag.* 696 *ed. Paris.* 1693; S. Joan. Chrys. *hom.* 58 *in Matth. num.* 2 *pag.* 585 *tom.* 7; S. Ambr. *ep.* 7 *n.* 12, 13, 18 *pag.* 81 *seqq. t.* 3; S. Aug. *enar. in Ps.* 137 *num.* 16 *col.* 1553 *tom.* 4; S. Hier. *in Matth. lib.* 3 *cap.* 17 *col.* 136 *tom.* 7 *edit. Veron.*

(5) Hinc merito ab Joan. XXIII damnatus est error Marsilii Patavini et Janduni ajentium, Christum, cum staterem ex piscis ore sumptum tributo loco solvit iis, qui petebant didrachma, hoc fecisse « Non condescensive et liberalitate suæ pietatis, sed necessitate coactum, » apud Raynald. *ad an.* 1327 *n.* 19 *pag.* 343 *tom.* 5 *edit. Lucæ.*

(6) Matth. *cap.* 17 *v.* 23 *seq.* ita rem narrat : « Accesserunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum et dixerunt ei : Magister vester non solvit didrachma? Ait : etiam. Et cum intrasset in domum, prævenit eum Jesus, dicens : Quid tibi videtur, Simon? Reges terræ a quibus accipiunt tributum vel censum? A filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit : ab alienis. Dixit illi Jesus : ergo liberi sunt filii. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare et mitte hamum; et eum piscem, qui primus ascenderit, tolle; et aperto ore ejus, invenies staterem : illum sumens, da eis pro me et te. » Quo ex loco colligunt Patres, Christum se tributi lege solutum declarasse, id tamen solvisse arbitrio suo, ne publicanos scandalizaret; præterea non ex *loculis*, sed ex statere in ore piscis invento tributum pendi voluisse, ut ostenderet tributi onere non teneri loculos, in quibus pauperum et apostolorum patrimonium consistebat. Ita S. Hier. *l.* 3 *in Matth. cap.* 17 *col.* 136 *tom.* 7 *ed. cit.*; S. Agobardus *de Dispensat. eccl. pag.* 19 *pag.* 287 *et seqq. opp. tom.* 1 *ed. Paris.* 1666; S. Th. 2. 2 *q.* 188 *art.* 7. Espenius, cujus in figendis epochis temporum magna semper confidentia et insignis, ut plurimum, fallacia atque inscitia est, ita rem narrat *in Jur. eccles. univ. par.* 2 *tit.* 35 *num.* 51, quasi Agobardus primus animadverterit, quod Christus ex loculis tributum pendi noluit, ut ostenderet, nihil ex pauperum sacrorumque ministrorum patrimonio esse detrahendum. Sed errat vehementer. Nam Hier., qui ante quadringentos eoque amplius annos, quam Agobardus floreret, vitæ usura fruebatur, hoc ipsum animadvertit, et ejus *loc. cit.* verba sunt hæc : « Quod si quis objicere voluerit, et quomodo Judas in loculis portabat pecuniam? Respondebimus : rem pauperum (Christus) in usus suos convertere nefas putavit, nobisque idem tribuit exemplum. »

§. II. Privilegium referri potest ad bona patrimonialia clericorum; sed hoc privilegium naturali æquitate nititur, non ex mera hominum voluntate arbitrioque processit. Nam in civitate gratiosos esse decet, qui curam et sollicitudinem habent rerum spiritualium, et omnino æquum est, ut quæ illi sustinent, propter sacrum officium et ministerium, onera, compensatione immunitatis a tributis et vectigalibus alleventur (1). His e fontibus hausta est immunitas bonorum clericorum, et his fundamentis nituntur leges, quibus eadem probata est.

(1) S. Th. *Lect. in ep. ad Rom. c.* 13. « Ab hoc, inquit, debito solvendi tributa, liberi sunt clerici ex privilegio principum. Quod quidem æquitatem naturalem habet. Hoc autem ideo æquum est, quia sicut reges sollicitudinem habent de bono publico in bonis temporalibus, ita ministri Dei in spiritualibus; et sic per hoc, quod Deo in spiritualibus ministrant, recompensant regi quod pro eorum pace laborat. »

§. III. Quare ecclesiarum et clericorum bona non subsunt tributis et vectigalibus laicorum, sacrisque interdicitur ei, qui his oneribus, sine venia summi Pontificis, ea bona subjicit (1). Imo ne a sponte quidem pecuniam dantibus pro tributis et vectigalibus accipere fas est, quique hanc pecuniam sponte dederunt, et qui acceperunt pari anathematis plectuntur pœna (2).

(1) *Cap.* 4 *et* 7 *de immun. eccl.*

(2) *Cap.* 3 *eod. in* 6. Sed pœnam a Bonif. VIII constitutam *in cit. cap.* 3, Ben. XI *in Extrav. unic. de Immun. eccles. int. Commun.*, tantum habere locum voluit adversus laicos, qui a clericis pecuniam exigerent, non qui a sponte dantibus acciperent. Clem. autem V *in Clem. unic. eod. tit.* Bonifacii constitutionem abrogavit legemque dixit, ut in ea re Lateranensia decreta comprehensa in *t.* 4 *et* 7 *de Immun. eccl.* observarentur. Verum Leo X in conc. Lateran. V Bonifacii constitutionem integravit pœnamque excommunicationis obtinere voluit contra omnes, qui onera patrimonialia ecclesiasticis imponerent, quique

eadem exigerent, aut etiam a sponte dantibus acciperent, uti patet ex *const. Supernæ* edita die 5 maii 1513 §. 40. Hodie igitur hæc Leonis constitutio, et quæ legi solet in die Cœnæ Domini observanda est; quas quidem constitutiones una cum ceteris conciliorum decretis, quæ ad ecclesiasticam immunitatem pertinent, ab omnibus diligenter observari jubet conc. Trident. *sess.* 25 *cap.* 20 *de reform.*

§. IV. Sed onera, quæ bonis inhærent, etiam ab ecclesiis pendenda sunt (1); modo ex iis bonis ecclesia fundata et constituta non sit (2), et modo perpetuum esset reique infixum onus, antequam eadem ad ecclesiam pervenirent (3). Ecclesiarum bonis æquantur bona monasteriorum, hospitalium, similium, itemque bona, in quibus sacrum clerici patrimonium est constitutum; nam hæc similiter insitum habent in se privilegium immunitatis, cujus gratia laicorum tributis et oneribus non subjiciuntur, cetera vero patrimonialia bona clericorum non eodem omnino censentur jure, quo bona ecclesiarum, sed iis tantum gaudent privilegiis, quæ nominatim in jure expressa sunt.

(1) *Can.* 22 *cap.* 23 *qu.* 8; *cap.* 5 *de Pignor.*; *c.* 33 *de Decim.* Itaque a cunctis tributis, etiam quæ erant imposita, antequam res ad ecclesiam perveniret, immunis est situs ecclesiæ ac cœmeterii pro sepulturis, hortus juxta ecclesiam positus, et similia *can.* 24 *cap.* 23 *q.* 8. Adeundus Fagnan. *in c. Non minus* 4 *num.* 8 *et seq. de Immun. eccles.*

(2) Consule Fagnan. *in cit. cap. Non minus*, et Giraldum *expos. Jur. Pont. par.* 1 *l.* 3 *tit.* 19 *sect.* 634 *t.* 1 *pag.* 460 *seqq.* ubi cuncta fere habes, quæ ad realem clericorum immunitatem pertinent.

(3) Vide Fagnan. *in cap. Episcopus* 4 *de Præb. et dignit. num.* 55 *et seq.*, et Girald. *loc. cit.*

FINIS TOMI PRIMI.

APPROBATIONES.

Jussus a Reverendissimo P. Magistro Sacri Palatii Apostolici legi primum tomum *Institutionum Canonicarum* Cl. Viri Joannis Devoti, olim advocati et antecessoris Romani, nuper ad episcopatum Anagninum a PIO SEXTO P. M. evecti; quod opus, exemplaribus universis cito distractis, iterum typis evulgatur nonnullis correctionibus et additamentis doctissimi auctoris. Nihil adversum regulis fidei, aut bonis moribus invenire est in hoc primo volumine; quam vero omnia, quæ in eo tradita sunt, omnigena eruditione et juris ecclesiastici peritia redundent, adeo novit litteraria respublica, ut meis laudationibus celebratissimi operis famam augeri vix posse credam. Romæ ex Ædibus Magnæ Curiæ Innocentianæ III Non. Jul. MDCCXCII.

N. Riganti, majoris Præsidentiæ abbr.
et Ac. in civilibus Locumtenens.

INSTITUTIONES Juris ecclesiastici V. Cl. Joannis Devoti, nunc episcopi Anagnini cum primum in lucem prodierunt typis Romanis anni 1785, tanta omnium acclamatione exceptæ fuerunt, ut aucto in dies requirentium numero, brevi exemplaria defecerint aliaque cudere necesse visum fuerit: id vero accidit percommode; cam enim occasionem arripuit Præsul præclarissimus opus suum retractandi pluraque sparsim adjiciendi uberiori adolescentium in re canonica eruditioni opportunissima. Quæ porro in vulgatis jam exemplaribus continebantur, præstantissimorum virorum judicio probata, tum publico testimonio celebrata, meo certe calculo non indigent ut iterum imprimantur: quæ vero nova huic primo volumini aspersa sunt, mandante Reverendissimo Sacri Palatii Apostolici magistro, cum attente perlegerim, ea ex purioris doctrinæ fontibus hausta, et selectissima eruditione referta mihi videntur, proindeque dignissima quæ publici juris fiant. Datum Romæ pridie Idus Septemb. anni MDCCXCII.

D. Coppola, Proton. apostolicus et rit.
C. Secretarius.

Reimprimi potest.
Datum Gandæ 19 Maii 1852.
† L. J. EPUS. GAND.

RECENSIO

CAPITUM, TITULORUM, SECTIONUM

TOMI PRIMI.

PROLEGOMENA.

			pag.
Caput.	I.	De ecclesia, ejusque natura et characteribus.	9
—	II.	De ecclesiæ regimine et potestate	21
—	III.	De canone ecclesiæ et primum de Jure scripto.	27
—	IV.	De Jure non scripto	44
—	V.	De antiquis Juris canonici collectionibus . .	48
—	VI.	De recentioribus Juris canonici collectionibus.	75
—	VII.	De Jure novissimo.	86

LIBER PRIMUS.

Tit.	I.	De jure personarum, deque laicis et clericis generatim	91
—	II.	De hierarchia ordinis.	106
Sect.	I.	De episcopis	111
—	II.	De presbyteris, diaconis, subdiaconis et reliquis ordinibus.	120
Tit.	III.	De hierarchia jurisdictionis.	139
Sect.	I.	De summo Pontifice	145
—	II.	De cardinalibus et legatis.	164
—	III.	De patriarchis, primatibus, metropolitis. .	176
—	IV.	De coadjutoribus	194
—	V.	De chorepiscopis	197
—	VI.	De prælatis inferioribus	201
—	VII.	De capitulis canonicorum.	204

Sect. VIII. De dignitatibus, personatibus, officiis. . . 212
— IX. De vicariis 219
— X. De parochis et reliquo clero. 225
Tit. IV. Quibus modis potestas ordinis acquiratur. . 234
Sect. I. De consecratione episcoporum . . . . . *ibid.*
— II. De presbyterorum et aliorum clericorum ordinatione. 240
Tit. V. Quibus modis potestas jurisdictionis et omnia eccl. beneficia acquirantur 258
Sect. I. De electione. 259
— II. De postulatione. 274
— III. De collatione 276
— IV. De institutione et jure patronatus 291
Tit. VI. Quibus ecclesiastici magistratus et beneficia recte tribuantur 300
— VII. Qui promoveri non possint. 306
— VIII. Quibus modis potestas jurisdictionis et eccl. benef. amittantur. 318
Sect. I. De renuntiatione 319
— II. De translatione 323
— III. De permutatione 325
— IV. De depositione et degradatione. 326
Tit. IX. De monachis et regularibus. 337

LIBER SECUNDUS.

Tit. I. De rerum divisione 363
— II. De Sacramentis 365
Sect. I. De Baptismo 384
— II. De Confirmatione 416
— III. De Eucharistia. 424
— IV. De Pœnitentia 463
— V. De Extrema Unctione. 488
— VI. De Ordine 496
— VII. De Matrimonio. 499
— VIII. De Sponsalibus. 507
— IX. De Matrimonii impedimentis. 513
— X. De impedimentis impedientibus. 552
— XI. De divortiis. 555
Tit. III. De indulgentiis et remissionibus. 559
— IV. De divino officio 567
— V. De festorum celebratione. 578

Tit. VI. De jejuniis. 587
— VII. De rebus sacris, et primum de eccl. . . 599
Sect. I. De consecrandis et reconciliandis ecclesiis. . 617
— II. De immunitate ecclesiarum 621
— III. De capellis et oratoriis 632
— IV. De sacris vestibus, vasis, ceteris ad ecclesiam pertinentibus 634
Tit. VIII. De reliquiis et veneratione sanct. 640
— IX. De sepulturis 644
— X. De monasteriis. 653
— XI. De seminariis clericorum. 659
— XII. De hospitalibus. 663
— XIII. De rebus temporalibus ecclesiæ. 666
— XIV. De præbendis et beneficiis. 670
Sect. I. De vetita beneficior. multitudine 675
— II. De conjungendis ac dividendis benef. . . . 679
— III. De commendis beneficiorum. 683
— IV. De pensionibus ecclesiasticis. 688
— V. De adipiscenda benefic. possessione. . . . 691
Tit. XV. De censibus, exactionibus et procurationibus. 694
— XVI. De decimis 701
— XVII. De primitiis, oblationibus, ceterisque temporalibus bonis cleric. 710
—XVIII. De peculio clericorum. 719
— XIX. De rebus eccles. non alienandis. 723
— XX. De bonorum ecclesiasticorum immunitate. . 728